

OPUS VERE AURUM
B. ALANI RUPENSIS
ORDINIS PRAEDICATORUM
DE ORTU ET PROGRESSU
PSALTERII CHRISTI ET MARIAE
SEU SACRATISSIMI
ROSARII
IN EJUSDEM PRAECONIUM PRAEDICATORIBUS
VERBI DEI ET OMNIBUS CHRISTI FIDELIBUS
PROPOSITUM

FORUM CORNELII, 1847
EX TIPOGRAPHIA EPISCOPALI

PRAEFATIO

B. M. ALANI DE RUPE
AD FERRICUM EPISCOPUM
TORNACENSEM

Laudate Dominum JESUM Christum, et SS. Virginem MARIAM in Psalterio, cum Fidelibus vestris ovibus, sic ut tandem sine fine cum Angelicis Spiritibus facie ad faciem Beatissimam in aeternum Trinitatem mereamini, ovium in Beatorum fruitione, magnificare.

Reverende in Christo Pater, ac Domine, S. Augustinus ait Lib. de Doctr. Christ., Pastores ovium Christi ducere eas debent ad virentia virtutum pascua, et ab incuris Luporum, Raptorumque, protegere: rationem reddituri summo ovium Regi Christo de animarum sibi commissarum perditione. Quod intelligi secundum S. Gregorium debet Lib. de Cura Pastoralis: si Praesidentium negligentia, aut doctrina mala, vel exemplo pereant, seu scandalo.

Hinc, fidelissime ovium Christi, in Episcopatu Tornacensi Pontifex et firmissime in cunctis virtutum fauctor : quia pro meritis inibi curam geritis Apostolicam, congruum est Paternitati Vestrae, quae subditis vestris salutaria fuerint cognoscere : Et vero in primis, quae sub Praedecessore vestro (sciente ipse et approbante) devotius peracta sunt, variis in Oppidis hujus almae Diocoeseos; haec eadem cum gaudio magno adprobari.

Hoc autem est de Psalterio inviolatae semper Virginis Genitricis Dei MARIAE.

Propterea etiam placuit Vestrae Potestati super hoc Quaestionem ad me habere Paternam.

Idcirco multarum pro animarum salute, postulationi vestrae, ac intentioni humiliter satisfaciendo, sub paucis verbis, ut potero, super materia Psalterii Virginis Gloriosae aliquod lumen, uti patebit per ordinem, Intelligentiae Vestrae offerre conabor. Non (quod absit) sublimen Vestram Apostolicam Scientiam imbuendo: sed scita melius, ac perspecta ad memoriam, et ut S. Anselmus ait, ad operosam efficaciam reducendo.

BEATI

F. ALANI DE RUPE

REDIVIVI

OPUS AUREUM

DE PSALTERIO SEU ROSARIO

CHRISTI ATQUE DEIPARAE

CAPUT I.

Cur hoc suffragium dicatur Psalterium Christi, et Mariae?

Famosissime in Christo Pater, et Domine. *Peccatoribus Proestat Poenitentiam* Trinitas altissima per Psalterium Virg. Mariae.

I. Dicitur autem Psalterium a psalendo. Inde servientes in illo Deo, et Mariae Virgini, dicuntur Psaltae. Sic dictum a Psalterio Davidico; quod figura Angelicae fuit Salutationis. Cantica enim veteris Legis figura novae fuerunt secundum S. Ambr. 2. Si qui placuerit: sic dictum videri potest

quasi a sale divinae Sapientiae quod Oratio Dominica, et Salutatio Angelica sint quasi duae salinae Dei Sapientiae, quibus fidelium mentes saliuntur. 3. Nisi quis maluerit illud recte sic appellari, ab organo quod Hebrei Nablum vocant; musicum instrumentum ex CL. fistulis compositum: ad quod Psalmi Davidis totidem solebant decantari. 4. Grammaticae simul, et Theologicae; quia psalterium excellentes effectus decem importat, quos per Christum, ac Mariam Virginem devote illud psallentes consequuntur. Nam

1. P. Peccatoribus Praestat Poenitentiam.
2. S. Sitientibus Stillat Satietaem.
3. A. Alligatis Adducit Absolutionem.
4. L. Lugentibus Largitur Laetitiam.
5. T. Tentatis Tradit Tranquillitatem.
6. E. Egenorum Expellit Egestatem.
7. R. Religiosis Reddit Reformationem.
8. I. Ignorantibus Inducit Intelligentiam.
9. V. Vivis Vincit Vastitatem.
10. M. Mortuis Mittit Misericordiam per modum suffragii.

Et de his omnibus sensibilia, et vera expertus sum, alique plures signa, et prodigia. I. Ut merito Psalterium hoc sit Coelum Sidereum, cum CL stellis apud Astrologos potissimis. 2. Ut sit velut Paradisus voluptatis Dei, Rosis, ac Rosaceis sertis CL adornatus: Salutationes enim istae sunt velut quedam Rosae Angelicae: unde quinquagena Virginis Rosarium sive Sertum nuncupatur. 3. Ut sit Arbor vitae, et scientiae cum CL fructibus Angelicis propter totidem eminentias, quas in Christo, et Maria Virgine credimus fuisse, prout aliquando ipsa revelavit.

CAPUT II.

Cur dicatur Psalterium in ordine ad Jesum Christum, et Mariam Virginem?

Excellentissime Praesul. *Sitientibus Stillat Satietaem* Trinitas beatissima per Psalterium Virginis Mariae inviolatae.

I. Mariae Virginis Psalterium aptatur, et ab ea nominatur: quod piissima Dei Genitrix Maria virtuosas habuit conditiones Psalterii Synagogae, Cytharae, et Organi, (nam Psaltae Virginis Mariae sunt ejusdem Reginae coeli musici Angelici) ob decem causam, et operationes. I. Intemerata Dei

Genitrix Virgo diabolum expellit, sicut David. 1 Reg. 16 per cytharam a Saule daemonem depellebat. 2. Quia Deipara Arcam Dei, id est, verbum omnipotens ad nos deducit: veluti David. 2 Reg. 6. in organis armigatis coram arca ludebat. 3. Quia eadem victoriam nobis contra inimicos obtinet: sicut post victoriam Maria soror Moysis, Exod. 16. in timpano praecinebat. 4. Ipsa Prophetiam Sanctis tradit: sicut Helisaeus per canticum Psalterii Spiritum sanctum prophetiae accepit. 5. Quia Spiritus sanctus per ipsam matrimonium inter Deum, et creaturam humanam, in thalamo virginali, effecit: ut Beda docet. 6. Quia S. Maria chorum coelestis jubilationis ad divinas secum laudes trahit: sicut filiae Jerusalem, quae cantabant, 1 Reg. 18. v.7. *Saul percussit mille, et David decem millia*. Orig. Serm. de V. Maria. 7 Quia pax facta est per Mariam Virg. Filius enim ipsius fecit utraque unum, tanquam unum, tanquam lapis angularis. 8. Quia immensam orbi festivitatem attulit Virgo Maria, quae fuit Dei, hominum simul, et Angelorum. 9. Ipsa ea Deo Patri pro mundo pretii obtulit immensi holocaustum, Verbum scilicet. Incarnatum 10. Eadem alma Virgo parens divinum cecinit canticum post Incarnationem, *Magnificat*, et Angeli, nato Domino Angelorum, *Gloria in excelsis*. Quorum suavitate placatus est Deus generi humano, et huic Angelica natura est confoederata.

Haec autem decem repraesentabatur olim in psalterio Synagogae, ut s. Aug. enarrat serm. De Psalterio Synagogae qui incipit. *Laudate eum in psalterio ec.* Ubi haec omnia (ut melius experiendo videbitis) ad immaculatam Dei Genitricem adaptat.

II. Christo *Jesu adaptatur hoc oraculum ... et ab eo nominatur, ob dictas -decem rationes, quae longe aptius, et amplius Christo, quam Virgini Mariae conveniunt: Christus enim in immensum potior est, et potentior Mariae; quamvis peccatoribus Mater Misericordiae Maria sit quodammodo clementior, eisq; familiarior quam Christus, secundum Bern. Ipsa enim est Mediatrix ad Mediatorem Nihilominus aliae quaedam speciales suppetunt rationes hac in re -pro -Jesu. 1. Quia Christus est Psalterium Resurrectionis, juxta illud Psalmi 56.9. Exurge Gloria mea, exurge Psalterium, et Cythara. Cum igitur in Psalterio Christi sint 15. Pater noster. Pro Christo, qui exurgit in nobis per poenitentiam, et devotionem; secundum Theologiae veritatem: ea causa merito suffragium hoc Psalterium Resurrectionis dici potest. 2. Accedit. Quia Christus ipse est Psalterium decem chordarum, s. Hieron. teste, tanquam decem Dei mandatorum completor, et retributor, idemque transgredientium ea severissimus est condemnator. 3. Quia omnes ad Christum ordinantur prophetiae, velut ad suam causam efficientem, formalem, exemplarem, et finalem. Quocirca merito ipse est (((p.3))) in Psalterio Davidis tanquam ipsum Psalterium profiguratum: iuxta Glossam Magistri. 4. Quia reparatae salutis Psalterium est ipse, ob reparationem nostram, et sanctificationem. Ideo in Templi dedicatione, fundatione et reparatione gloriose in Psalterium cantabatur. 5. Denique Dominus Jesus ipse nostra est jubilatio, spiritalisque laetitia et exultatio; habens quinque portas, ait s. Anselmus id est, quinque vulnera: quae ad solius suavitatis palatia ducunt. Hinc in Psalmis 46.97. Propheta: Jubilate Deo in ec. Ex quibus congruenter apparet psalterii ratio, et ad Sponsum Jesum, Sponsamque Mariam singularis adaptatio, et illis debita laudatio.*

CAPUT III.

Suffragium hoc an convenientius nominetur Psalterium, an Corona, an Sertum, sive Rosarium.

Reverendissime in Christo Pater et reorum refugium pium, ac singulare, *Alligatis Adducit Absolutionem* Trinitas clementissima per Psalterium V. Mariae.

I. Conantur quidam, licet rem eandem, variis nominare vocabulis, horum tamen semper unum est aptius: juxta P. Alberti Magni Logicam. Quocirca oraculum hoc, quamvis varia nomina sortiatur; Psalterium tamen aptius appellatur, multiplici de causa.

1. Ob figuram Davidici Psalterii. Figura enim, et figuratum eodem nomine; etsi non eodem significandi modo, nominatur. Ita Christus dicitur Leo, Vermis, Lapis, ec. Similem ad modum nomina haec; Corona, Rosarium, Sertum, significatu proprio longe distant (ut disparata et diversa) a genere orationis: psalterium autem Ecclesiae, quod huius est psalterii fundamentum, et figura, vere, et univoce Oratio est. 2. Vocabula: Corona, Rosarium, Sertum: metaphorica sunt ex similitudine dicta: psalterium vero a psallendis Deo laudibus nomen habens, proprie est oratio. 3. Nomina illa vulgaria sunt, sapiuntque saeculi vanitatem: quod sic a sertis puellaribus dicantur: at psalterium est Ecclesiasticum. Ideoque religiosius ab Ecclesiae filiis amplectendum est, venerandum, usurpandum, ac praedicandum. 4. Psalterium; vox est divina, biblica, et utriusque Testamenti stylo consona, atque conformis, at nomina caetera ex hominum nata sunt intellectu, et affectu: neque abs ratione similitudinis. 5. Coranae, Rosaria, Serta geruntur a viris foeminis, puellis juxta bonis, ac malis: psalterium vero in s. Scriptura tantum in usu bonorum est, inque Dei solius cultu. Quapropter haec oratoria duo, Pater et Ave: cum sint supremae, ac principes Novi Testam. orationes, vocari nomine psalterii debuerunt, quod ipsum hoc in praecipuo Synagogae culto divino praecipuum semper, sacrumque fuit musices instrumentum. Id quod P. F. Joannes de Monte in suo Mariali declarat.

II. Sed novi nova adinveniunt nomina jam dicta, parumque congrue auferunt laudes a Virgine Maria, ac imminuunt, cum pro **((Pag. 4))** C. et L. angelicis salutationibus, jam diu per Ecclesiam consuetis, tantum nunc eidem offerunt quinquaginta. Quod autem a perantiquo psalterium vocabatur oratio haec, ratio constat: quia ab Ecclesia Canonicis in horis David Psalterium canebatur. Quod s. Hieronimus ter translatum, et ad limam revocatum, Romanae obtulit Ecclesiae. Primum ad Romanam: alterum ad Gallicanam: tertium ad Hebraicam proprietatem: idque ad instantiam Sophronii.

III. Atque inde populus Ecclesiam constanter et ardentem imitatus, ad eam conformavit illud, usurpavit, ac appellavit Jesu, et Mariae Psalterium. 1. In cujus signum hodieque in Alemannia frequentissima tali cum numero C. et L. circumferantur Patriloquia. 2. Quin et in Flandria noverunt seniores ac memorant plurimi, quod sponsae, dum aliqua desponsabatur, in virginali zona, cum bursa simul suspendebatur et psalterium. 3. Velut et in Praedicatorum Ordine, praesertim in Anglia, cum quis aut investitur, aut profitetur ex pervetusta consuetudine ad hanc usque diem, una cum habitu, et zona, psalterium Matris, et Reginae Praedicatorum apponitur.

CAPUT IV.

Cur in Psalterio XV. Orationes Dominicae disponantur?

Religiosissime in Domino Jesu animarum Pastor: Lugentibus Largitur Laetitiam Trinitas dulcissima per psalterium Triclinii ejusdem immensae Trinitatis. Super quod denuo pia mens fidelium movere potest dubium, cur inibi ponuntur XV. Pater noster?

Ad quod respondeo: I. Propter visionem s. Bernardo factam. Qui ex divina didicit revelatione: quod, qui in dies singulos, per annum totum, XV Pater noster dixerit, is numerum Christi passi vulnerum adaequarit. Quae jure merito cunctis sunt colendissima Christianis, et adoranda. Eo, quod in Dominica passione puncta sint quindena praecipua Christianis cum Religione contemplanda. 1. Coena dolorosa. 2. Comprehensio poenosa. 3. Collaphizatio probosa, in Annae domo. 4. Illusio et condemnatio, in Caiphae domo odiosa. 5. Raptatio Christi ad Pilatum clamorosa. 6. Illusio Christi apud Herodem contumeliosa. 7. Flagellatio Christi sanguinolenta. 8. Coronatio spinosa. 9. Irrisio a militibus blasphemosa. 10. Condemnatio flagitiosa. 11. Bajulatio Crucis aerumnosa. 12. Crucifixio vulnerosa. 13. Elocutio Christi in Cruce virtuosa. 14. Mors Jesu luctuosa. 15. Sepultura Domini gloriosa.

II. Tanti vero singula haec puncta sunt: ut (sicut Dominus Jesus aliquoties revelavit s. Bernardino, et s. Birgittae) quodque eorum omne pretium mundi totius creaturaeque naturae procul excedat. Quo justus, ac sanctius eadem a Christianis commemoranda sunt, et veneranda ad XV. Dominicas orationes in psalterio. Quippe 1. Cum haec oratio per Dominum Jesum sit Apostolis mandata, Matth. 6.2. Cum et jam olim in primitiva Ecclesia ad eandem **((p.5))** unicum sacrum Missae fuerit patratum: ut jura testantur Canonica ex s. Gregorii Registro. 3. Cum inde etiam Ecclesia singulis horis Canonicis isthanc praeponat orationem, velut Ecclesiasticarum orationum caput, ac fundamentum.

CAPUT V.

Cur in Psalterio Christi, ac Mariae ponantur C. et L. Salutationes Angelicae?

Illustrissime Pater pauperum, orphanorum, et pupillorum. Tentatis Tradit Tranquillitatem Trinitas aeterna per psalterium Virg. Mariae. De quo exinde grandis movetur quaestio cur C. et L. Ave in psalterio frequententur?

I. Non cujusquam id superstitionis est, sed imitationis Ecclesiae, cujus psalterium psalmis totidem constat. Quo sane plebs fidelis in numero hoc biblico, minimeque vano, pia conformatur Ecclesiae.

II. Ratio Prophetica: quia Christus et Maria gloriosa prophetantur in Psalterio Davidis, secundum virtutes in eis totidem et eximias excellentias, passim a SS. Patribus celebratas: atque totidem Ang. Salutationibus venerandas.

III. Ratio Mystica: consonat istis mysterium multiplex ejusdem observati numeri CL. tum in constructione Arcae, et Tabernaculi Moysis, tum Templi Salamonaei, tum in visione Ezechielis, qua nova Templi ratio, faciesque divinitus ei delineabatur. Atqui vero numerus in figura; ut rem aliquam figuratam designet, necesse est, et quidem sacer rem sacram, biblicus biblicam item rite numeratam. Quare isthic in psalterio Jesu, et Mariae numerus veritatem, recte sui in Davidico continet adumbratam.

IV. Ratio Physica. Constat juxta philosophos inter et Theologos, coelorum orbis undenos esse. 1. Empireum. 2. Primum mobile. 3. Crystallinum, seu Aqueum. 4. Firmamentum stellatum. 5. Coelum Saturni. 6. Jovis. 7. Martis. 8. Solis. 9. Veneris. 10. Mercurii. 11. et Lunae: Ad haec Elementa sunt quatuor: atqui hisce quindenis omnem vivere hominem necesse est, ad modum quidem naturalem. Huc accedit, quod, humana vita in quolibet dictorum XV. decem distinctis modis aliter atque aliter se habeat affecta scilicet secundum categorias decem, quae sunt Substantia, Qualitas, Quantitas, Relatio, Actio, Passio, Situs, Quando, Ubi, et Habitus. Quare plane liquet, si 10. in 15. per multiplicationem reduceris, quod omnis homo necessario habeat in sese CL. habitudines naturales. Quae omnes ac singulae cum sub dominio Christi, ac patrocinio Deiparae stent, aut varient: par quoque esse, ut quisque, pro sui in istis conservatione, et malorum oppositorum aversione, Jesum, et Mariam pari numero salutationum ludet, ac veneretur.

((p.6))

V. Ratio Moralis evincit idem. Virtutes enim principes Christianae XV. numerantur istae: Theologicae tres: Fides, Spes, Charitas: septem capitales: Humiltas, Largitas, Castitas, Benignitas, Abstinencia, Patientia, Devotio. Cardinales quatuor: Prudentia, Justitia, Temperantia, Fortitudo, quae eadem est cum Abstinencia. Restant duae, Religio et Poenitentia. Ad istas ut omnes aliae, rerumque omnium creaturarum usus reducitur; sic ipsae ad Dei mandatorum decem observantiam referuntur. Jam rursus per 10. multiplices 15. et reperies in quolibet Christiano C. et L. morales habitudines omnino necessarias. Cum autem omne bonum de sursum sit, perinde quoque necessarium esse, pro et bonis istis a sum sit, perinde quoque necessarium esse, pro et bonis istis a Deo obtinendis, et malis contrariis fugiendis, ut pari in numero salutationum apud Deum Deiparamque pie instetur. Nam per quam Deo placuit mittere salutem, et Salvatorem, per eandem quoque gaudet, et gratiarum dare pluviam salutarem.

VI. Ratio item moralis stat a contrario vitiorum XV. seu peccatorum: quae sunt Infidelitas, Desperatio, seu Praesumptio, et Odium, Superbia, Avaritia, Luxuria, Invidia, Gula, Ira, Accidia, Imprudentia, Injustitia, Pusillanimitas, seu Diffidentia, Impietas, Impoenitentia. Quae cum Decalogo adversentur, facile in numerum CL, multiplicantur. Utrisque vero par quoque numerus respondet praemiorum virtutibus, in coelis, poenarum delictis, in gehenna. Et saepe etiam plagarum, in vita hac mortali. Quo justius, ac sanctius ille numerus precularum in psalterio custoditur.

VII. Ratio Naturalis idem vel ex homine repetita declaret. Nam in quovis nostrorum potentiae naturales insunt XV. et quini sensus exteriores noti, Interiores quini, ut Sensus communis, Imaginatio, Phantasia, Aestimatio, et Memoria, Superiores potentiae quinae ut Motiva, Sensualitas, Intellectus Agens, Possibilis, et Voluntas. At per haec tum Christus, tum B. Maria pro se, proque nobis in Decalogo serviere Deo et perplacuerunt, atque ita per formales in eis habitudines quindenae, in Decalogo multiplicatas, actus meritorii CL. colligantur oportet. Quibus sua quoque praemia totidem in terris, ac coelis utrique concessa, sancte credere necesse est fideli. Et quisnam eos pari in numero colendos rite, adorandosque dubitarit? Quid quod, et nos ipsos quaedam religionis necessitas plane constringat: (quippe eisdem praeditos potentiis, eidem obstrictos Decalogo) Deo, Deiparaeque, aut deservire pro pari sorte praemiorum coeli, aut deperire in pari numero tormentorum inferni. Totidem enim nos hinc dona gratiarum invitant, inde monstra vitiorum insectantur.

VIII. Ratio Sacra. Hanc offert Quinquagenae, in psalterio trinae, jubilaus annus quinquagesimus quisque qui pacis fuit, requiei, et libertati sacer. Jesus autem et Maria sicut rerum omnium, sic et jubilaei sunt Rex et Regina idque tum in lege Naturae: tum et Moysis data in Sinai monte, die exitu Israel de Aegypto quinquagesima: tum in Lege Gratiae, data complete in Pentecostes die, ab Resurrectione quinquagesimo. Accedit, quod **((p.7))** et in coelis triplex jubilaum, Visionis, Fruitionis, et Comprehensionis universa doceat, colatque Theologia Christiana. Et quid in jure meritissimo utrique Jesu, ac Mariae pro iis tres quinquagenae precum in psalterio offerantur. Jure inquam: nam quis tam ingratus Deo, suisque immemor reperietur, qui non de quatuor et viginti horis diei unam in divino cultu quotidie horulam esse impendendam censeat? Atqui juste eam tres in psalterio quinquagenae occuparint. Quo par et aequum est magis, quin et probe debitum dixerim, vel tantillum tempusculum in tanto comprecandi genere in dies consecrare Deo. Dices: Re quavis in bona, major numerus minore est melior: proinde nec iste CL. precum, majori praestare potest. Sed istum ultra definitum transire precando, quasi vetat illius determinatio certa. O turrim, sed carneam, ecce tibi, Davidis filius, Sap. 11. Omnia in numero, mensura et pondere posuisti. Quod si omnia in re alia quacunque, quanto magis in pertinentibus ad latrariam, cultumque divinum? in his autem psalterium Jesu, ac Mariae locum sibi facile principem vindicat eundem, qui orationi Dominicae, Angelicae Salutationi debet. Et adhuc absque numero certo vagari illud oportere quisquam sentiet? Vel Cato ethnicus reclamavit dicens. Omnibus adde modum: modus est pulcherrima virtus. At psalterium nec prolixitate, nec brevitate peccat in modum justum: sed in mediocritate extremorum inter utrumque consistit. Quocirca sicut fixo precum numero, sic et mensura sufficientis devotionis, et meriti pondere sibi recte constat.

Denique legisse me memini, rationes jam dictas a gloriosa Virg. revelatas promanasse, quod tametsi non foret: ipse tamen sufficientes sibi pondere suo apte stant. Vidi quoque Virginem quandam, quae post dominicam communionem divino contuitu vidit almam Matrem Virginem corona triplicata. Quinquagenae coronatam: in quarum prima Rosae L. in secunda Lilia totidem, in tertia gemmae item quinquaginta cernere videbatur. Nec dubito Virginem hanc vera vidisse: eo, quod Deiparae tales a fidelibus essent oblata coronariae quinquagenae.

CAPUT VI.

Utrum prae altero sit, Pater, an Ave.

Clarissime in scientiis intelligentiae Pastor ovium Christi: Egenorum Expellit Egestatem Trinitas felicissima per psalterium Virginis felicium felicissimae. De quo curiosa quaerit saecularium aviditas: utrum nobilius: dominica oratio, an salutatio Angelica? Hi, si noscent istud philosophi: odiosae rerum sunt comparationes: digitum ori imponerent. Verum ego neutri contrarius parti; media tutissimus ibo: duoque docebo.

I. Prius Dominica Oratio quinque modis antecellit Dominicam **((p.8))** Annuntiationem. 1. Auctore: nam eam Christus, at Ave, dictavit Archangelus. 2. Forma orationis: verius enim habet rationem orationis, quam Salutatio. 3. Contento: complectitur enim expresse, et bona petenda omnia, et deprecanda mala, at Salutatio tantum implicite. Teste b. Alberto Magno, super missus, ex Aug. 4. Fine: oratio Domin. manifeste fuit Ecclesiae data ad orandum, Matth. 6 non sic autem

Salutatio. 5. Adjuncto: dominica oratio magis aptatur humanae affectioni, intelligentiae, utilitati, et necessitati, ut septem ipse petitiones testantur: salutatio vero potius Christi, ac Mariae attinet personam, quam miseriam nostram.

II. Alterum: Angelica salutatio quinque de causis antecedit Dom. Orationem. 1. Objecto, quia salutatio est ad Deiparae personam, quae sola, dignior est Ecclesia militante, ad cujus gratiam Dominica data est Oratio. 2. Materia, quia Dom. Oratio solis convenit peccatoribus, ut quibus necesse sit orare: Dimitte nobis ec. Christo autem et Mariae, ut ab omni puris peccato, convenire nequit: nisi quatenus in persona Ecclesiae eam oraverint: at Aug. Salutatio etiam a Jesu et Maria recitari sancte potuit. 3. Fine seu forma. Quia in Incarnatione, terminus formalis, divinum erat suppositum, et non humanum: at hic est infinitus formaliter; cum sit Deus. Dom. Orationis autem terminus est finitus, utpote collatio bonorum creatorum, et aversio malorum, quae formaliter sunt finita. Quo Salutatio praestantior est Dom. Oratione. 4. Effectu. Quia Annunciatio est index Christi, auctoris Dom. preceationis, simul est Novi Testam. principium, quorum neutrum est Domin. Oratio: ac summae quaeque excellentiae Christi, et Mariae sicut in ea continentur, ita et ab eadem dependere censetur. Minime vero a Dom. Oratione, quae opus est effectus Christi.

III. Tertium, utrum in psalterio partes deferendae potiores? Respondeo: equidem hic ordinem necessitas ullius minime posuerim, sed merae congruentiae. Congruum namque est, quae sunt Sponsi, perire illis, quae esse Sponsae censetur.

IV. Quaeris: cur igitur in psalterio denae Salutationes ponuntur, ad unicam domin. orationem? Uni, inquam, istae denae postponuntur illi subjuncte: quippe oratio domin. fundamentum est Ecclesiae, cunctorumque bonorum: fundamentum vero semper unum sit oportet, cui plura inedicari conclavia, aut aedificia queunt.

V. Instas: cur non potius C. et L Pater: et solum XV. Ave dicuntur? Ratio est, inquam: quia Deipara non est basis prima, et potissima fidei, sed Christus: quocirca, nec psalterium ab Angel. Salutatione inchoari concedet. 2. Adde: quod CL. Pater, nimia prolixitate orantibus e vulgo toedium forte paritura forent. 3. Tum denique: quia ut omnium advocatus est ad Deum Christus ita mediatrix ad Christum est Maria Mater Misericordiae; specialis peccatorum piissima Patrona.

(((p. 9)))

CAPUT VII.

Quomodo Vet. Testamenti Scripturae possint ad hoc Psalterium aptari?

Venerabilis Defensor, et veritatis Indagator secretorum s. Paginae Dei, Religionis Reddit Reformationem Trinitas gloriosissima per psalterium Mariae. De quo quaeritur: quaenam psalterio B.V.M. queant s. Scripturae verba applicari.

1. Solutio sat ex jam dictis liquet. 2. Juxta 1 Corint. 10. Omnia in figura contigebant illis, figura sc. Christi venturi: cujus sola fuit umbra lex vetus. 3. Quoniam Incarnatio Christi est quasi effectus quidam Legis antiquae: effectus autem per causam exponitur. 4. Licet non cuivis sit fas s. Scripturam exponere, sed solis Theologiae Doctoribus, ex auctoritate Pontif. Max. his tamen ita est data potestas declarandi, interpretandi, definiendi, pronunciandi s. Scripturam ubique, ut s. Ecclesiae Doctoribus repugnare non debeant. Atque tametsi Doctores non sint aequales sanctitate, vel scientia; aequales tamen sunt docendi licentia, vigoreque Magisterii. Sicut Sacerdotium ejusdem est speciei in omnibus: etsi non meriti paris, aut scientiae. Est ergo Doctor in glossando Scripturam Doctorum Catholicorum imitator. 5. Et ita factum est in psalterio Jesu, et Mariae, ad Davidicum comparatio, et vobis ostenso, in quo Doctores expresse nominatur, et eorum dicta apponuntur. 6. Verum etsi non ad literam omnia Davidici, possint ad Mariae psalterium aptari; possunt tamen allegorice, aut tropologice, aut anagogice, aut typice. Sic b. Albertus Magnus super Missus est, adduxit totum mundum, omneque scientiam, ac virtutem in comparisonem. 7. Nec abs ratione: cum in Verbo Incarnato sint omnia: unde sicut hoc vere infinitum est; sic et Angelica Salutatio dignitate, sensu, ac virtute, ut per quam Verbum Caro factum est. quocirca neque universi orbis Doctores unquam potuerant, aut poterunt Mysterium Angel. Salutationis, sive Incarnationis aeternae, aut etiam temporalis, sat mente complecti. Juxta illud Isaiae 53. Generationem ejus quis enarrabit? 8. Denique, cum Incarnatio Christi sit Davidici causa psalterii: causa autem finalis vere per effectus suos exponi possit, cumque manus Domini non sit abbreviata, omnino Spiritus Sanctus quibus voluerit, s. Paginae dare potest intellectum. Inde permanet, quod nec ss. Doctores eodem omnes modo eam sint interpretati: et quodque hodieque crescit, ac crescet Fedes, et scientia Biblica: ut volumina commentatorum etiam num prodeuntia testantur.

CAPUT VIII.

De ortu progressuque Psalterii Christi, et Mariae.

Sapientissime famulorum Christi Praesul, Ignorantibus Imprimis **((p.10))** Intelligentiam honorabilissima per psalterium Virginis almae Matris. Ubi queritur de auctore, et tempore inventionis, ac promulgationis. Quam ad quaestionem utinam moverentur plerique devotione magis, quam curiositate. Timeo, ne athenisent, ad novitates plus, quam veritates intenti. Quid enim interest percunctari, quid castrum, aut librum, ec. fecerit; cum experientia constet, esse bona valde. Neque vero etiam referret talibus in rebus, malum fuisse principium, dummodo effectus sit bonus. An non Praelati, principesque mali bonas condere Leges, et Instituta relinquere possunt? sed ad rem.

I. Ang. Salutationem confecit s. Trinitas: Archangelus Gabriel, eam Divae Virgini proposuit: auxit s. Elisabetha, perfecit Ecclesia. Domin. Orationem Christus docuit discipulos, ac in eis Ecclesiae toti praescripsi, Matth. 6,2. Inde porro s. Bartholomaeus Apostolus quoque eam, et die centies, et centies nocte frequentasse proditur cum totidem adgeniculationibus. Quo in numero quatuor insunt quinquagenae, quarum tres sic oratae, psalterium Christi Jesu constituunt, et C. et L. Dom. Orationibus constans; sicut illud ex totidem Angel. Salutationibus dictis Mariae efficit psalterium. Quartam vero quinquagenam adjecit Apostolus ob devotionis causa, ipsi Deoque notam.

3. Communitas autem fidelium id est, Ecclesia, quae comprecandi in Synagoga imitaretur exemplum, quod C. et L. psalterii Davidici psalmos decantabat: eundem sibi numerum Orationum Domini repetitarum delegit, quas in vicem psalterii Deo a se recitatas offerrent Christi fideles.

4. Verum, quod non omnibus tandem aut vacabat, aut adhibebat ad eam tot Orationum Domin. prolixitatem: (nam successu temporum fidei decrescere fervorem contigit) hinc simul, et psalterium Christi magnam quoque partem decrevit. Sicut a B. Virgine Mariae revelatum legitur.

5. Deinde psalterii Mariae sic rarescentem usum popularem s. Patres, in vastis Eremi solitudinibus monastice colentes, exceperunt. Hisce desertos orientis complevit Eremos saevientium primo necessitas persecutionum; deinde vero pia cujusq. voluntas. Quorum adumbrat vitam Apostolus, Hebr. 11. Circumierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti: quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes, in montibus, et speluncis, et cavernis terrae. Et hi omnes testimonio fidei probati ec. Horum omnis vita super terram cum esset militia contra Mundum, Carnem, Daemonem, 2. Cor. 10. In carne ambulantes non secundum carnem militabant. Verum carnis, sui que victores, mundum facile contemnentes, Ephes. 6. Adversus insidias Diaboli, et contra spiritualia nequitiae in caelestibus: arma militiae suae, non carnalia, sed potentia Deo, vibrare cogebantur. Cumque aliquando nimium quam saeve, et pertinaciter infestarentur, communi omnes consilio irremissas sese ad Deum, Deiparamque preces conjecerunt, opem, tentationumque remedium orantes. Et exorantur denique. Revelatur divinitus, comprecantibus; ut, si a tentationibus se liberatos, contraque eas vindictos (((p.11))) vellent, intepescentem jam diu per vulgus Christianum psalterii Jesu et Mariae usum ferventium exciperent, et constantius frequentarent. Ut factum haud secus, ac dictum: continuo tentationum modus, finisque est subsecutus: simul Eremitica illa Monasticen numero mirifico crevit, et sanctitate, utroque in orbe toto, miris, et prodigiis celebrata. Postquam vero, (ut rerum sese omnium vicissitudines) etiam Eremitici aventus Instituti fervor deniq. remisisset: sensim devotionis, sanctimoniae, exercitiorumque collapsa disciplina, et in iis psalterii usus, tantam illam in Eremis asceticam Monasticen, in parem secum ruinam pertraxerunt, devastatore Mahomete. Quorum auctor sit Joannes quidam Graecus, qui plerasque Sanctorum Patrum vitas conscripsit.

6. Post hos Ven. Bedam excitavit sibi Deus, qui tota Anglia, Britannia, et Francia longe, lateque psalterii Mariani intermissam frequentationem, praedicationibus suis instauravit. Atque ex eo gentes illae: in primis Anglicana, in hanc usque diem eo psalterium hoc amore, et honore complexa est, ut passim in Ecclesiis videre esset suspensa, fixaque oraria complura, publicum ad usum omnibusque communem, quibus templum ingressi ad ea suas fundere preces, Deo libere, placuisset. Tenuit ea sat diu religio, sed et ipsa demum labentibus annis, usuque tritis, et deperditis in publico, ut vocababant, Patriloquiis, raritatem, ac sui, tandem in vulgus oblivionem accepit.

7. S. Benedictus porro Sacri Ordinis amplissimi Patriarcha dignissimus, ea cura et religione sanctum in psalterio salutarium cultum Dei familiarem sibi perpetuumque voluit et observavit sic, ut eo tam divinae Monasticae Institutionis Fundator, et Auctor fieri mereretur. Tanti Patris ab exemplo sacer mox chorus Fratrum universus per orbem late secum circumtulit psalterium. Et caetera praeter consueta Ordinis exercitia divina, istud quoque velut privatum quisque in delitiis suis discretioribus

deamavit interius, et in almam Virginem Matrem Sponsam Sponsi sui, sancta quadam familiaritate cordialius dissuaviavit. Ut Doctor quidam Joannes de Prato traditum reliquit.

8. In illa exercitatus perfectusque schola s. Otto, in Ecclesiae praesidium, ac fidei proferendae incrementum a Deo ad Episcopatum, adeoque Apostolatam evocatus, Selavia tota, cum fide Christiana, psalterium praedicavit, quo novella plantatio ad Christum, Christique Matrem precum suarum, velut debitum pensum reddere docta, consuescebat. Quibus praedicabat; orare, et sic eo; orare condecebat: quos baptizabat, eos et psalteria secum quaqua versus, ad orandi assiduitatem capescendam, circumportare jubebat. Quae coepta pia consuetudo ad omnem retro valuit posteritatem: ut hoc ipso etiam tempore utriusque sexus viri, et foeminae, cujusque gradus, et aetatis, e collo suspensa, torquis instar, gerant psalteria.

9. S. Maria Oegniacensis una, sanctum hac in re caeterarum Virginum Deo Sacrarum morem, in Coenobiis per frequentem, suo satis testatur exemplo. Proditur de ea, quod in dies singulos totum Davidis psalterium Deo recitaret isto eum ritu, ut **((p.12))** psalmis singulis singulas quoque Salutationes Angel. subjiceret: quarum, ut istorum, numerus demum illum psalterii Mariani CL rite complebat. 10. S. Dominicus Loricatus (quod sibi cognomen invenit a Lorica, qua super nudam constricta illigatus vitam exegit). Is, inquam, scibitur a s. Petro Damiano, quotidiana novies istuc, aut decies perorasse psalterium, cum ferratis disciplinis. S. Bernardus, specialis Mariae sponsus: mirifico zelo idem hoc psalterium, propagavit, ex exemplo illustravit, et ad psalmodum Davidis numerum, sententiamque concinnavit, sicut et vidi, et tenui. Fuit id viro divino certum instrumentum ad tantam vitae sanctitatem, quantum vidit orbis, invidit orcus, hodieque veneratur Ecclesia. 11. S. Dominicus post eum, primus idem sacri Ordinis Praedicatorum Dux, et Pater inclytus, vel tenera ab aetate Christo, et Deiparae in hoc precandi ritu, devotus adeo fuit, ut assidue psalterium oraret, versaret, gestaret, robustioribus vero annis, in caeteris suae Religionis, ac praedicationis exercitiis, ad illius recitationem, inflictam sibi ferrea catena disciplinam, ter ad minus omni die repetitam, constanter usurpavit: et ita frequenter quoque, ut aliquando per diem octona, aut dena etiam psalteria dictum ad modum orando persolvere tradatur. 12. Iste est Apostolus ille psalterii, de quo alma Dei Virgo non semel ei facta revelatione, Mandatum, formamque dedit ejusdem praedicandi, et vere praedicavit, circumque tulit per omnem Hispaniam, Italiam, Galliam, Angliam, et Alemaniam. Praedicavit, et psalteria publice in summos imos, mediosque distribuit quo cum illius usu Christianam muniret Religionem, pietatem accenderet, Ecclesiam propagaret. Et par fructus respondebat. Nec minus zelose suus ille Patris Sanctissimi Praedicatorum Ordo et frequentavit domi psalterium: et foris ad vulgus praedicando commendavit, tanti exemplo Patriarchae, et Magisterio, et quamdiu istud in Ordine hoc suffragium mansit, tam diu Religio haec in Scientia, Virtutibus, et Miraculis effloruit. Inde floruerunt eximii, ut Albertus Magnus, s. Vincentius, et quid numerem innumeros?

13. S. Franciscus, Patriarcha Minorum Fratrum humillimus, ille Signifer Stigmatum Christi Cherubinus, hoc psalterium oravit, et inaudita tum in seipso, tum in S. Ordine suo per idem designavit. Ordinique pignus hoc devotionis praecipue reliquit usurpatum. Certum sum me vidisse de signis manualibus psalterii ipsiusmet s. Francisci.

14. Certius quoque comperi, quod s. Lutgardis, s. Christina Coloniensis, s. Cristina Vaga, et mirabilis, plurimique sancti alii, atque sanctae psalterium istud sedulo trinerunt, et orarunt. Equidem

credo, omnem Religionem, et Ecclesiae Sanctae Statum ista in maxima semper habuisse devotione. Sicut idem magister Joannes de Monte in suo Mariali prosequutus scripsit.

15. Viciniora nobis commemoro. Est Sacrarum virginum Monasterium Gandavi in quo ab annis fere ducentis istud habeant psalterium quotidie, in Canonicarum Horarum vicem, persolvendum: inde usque a majoribus sic traditum, et acceptum.

16. Sed et pervetusti (((p.13))) codices evidentissime testantur ipso facto, me vera memorare: sicut in Gandensi Ordinis nostri Conventu, aliisque multis terrarum in locis doceri potest. Neque pene est natio usquam fidelium, ubi non virorum innumerorum, ac mulierum antiqua Patrilogia visantur, dictum ad modum, numeramque disposita, et collecta.

17. Verum enimvero, proh dolor abhinc annis 70. vel 80. per quendam, mihi bene notum, ex devotione ipsius singulari, divinum hoc psalterium fuit detruncatum, et ad solam quinquagenam redactum. Idque ea de causa, quod homines jam tum, etsi psalterium totum portarent nequaquam tamen perorabant, uti par, et oportebat. Quare ut desitum revocaret, inque usum paulatim restitueret pristinum a parte faciliori statuit inchoare: dum usus assuetudinem acquisisset orandi, et ab hac quinquagena, suavius homines ad veterem psalterii consuetudinem velut manu ducerentur. Quibus ex omnibus de plano liquet, quod docere, vel praedicare psalterium Virginis Mariae, minime de ulla novitatis nota justae suspectum haberi, culparique possit. Adeo ritus est antiquissimus, laudatissimus, et honorabilissimus in Ecclesia, tametsi per incuriam hominum, et temporum injuriam subinde torpuit neglectus.

CAPUT IX.

Quonam modo potuit res ea, diu tam miranda et gloriosa, in oblivionem abire?

Devotissime in Christo Pater, Vivis, Vincit, Vastitatem Trinitas Justissima, per psalterium Virginis innocentissimae. Pro quo turbatur imbecillorum mentes eo, quod fieri vix posse videatur, tale psalterium in talem incidisse desuetudinis foveam obrutum, verum cesset, et facessat ista pusillorum infirmitas.

I. Deus enim ab initio mundi, ac deinceps per multa annorum saecula, praeclare fuit mortalibus universis cognitus, cultus a paucioribus; et eo tamen usque in altam apud omnes demum homines oblivionis, ignorantiaeque tenebram devenit, ut sub Abrahae tempora vix ulli, praeterquam ipsi, notus fuerit et adoratus. Adeo universa terram, velut diluvium quoddam, inundarat idolatria. Quod ipsi Deo ter Optim. Maxim. inter homines evenisse novimus, id psalterio nostro contingere potuisse mirabimur? Et quisquam vel extitisse potius illud negabit, quam in parem cum ipso Deo potuisse recidere oblivionem sibi persuaserit?

II. De lege Moysi quid dicam: quanta fuit haec olim, et quanti? Quoties vero, et in quantam vel

apud ipsos Hebraeos, desuetudinem, contemptum, et oblivionem decidit? idque tunc quidem ex culpa gentis; nunc autem ex causa justa nominis Christiani, in orbem introducti, ceremonialia ejusdem, et judicialia quotusquisque, dicam pernovisse? imo vel recogitare animo dignatur?

III. Jura, Canonesque sacros Ecclesiae quis novit? non ignorat idem, quanto cum vigore olim, rigore observantiae Ecclesiasticae ((p.14)) culta fuerunt. Et ipsa tamen magnam partem diu per contrarium usum neglecta jacuerunt; hodie vero antiquata etiam, et prorsus abjecta, vix scirentur quidem, nisi psallentes quaedam et veterum redolentes chartae obscuram eorum memoriam custodissent.

IV. Quo mirabile minus eodem ignorantiae corruisse leges Imperatorum multas in Imperio, multa Juris civilis placita, et sanctiones.

V. Quot Doctores olim; Gentiles inter, Judeos, ac Christianos, et quanti, jam diu pie, vel de nomine solo cognoscuntur, quod ne fando quidem inaudiuntur? Quot, quanti quamque invicti Haeroes, Duces, Reges, pariter cum rerum ab eis gestarum memoria: quot mirabilium inventores; operumque mirandorum mirabiliores artifices, quanta maxima quondam celebritate decantati, lippisque, et tonsoribus noti, aeterno silentur nunc volumine ignorantiae involuti.

VI. Quo tot abierunt Regna Chaldeorum, Medorum, Graecorum, Resque publicae? floruerunt, defluerunt, exaruerunt, corruerunt, evanuerunt.

VII. Modus, ratioque, et ordo vitae Ecclesiasticorum sanctissimae juxta, et cultissimae, addo in oculis, inque animis orbis Christiani totius positae, quo recidit? Quantum hic mutatus ab illo? Ex omnium crasus ille foret notitia, ni veterum in monumentis adhuc spiraret.

VIII. Sacrarum Religionum observantiae prima facies omnium, jam nunc pro dolor, pervetusta, sc. vel in obscura transpareat umbra, videtur per quam venusta Religio. Quae ad instar olim steterit Cedrorum, nunc humi repunt, ceu steriles rhamni, humilesque merycae. Vigor ille eviguit, obrigit rigor, fervor intepuit, observantia, si non caliget, convivet. Si quae jam reformationes fiant: heu! novitates, et a non nemine phantasiae appellantur. Adeo, ut multi magna, et plurima sciant alia, et propria nesciant regularia.

IX. Quid igitur amplius movebit corda hominum dicta ruina psalterii? Praesertim cum ipse Dominus de sua ipsius Religione Christiana praedixerit: Putasne Filius hominis veniens, inveniet fidem in terra?

X. Ita nostra fert natura noverca, Platone et Aristotele testibus: quod ea sit ipsius conditio, rerumque omnium sub sole ratio, ut post processum generationis, et augmentationis decurrant ad finem decisionis: ac deinde rursus altero cursu repetito, innoventur ad statum regenerationis, et reparationis, non in numero quidem, sed in specie. Quapropter dictorum ratio perluculente probat de psalterio: potius id olim floruisse, quam nunquam extitisse. Sique tot inter rerum, ac tantarum vicissitudines, solum hoc psalterium nullos item manes suos perpessum doluisset; hoc vero

miraculum jam cum ipsa Ecclesiae navicula commune sibi praedicare posset. Ipsius igitur occasus, argumentum est prisca status. Eiusdem reformatio docet, qualis ejus prima fuerit instituta informatio. (((p.15)))

CAPUT X.

De Psalterii Renovatione, ex Deiparae revelatione facta.

Eximie servorum Christi Pastor, et Rector, Mortuis, Mittit, Misericordiam Trinitas misericordissima per psalterium Mariae Matris Misericordiae. De quo nolo reverendissimam Paternitatem vestram lateat, quod divina clementia hisce fieri temporibus notuit.

I. Orator quidam psalterii Mariae Virginis, toto ipso septennio horrificis daemonum tentationibus, aliquoties sensibiliter, et aliquando visibiliter tentatus fuit. Et ille pene annis istis omnibus nullam, aut parvam habuit consolationem. Deo tandem miserante apparuit ei Regina clementiae, quae quibusdam comitata sanctis eum intervisens, discussa tentatione a praesenti, eum periculo liberavit: simul suo ipsum ubere virgineo lactavit. Adhaec eundem annulo ex virgineis capillis suis ipsius Mariae Virginis facto, sibi desponsavit: mandavitque eidem, sub inevitabilis mortis periculo, et ultionis poena divinae, et psalterium hoc praedicaret.

II. Haec autem credere frequentius non valui, humanis ductus rationibus. Tandem vero altiore quadam, et interiore vi coactus sum isti revelationi assentiri. Idque ita, ut non solum ea esse vera credam; 1. Sed sciam quoque personam. 2. Et per signa infallibilia idipsum cognovi; non semel dumtaxat, verum persaepe. 3. Et hoc verum confiteor; et quantum scio, et quantum credo, sine ulla falsitate juro, haec esse vera coram toto mundo. Imprecans a Domino nostro Jesu Christo pie potius mori omni hora morte corporali, quam fallere in dicto, vel falli. Credat mihi, qui voluerit: qui autem non vult, in Domino quemque relinquo. Saepius haec praedicavi, et docui. 4. Et non ego solus hac scio de illa persona, sed plurimi viventes certissime de illa cognoverunt, non humana, sed sola Dei revelatione. Quo confidentius dicere audeam, quae dixi. Verum quia persona haec vivit adhuc, non possum eam nominatim manifestare, ob pericula vanae gloriae, mundanae varietatis, ac etiam tribulationis. Talia enim abscondi debent in vita, et post mortem laudari.

III. At dubium tamen videri poterit: quomodo lac Virginis Mariae tam gloriosus bibere potuit? Quia sic in corruptionem, et digestionem naturalem transisset. Respondeo: 1. Frivolum est istud. Sic enim potuit Lac Virginis aut verum de Mariae Virginis ubere; aut certum aliquod eliquatum reale, et corporale, pro tempore causatum in ore esse uber sugentis. Sicut lumen causatur in aere, manente semper in sole intrinseco lumine. Horum utrum fuerit, ignoro. Illud ipsa illa persona cognovit, quod fuerit suavissimum, candidissimum, et influxerit in os ejus, seque maximis cum gaudiis diffuderit per omnia ipsius membra corporis, vel in substantia, vel in influenza. Nec etiam impossibile est, D. Mariam Virginem etiam nunc habere lac, aliisque communicare. Cum lac non sit de essentia (((p.16))) corporis gloriosi, sed accidens. Sicut, et corpus illud, quod viscera Sanctorum implebit, ne sint vacua, secundum s. Thomam 4. dist.44.3. Imo dictu mirum foret; uber B. Virginis impotentius esse, quam ubera mortalium sint mulierum: quae habent, et generant in se lac ex interiori corpore, et id inde communicare possunt. Nolo equidem hic adeo coarctare, vel claudere divinae viam

potentiae. 4. Quod si non est verum lac in uberibus Dei Genitricis Mariae (quod durum dictu est) saltem ibi est aliquod corpus admirabile, supplens vicem lactis: ex quo poterit divina virtute aliquod causari, et per influentiam quandam corpus aliud in lactis similitudinem mutari. 5. Quod si nec lac, nec corpus aliud lactis loco, ibidem fuerit (quod est dictu nimis singulare) nihilo tamen minus quisquam Virginem Mariam privare audebit potentiam communicandi sese ad sugendum: ad minus per affluentiae, si non per modum substantiae, credibile est ergo talem Sponsum lac suxisse Virginis gloriosae, ad modum aliquem supra dictum.

IV. Sed quo id modo in singulari, ignoro. 1. Nam, quae sunt in terris, vix cum labore agnoscimus: quae autem sunt in coelis, quis investigabit? inquit Sapiens, cap. 9. Nemo enim novit, quae sunt, vel quae est gloria Beatorum, nisi spiritus Dei, et cui Dominus voluerit revelare. 2. Inde accepimus s. Bernardum Mariae Virginis ubera suxisse. 3. Inde Lac Mariae Virginis in terra, caeteras inter reliquias, multis in Ecclesiis reperitur. 4. Parique modo s. Catharina Senensis de fonte Lateris Christi copiose bibit. 5. Et Sanctorum quidam etiam de SS. Vulneribus Christi biberunt: ut adusque inebrationem spiritus, cum inenarrabilibus gaudiis tracti exultarint: quis autem ausit affirmare, isthaec meras fuisse, vanasque phantasias, praesertim cum Ecclesia refutet phantastica, et condemnet, ut quae daemonis subjacerant potestati secundum Theologos.

V. Dubium alterum de Crinibus occurrit B. Virginis Mariae. Quo ea modo decapillare se potuit: cum ad gloriam ejus capilli, et decorem pertineant? Dico 1. Vel Crines fuerunt divina potentia, modo inscrutabili Virgini Mariae sic formati. Vel jam diu sic uspiam in mundo conservati. Utrum autem horum fuerit, ex persona tali non cognovi. 2. Credimus tamen firmiter Mariam Virginem in corpore nunc assumptam, et crines verissimos, et pulcherrimos habere: qui non sunt de substantia corporis gloriosi, sed tantum de decore. Quocirca possunt citra gloriae imminutionem Beatissimae Virg. removeri. 3. Credendum est etiam: quod si corpus gloriosum habeat potentiam ad crines gerendos; ad producendos etiam ex sese crines habebit amplioem, et potentius, quam ullum corpus naturale.

VI. Singulare est autem illud de Annulo. Qui quidem optime sentitur a quibusdam, rarius autem videtur. Quod supradictis universis est mirabilius. Eo quod ibidem quaedam quodammodo gloriae subtilitas appareat. 1. Et quantum ad me, hunc Annulum tetigi, non sine magno gaudio, nec humano, sed longe altius majore. **((p.17))** 2. Credant mihi, qui voluerint: quia jurejurando hoc affirmo. Si autem noluerint; quid ad me? Haec, quae dico; aliter, quam dicam, probare non possum, nec audeo. Plurima tamen cognovi hujusmodi signa facta admiranda. 3. Posito etiam casu, quod hujusmodi, quae narro, omnino sint falsa (quod nequaquam credo) nihilominus tamen remanet, ac constat dignitas, et veritas psalterii Virginis Mariae, ex dictis hucusque capitulis, ac porro producendis.

VII. Unum tamen dicam: 1. Quod carnalis homo non sapit ea, quae Dei sunt, vel quae spiritus; juxta divini Verbi sententiam: et nemo novit de hisce donis, nisi qui accipit. 2. Imo, qui acceperunt ista, lumine revelationis decedente, revelata vix aliquando credere possunt. Sic Propheta Jeremias, adveniente spiritu Dei, et mysteria nova revelante, credidit, et praedicavit. Sed deserente eum lumine divinae revelationis ad tempus, ait humano modo, cap. 20. Seduxisti me Domine, et seductus sum. 3. Idcirco, quamvis haec credi possint, humana tamen apprehendi scientia non possunt, multoque minus diabolica sapientia. Cujus ratio est apud D. Thomam, quia divinae revelationis lumen, naturalis cognitionis lumen totum excedit. Est enim tale, de quo in psal. 35. In lumine tuo videbimus lumen. Quare tali carentes lumine, de revelationibus divinis judicabunt, sicut coeci de coloribus. Atque ideo tali destituti luce viri quoque boni, ac devoti, in coelestium

revelationum iudiciis errare possunt, ut saepe compertum est. Nisi luminis loco signa, aut prodigia, aut miracula habeant evidētia. 4. Jam vero nec exempla Sanctorum desunt annulo desponsationis subarratorum Christo. S. Catharina Martyr annulum tulit desponsationis a Christo, similiterque s. Catharina Senensis, cujus cor insuper modo quodam admirabili, soli Deo noto, in cor Christi fuit transmutatum. De quibus pari modo posset dubitari quoad materiam, et de qua fuerint substantia.

VIII. Itaque hujusmodi cavillationes soli humanae prudentiae, ac scientiae innituntur. 1. Ac si Deus, in cujus potestate cuncta sunt posita, facere non posset, quod per naturam fieri non potest. Quae haeresis est. Cum miracula totam naturam creatam transcendant. 2. Ad haec eum isti in errorem impingunt, quod consequenter negare debeant esse miracula: contra fidem Ecclesiae, et experientiam, de qua equidem certissimus sum. 3. Illam quoque in collecta profitetur Ecclesia, qua dicit: Deus, qui Ecclesiam tuam novis semper tribuisti coruscare miraculis etc. 4. Miraculum est, peccatorum conversio, quam in maximis Dei miraculis numerat ex s. August. s. Thomas. Ita quoque s. Eucharistiae transubstantio summum esse Dei miraculum semper habitum fuit: quod haud dubie, citra comparationem, quibuscunque majus est revelationibus. Qui igitur operatur talia, nihil est, cur patrare minora, non queat. Quapropter agnoscant hujusmodi haesitantes, quod tametsi divinae revelationes credi possint, nequaquam tamen demonstrari possunt, nisi illis, qui habeant idem lumen revelationis. (((p.18)))

CAPUT XI.

Utrum dignitate, et virtute praestet Psalterium Davidis, an Deiparae?

Colendissime Rector animarum, veritatem dat Trinitas Laudatissima per Psalterium Virginis, quae Mater est veritatis. De quo vanitas quorundam curiosa magis, quam docta quaerit: utrum nobiliter sit Davidicum, an Psalterium Angelicum. Ad odiosam hanc comparationem sub distinctione respondeo.

I. Pro Davidico. 1. Ubi major est devotio et charitas in orando, ibi et majus est meritum: hujus namque pondus ex charitate descendit. Per hanc minusculum opusculum bonum altioris est meriti, quam praegrande citra ipsam. 2. Causalitate praecellit Davidicum. Nam id causa fuit disponens, ac praefigurans Angelici. 3. Significatione: quae expressior inest Davidico, quam Angelico. 4. Antiquitate. 5. Orandi labore paenali. Nam Davidicum quo prolixius, eo, quam Angelicum est, et decursu laboriosius: sed meriti quoque majoris, in charitate pari. 6. Intelligentia planiore. In eo enim pluraeque pluribus docentur et explicate. 7. Auctoritate: quippe ex antiqua Lege, nova probatur, non e diverso. 8. Devotionis usu, et frequentatione per Ecclesiam, ut in qua idem Divini Cultus partem haud minimam, publicam, Ecclesiasticam, et quotidianam inde usque ab origine venit. 9. Extensione majus est; ut quod ad plura pateat usu, adque plures. 10. Voluminosa prolixitate, ac mole majus est.

II. Pro Angelico. Hoc antecellit alteri. 1. Fine. Hoc enim illius causa finalis erat. Finis autem nobilior est his, quae sunt ad finem. 2. Perfectione effectus, qui fuit Verbo Caro factum. 3. Temporis gratia. Est enim Novi Testam. initium, quod prae vetere est nimium quantum. Vivus homo picto quanto praestator? At vetus Testam. pictura fuit, et figura novi. 4. Efficiente, nam Angelicum fecit SS. Trinitas, Archangelus attulit Mariae, auxit Elisabetha, complevit Ecclesia. Davidicum a

peccatore factum est, et traditum Synagoga. 5. Veritate. Nam docet de praesenti, Davidicum de futuro. 6. Hoc pactum in umbra, istud in luce fuit. 7. Effectu; nam est consummatio, perfectioq. Davidici: hoc enim absque illo vanum extitisset. 8. Exitu nam in coelum inducit: Davidicum vero ad infernum seu limbum transmittebat. 9. Efficacia. Quia per Angelicum facta pax est universalis. 10. Eventu. Quod Jesus, et Maria per Angelicum diviniora sint adepti, quam ex altero. Christus quidem, Homo Deus factus: Maria autem Deipara Virgo facta fuit, quibus majus facere Deus nequit. Quae causae isthuc quoque valent apud Jesum et Mariam, quod coronariae preces eis tanto gratiosiores accidant, pondusque ad flectendos majus habeant, quanto pretium illis inest divinius.

III. Dices. Non vox Angelica annunciationis, sed illa virgineae consensionis: Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum Verbum **((p.19))** tuum: illa, inquam, rem confecit, ut substantialis effectus ad eam fuerit consecutus. Respondeo: in Salutatione Ang. duo sunt attendenda. 1. Nuda verba, sonusque vocis: et sic illa Mariae efficacia fuerunt, non Angeli. 2. Intentio Dei omniumque Coelitem formalis, quae verbis annunciationis inerat, ad incarnandum Verbum, Deiparamque impregnandam: et ista effectui intenti fuit productiva. In qua ipsa tamen vox Virginis continebatur virtute, ut quae nihil penitus esset ab intentione Dei dissensura, quo Annunciationis Incarnatio sortiretur effectum. Eandem ad mentem, ad modum Ecclesia capit Annunciationem, cum annum de ea festum agitat, rem intentam, atque paratam recolens potius, quam mera verba, quae medium rei fuerunt, ac instrumentum.

CAPUT XII.

De utilitate, fructuque multiplici Psalterii.

Laudatissime ovium Christi medice, justitiam donat Trinitas misericordissima per Psalterium Virginis justissimae notum illud date, et dabitur vobis. Si igitur quotidie Rosas divinae excellentiae quindenae obtulerimus; spes est premii, fructusque referendi paris, juxta illud Christi: *Centuplum accipietis*. Rosas appello, sacras voces Salutationis, quam rem intentam, peractamque recolunt, et spectant, debita cum devotione, ac coronarium psalterium quinquagies supra centies singulae pronunciatae, oblataeque Deo per Advocatam Divam, Divorum Reginam Mariam. 1. *Ave*: quasi sine vae, fructus est, liberari a vae peccati. 2. *Maria*: illuminatrix, vel illuminata, fructum profert illuminationis in mente. 3. *Gratia*, meretur in Christo fructum gratiae divinae. 4. *Plena*: ditat bonorum caelestium abundantiam S. Dominus uti facit inimicis posse dominari. 6. *Tecum*: Mentem vertit in SS. Trinitatis sedem, ac Templum Dei. 7. *Benedicta*: dat benedictionem in donis spiritualibus singularem. 8. *Tu*: eximiam in Deipara Dignitatem demonstrat, ut eidem olim confirmari mereamur. 9. *In Mulieribus*: misericordiam provocat. 10. *Et Benedictus*: attrahit benedictionem in orationes nostras. 11. *Fructus*: Bona Spiritus S. confert. 12. *Ventris*: Castitatem adjuvat, et custodit. 13. *Tui*: Virgini Matri proprium orantem dedicat. 14. *Jesus*: Salvat. 15. *Christus*: Unctus: meretur devotionem ad SS. Christi Sacramenta, istaque singula sacrae sunt consona Scripturae, et nihil adversa. Sunt autem piaecuidam virsent assignari. Et tantorum instrumentum meritorum psalterium quisquam Christianus minoris justo aestimarit? Quod si ex Collecta, aut quacunque precatiuncola in honorem cujuscunque Sancti recitata, fructus pie sit sperandus: quanto magis ex oblato psalterio incomparabilium duarum preclararum, in quibus nihil, nisi pure divinum inesse credi debet. Quod si etiam honestae cuicunque **((p.20))** matrone. CL. Munuscola dones, honore dignus et favore censcaris ejudem: quanto suis. Deipara Coronariis diviniora refundet? Hoc totum ipsa devoto cuidam revelavit.

CAPUT XIII

De Indulgentiis ad Psalterium promerandis.

Vicarie Christi Venerandissime cum Apostolica dignitate I. Pon. Max Joannes XXII. Indulgentiam 24. annor. 34. hebdomadam, et 1. dierum concessit orantibus Psalterium Mariae: quod CL. Salutationibus Angelicis constare definit. Bullae transumptum vidi: autographum Avinione in conventu nostro asservatur, ut audivi. Item 60. dies indulget ad clusulum cujusque Salutationis addentibus voces Jesus Christus, centies vero, et quinquagies 60. dies Indulgentiae additi supradictis ingentem numerum conficunt. Alias complures condonationes factas praetereo.

CAPUT XIV

Quis modus sit orandi Psalterium.

Nobilissime Animarum Christi nutritor. Modus hic referam aliquos, tum ex traditione majorum acceptos, tum ex revelatione Virginis Alme. I. Modus. Directe ad Christum orare. Et sic Prima Quinquagena oratur ad honorem Christi incarnati, Secunda, Passi, Tertia, Resurgentis, Ascendentis, Paracletum mittentis, ad dexteram Patris sedentis, et venturi ad iudicium.

II. Modus. Mediantibus sanctis ad Christum orare. Et sic prima offeratur per salutatos B. Mariae sensus, aut membra quinque honori Jesu Christi. Ut per oculos Mariae, quae Jesum viderunt, labia quae osculata sunt Jesum ec. Quo servit, imaginem Deiparae objecisse oculis mentis, aut corporis.

Secunda: Ad quina Christi Vulnera singula singulas in orbem, vel ad membra omnia Salutationem Angelicam dicere: quo confert, iconem Christi intueri. Neque necesse est sensum cogitare verborum, sed vulnere dolore, meritum ec. devote medicari. Tertia: Ad memoriam Saucorum, quorum libuerit. Huc conducitur per Altaria, Templi obire animo singula, ibique sibi imaginari Angelos, Patriarchas, Prophetas, Apostolos, Martyres, Confessores, Virgines, Viduas, Conjuges sanctos ec. perque horum honorem, ac merita Christo Deo litare preces coronarias.

III. Modus: in ordine ad virtutes vertere intentionem. Ut pro obtinenda Fide unum *Ave*, aut decadem fundere: pro spe item ec. Similiter in ordine ad vitia depellenda. **((p.21))**

IV. Modus: Cum fit oratio pro proximis, ut pro Ecclesia, Papa, Clero ec. pro Imperatore, Magistratu ec. parentibus. Item, et pro inimicis utrisque iis tam vivis, quam vita perfunctis.

V. Modus: Cum oratur in ordine ad humana officia, ut pro Pontificatu, Imperio, Sacerdotio, Militia,

Judiciis ec. Hosce modus reperi in Mariali nostri F. Joannis de Monte ubi historiam de Maria Comitissa conscribit. De qua: *part. 5.*

CAPUT XV.

Quod praedicari, docerique privatin, ac publice debeat Psalterium.

Illustrissime Presul, Apostolorum imitator.

I. Dicitur Marc. ult *Euntes in mundum universum, predicate Evangelium omni creature*. Atqui Psalterium B.V. Mariae est Evangelium: constam enim ex duobus, quae implicite, quiequid usquam est in Evangelio, complectuntur. Ergo praedicandi necessitatem imperat officium. Nec psalterii numerus repugnat Evangelio; sed in majorem huius laudem; meritumque ea cedit repetitio tam sancta et salutaris.

II. Ordinis autem Fratrum Praedicatorum proprium est, planeque peculiare psalterium isthoc praedicare. 1. Idque ex professione, Nomine, Instituto, Exemploque s. Patriarchae Dominiei, qui (ut nuper revalatum est ab ipsomet) maximam suorum laborum, consiliorum, exemplorumque partem hac in cura praecipua cunsumpsit. 2. Idem tum ex Traditione accepimus, tum ex relictis scriptorum monumentis, ut legi. Quo temere magis Dei mandato resistunt. 3. Accedit, cum praedicandi officium sit propter Fidelium aedificationem, ac salutem: quid utilius in medium afferri poterit isto psalterio, cujus preculis orbi summam utilitatem, ac salutem collatam esse constat?

III. Officium Praedicationis, et Operationem Psalterii, invicem componamus. 1. Cum praedicatio sit ad facendam animabus medicinam: hac autem Evangelia duo Dei sunt beata apotheca: ergo praedicanda. 2. Praedicationis est, illuminare? Ecce Luminaria duo hac. 3. Est, ad virtutes Ecclesiam promovere? Eu adjuncta hac, incitamenta. 4. Est, extirpare vitia? Ecce instrumenta sacra duo hac. 5. Est, Fidem corroborare? Ecce duo hic Fidei fundamenta prima. 6. Est, accendere animus daemonem, Mundum, Carnem; erigere ad Deum? Ecce faces; et ignes caeli duos hic. 7. Est, avertere a malo mortis, damnationis? Ec. Ecce duo gladii hic flammei, et plusquam Cherubini. 8. Praedicationis est, Honorem Christi extollere, et profere? Ecce praeconia duo, quibus simile nil usquam, nihil unquam extitit. Quid plura? *In his universa Lex pendet, et Prophetiae.*

IV. Dices. Ex tali praedicatione, esse dispicatu poterit Praedicatur. 1. Haec, inquam, vana est, et vesana superbia concionatorum. **((p.22))** 2. Si quaerant alta, si magna, si sancta, quid prae duobus istis? 3. Si nova, si docta, si copiosa explicatu, hac ipsum sunt Testamentum Nuvum, scientiarum scientia, divitumque divitiae, ac thesauri. In iis Trinitas SS. eminet; Incarnatio residet, Fidei documenta continentur universa. Quo zelosius praedicanda sunt ab omni illo, qui esse Dei, qui coli, adorarique Deum desiderat.

V. 1. Oratio cum princeps in Ecclesia medium sit, a Deo datum Fidelibus, ad omnes, seu bunum obtinendum, sea malum avertendum. 2. Cumque una sit partium paenitentiae, ad satisfactionem spectans: utroque autem summmopere Christianum vulgus indigeat, omnino necesse est concionatoribus, ad orandum Deum exhortari populum. 3. In Veteri Test. cujus rei frequentior, aut ardeutior occurrit cohortatio, atque orationis, et paenitentiae. 4. Neque secus in novo, vel a Christo,

vel Apostolis aliud perinde inculcatum reperitur. 5. Neque Ecclesia habet quiequam, quod pari instantia intermissa frequentet, ac eadem illa duo. 6. In omni Religione, vel Ordine nil iisdem majori est curae, vel opere. 7. Jura ipsa Sacra, et Civilia pariter illa praecipunt, adque ea compellunt. Et Praedicator ad ea mutus, tardusque torpesceret? 8. Sancti demum quo, vel perfectiores, vel admirabiliores extiterunt, eo familiariores frequentarunt oratione, ut nec absque his miracula designarit unquam.

VI. Psalterium vero is talis est Orandi ritus, qui continet docet, et eam frequentat Orationem, quam solam docuit Jesus, Salutationem eam, quam Caelo delatam accepimus. Nihil hae ex homine, nihil aliunde, ex Deo solo habent omnia. Cum autem divinis sub officiis Ecclesiae, fidelibus sit orandum caeteris, quid orationum divinius reperire usquam possunt, Psalterio Dominico, et Angelico SS. Trinitatis? Quod etiam praedicandi, commendandique argumentum par ist: adinvenire concionatores valebunt? Hinc constanter affirmo: Praedicare Psalterium, nihil est aliud, temptum, Ecclesiaeque reverentiam. Enimvero amorem, usumque orationis hujus in homine, citra mutationem dextrae Excelsi, versari non posse existimo. Quocirca dictas in fidelibus operationes facto ipso pene necesse fuerit sese declarare. Quae vera est populi emendatio, vitaeque Christiano digna.

VII. Effectus igitur Psalterii is est, ut proclivis in pessima quaeque mundus per illud reformetur, dante Jesu, interpellante Matre Jesu, cooperantibus Psaltis, et Praedicatoribus zelotis magis, quam pomposis. 1. Scimus istud testibus multis, multis in nationibus sic evenisse: et multa ipsi vidimus idem experientia: et audivimus multos Pastores cum gaudio id ipsum expertos commorare. 2. Oh si huc proles suas ad psalterii usum assuefacerunt parentes, quam ad omnia tractabiles eos, et habiles forent expeeturi? Quantis domum, posteritatemque suam benedictionibus Dei nactam bearent? In exemplum nominamus solum Dominam Joannam ex Britannia oriundam, Comitissam in Hispania Gusmannicam, quae huic suum filiolum Dominicum innutrivit disciplinae, (((p.23))) 3. Ad eandem si patres, matresque familias servilia sua cohortarentur, obsequentioribus, fidisque magis uterentur. 4. Rem sanam omnino, salutaremque Confessarii facerent, si paenitentibus paenitentiae injungerunt, non per obligationem, sed ad devotionem procumulo meritorum. Id quod s. Dominico per quam erat familiare, peneque solemne. Nec absque eximio animarum fructu.

VIII. Utinam et Plebani facilem hanc pietatem, rudique vulgo percommodam, parrochianis inculcatam pervulgarent alium pecoris sui voltum, morumque faciem essent aspecturi. Quod in Regno Daciae, quidam nomine Christianus, animarum Curio celebris, expertus didicit, et libenter sapius commemorare solebat. *Exercui, ipse inquiebat, meque amnis jam retro multis exercui praedicando officium pastorale: diversas omnis argumenti materias, generaue dicendi in medium proposui, ad omnem modum illas, formamque orationis versavi; nulla earum parte verum omissa; quae ad docendum, movendumque mihi factura videbantur. Sed in ventum omnia, ut ajunt, et matris in unlas ferebam. Demum postquam multi et anni steriles mihi cederent, et labores perirent inanes, et vires adhebescerent labentis aetatis, nec fructus inter subditos ullus responderet: illud ezperiri statuebam argumentum praedicandi, quod isthuc usque adeo negligebam, ut vix dun in potrenis ponerem: orationem alias quidem persaepe, suaseram, ac psalterii orationem numquam, ut nec cathedra mea dignam, aut parem eum aestimarem. Psalterium denique commendare instituo: Almae Virg. Matris Mariae patrocinium, in vota per illud vocandum, praedico serius, aut citius, actae supremum vitae periculum, et exactae judicium, instare cuique denuncio: nihil hac salutaris Oratione Domin et Angel Salutatione, nilque usurpatu facilius excogitari posse perantiqua illa ad Psalterium Christi, ac Mariae pietate praedico. Caepo instebam proposito, repto ingeroque idem,*

et sic annum occupo dimidiatum. Affirmo: major inde animarum, morumque consecuta est mutatio, quam me videre unquam memini. Haec vis ab usu psalterii est. Quid bene Pastor agis? Tune An Christum praedicas? Quae vix ipse capis, ea tamen praedicanda consecraris: quid agis, nisi ut nihil intelligaris? *Altiora te ne quaesieris, Eccles. 3. et fortiora te ne scrutatus fueris. Sed quae praecepit tibi Deus, illa cogita semper, et in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus. Non est enim necessarium ea, quae abscondita sunt, videre oculis tuis ec.* Manibus tu pertracta tuis, traetareque doce Psalterium Christi, ac Mariae. Hinc fructum speres animaequae trae, proximique saluti. Istud ad omnium aptum cadit intellectum, et captum. Memineris Pauli: Tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi non escam. Quaesita longius, aliisque praedicata, hac influunt, effluunt alia; quid alios volare doces, qui vix reptare potes? Castrum in luto struis hac, illa destruis. Non sic non heu placere magis quaeras, et aures hominum **((p.24))** demolcere quam salvare animas. Sin, et tuoapte jaculo, Psalterio nitere, utere, fenere. Tota tenet, qui alta timet. Altus est in humili, olarus in obscuro, qui exaltat humilia, et obscura illustrat. Obscurum, et humile videbitur, Psalterium praedicate, sed sapientibus sibi, non Deo: qui item exaltat humilia, et humiliat alta. Quamobrem, Pastor hone, consilium meum placeat tibi: misce praedicandi materias, aut cum Psalterio alterna. Salutare agnoscitur, et pronis accipitur auribus, ac animis, quod facile faciu, et esse familiare posse intelligitur. Hoc Psalterium est, hoc praedicari amant non in doctis humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus, ac virtutis. Crede, psalterium talis tantaequa plenum est ostensionis, et dives exemplorum, miraculorum dives.

IX. Dices. Summorum quorumque Virorum, et Doctorum monimenta forte nihil de isto meminerunt, aut ipsi nescierunt de psalterio. Mirum, inquam, satis videtur, quemadmodum (cognitis illis penitusque perfectis, quae hucusque dixi) summi in Ecclesia viri virtutem psalterii potuerint ignorasse, cum agnoverint tamen vim, et efficaciam Orationis Dominicae, et Angelicae Salutationis? Cum tanta spiritus vehementia, et frequentia ad Deum, sine intermissione orandum, ac deprecandum docuerint plebem, et compulerint? Cum nec de aliis hodie pervulgatis precularum formulis, quiequam meminerint, nec forte scriverint (praeter Canonicas), ut enim sacrae pcurae, et sculpturae praestabant plebi vicem historiae; ita globali precarii instrumentum erant illi vulgaris psalterii. De nomine vane, et curiose quaeritur, cum de re sancta consentitur. Quod si igitur prisca Patrum, et veneranda Antiquatas, psalterii rem agnovit, usurpavit, praedicavit quo subcumque nomine: quis sanus, ac pius, ut ignotum, ac ignobile ausit ducere, vel dicere Psalterium Christi et Maria?

X. Revelavit vero etiam aliquoties gloriosa veritatis amica Virgo Maria. 1. Quod Angelica Salutatio in maxima semper fuerit reverentia, idque vel in cunabulis Ecclesiae Christianae: hoc ita docebat: Apostoli Dominicae Annunciationis virtutem, accepto Spiritu S. multo praeclarius quibuscumque posteris, pernoverunt: simul et agnoverunt, se per ipsam primitias Spiritus accepisse. 2. Quippe fonti veritatis propinquiores, ac luminis, Addo: cognoverunt etiam, quod Divorum Diva Deipara in Testamento Novo causa rerum sacrarum fuerit secunda, Filius prima. Ex quibus clarissime perspexerunt, nihil sese donarum gratiae habere, nisi Virgine Maria mediante, Addebatque Maria: Apostoli utebantur hac Oratione, ac, utraque Dominica, et Angelica Salutatione, hac, inquam, vel ipsa adhuc vivente. Verum sic, ut eam, referrent ad Mariam subesse gratiae, et futurae gloriae, ac divinae providentia, prout ab aeterno B. Maria in Deo ideam sui habuit existentem. Quae ratio est mundi reperiati. 3. Addebat porro Virgo Maria. Quod ipsa sciens virtutem Annunciationis Dominicae, devotius eam dixerit. Nam secundum esse humanum naturale, colebat Mariam secundum aliud esse divinum gratiae, et gloriae. 4. Adjungebat: **((p.25))** quod Dominus Jesus, qua homo in hoc mundo frequentissime orabat, non necessitate, sed ad exemplum. Subjunxit item: Angeli, Sanctique in caelis etiam nunc assidue illam Deipara offerunt Salutationem futura,

Angelorum ruina sit reparata, mundusque renovatus. Haec vero sunt admiranda, multumque valere debent ad Psalterium. Novi personam, cui haec breviter dicta, multoque plura sunt revelata.

CAPUT XVI

Da Fraternitate convenientur sub Psalterii nomine instituta.

Amantissime Fautor, et Defensor Communitatis filiorum Christi.

I. Societas serventium Mariae Virgini in Psalterio, jam olim per sanctos Patres fuit inchoata: qui Dei nutu virtutem illius, et efficaciam cognoverunt, Praesertim vero s. Dominicus Praedicatorum Ordinis Patriarcha inclutus, divino fretus auxilio, ad multarum salutem animarum, specialiter ad hoc electus a Deo fuit, et in orbem missus cum signis, et portentis. Is jam olim inchoatam, ac dicavit, ac restitutam ita illustravit, ut ad novam lucem orbis abstupuerit Christianus, teste Joanne de Monte *in Mariali*.

II. Consistit autem Fraternitatis illius institutum in tribus. 1. Quod operam merita Sanctorum omnia communia sint, tam post vitam in aeternum, quam in vita, idque non communicatione solum universalis, sed illa quoque particulari. 2. Quod Fratres, et Sorores orare consueverint in dies integrum Mariae Virginis Psalterium. Et si quando illud quis omiserit, pro illa die, seu diebus, privatus meritis censeatur, in particulari et solummodo quo ad coronarias preces. Si omissa resumpserit die postmodum alia, in eorundem communem redit participationem. 3. Quod in ea Fraternitate nulla rei cujusquam, sub discrimine, metu peccati mortalis, aut venialis agnoscitur obligatio. Sciendam est autem, duo ipsius genera esse meritorum. Prius ex solo psalterium penso diurno persoluto. Et hujus omissio privat pro tunc in paenam omissi pensum merito. Alterum est ex aliorum operum bonorum usu, et exercitio, ut orationum, meditationum, dictorum, factorum, jejuniorum ec. Et talium meritis non destituuntur psalterium omittentes Fratres, aut Sorores: nisi contemptus mortalis, aut affectata malitia, aut pura, et supina interveniat negligentia: secus si causa fuerit rationabilis, ut infirmitas, labor, occupatio, tepor humanus, oblivio, aliudve tale. Haec vera est fraternitas charitatis, benedictioque Omnipotentis. Nam est in mystico spiramine, non carnali semine.

III. Dices. Omnium Christi fidelium merita sunt communia, juxta illud Psalm. 118. *Participem me fac Deus omnium timentium te* etc. frustra igitur ista fuerit communio. (((p.26)))

Respondeo. Tametsi merita fidelium ratione totalitatis sint communia, quatenus unum omnes corpus sumus in Christo non tamen ratione propriae partialitatis: sicut visus non est in pede per proprietatem, sed per directionem. Etsi in Ecclesia sit communio ex parte personarum, vel actuum singularium, et singulorum, per illis in specie certis, et non aliis. 1. Sicut Missa pro defuncto, etsi omnibus valeat ad debiti persolutionem, aut liberationem, per modum suffragii, pro qua nominatim intendebatur. 2. Quia, alias orans non magis sibi, quam aliis mereretur, cum pro se orare solo intendit. 3. Nec, cum datur eleemosina, aut Sacrum Missae patrat pro quodam nominatim, plus illi, quam cuiquam alteri, conferret. Quod repugnat rationi Justitiae. 4. Nec Pontifex, aut Episcopus uni majores, aut magis dare posset indulgentias, quam alteri, aut omnibus. Quod est

erroneum. 5. Nec aliis alii esse sanctiores possent. Quae haeresis est. 6. Male, irritoque effectu cuncti Religiosarum Ordinem unum, aut aliquos ad beneficia, vel ordinis universi, aut monasterii admitterent potius, quam caeteros, vel omnes. 7. Sequeretur item, quod nihil operans in parem tamen sortem, partemque communionis veniret cum bene multum operantibus. Quocirca non omnia semper merita in particulari sunt aequaliter communia cunctis.

IV. Quaeres: An particularis Communicatio dicta minuat proprium bene operantis meritum, ut participatio tua mihi cedat in detrimentum.

Dico. Spiritualia ista differunt a corporalibus bonis, ac fortunis, quod haec, communicatione minuuntur: at ista spiritualia, in ampliore plurium participatione ipsi operanti ad ampliorem, quoque cumulum meritorum excrescunt. 1. Sicut, quando diutius, impensiusque doces alios, tanto illustrior tibi crescit scientia. 2. Quare si ulla, hac certe in re, verissimum illud est Domini. Luc. 6. *Date, et dabitur vobis.* Et Matt. *Centuplum accipietis, et vitam aeternam possidebitis.* Si in terris datis id contingit; quanto magis spirituale meritorum donum, ipsa donatione tali, tanta in charitate, ad usuram piam, et actualium meritorum danti valere debet? Hinc s. Dominicus tanta hac exaestuabat charitate? Itemque, et sancta Catharina Senensis, ut, vel infernum invadere nil dubitasset ad majorem suam, proximorumque salutem. Zelator Christi, imitator Pauli, Rom. 9. *Optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus,* et Moysis pro Israele ad Dominum clamantis, Exod. 32. *Dele me de libro vitae, quem scripsisti.* Verus hic est fratrum amator, et pastor ovium, qui animam ponit pro ovibus, ac fratribus adjuvandis.

V. Dices, aut dubitans aut praefidens: per me metipsum, nemine conscio, eandem cum aliis constituam mihi communicationem, perindeque tantum merebor, quantum quicumque vestrum, qui istam ((p.27)) initis communicationem in publico per nominationem, pactumque publicum.

Respondeo. 1. Esto possis ita mereri tibi interiori merito, at exteriori non potes; hoc enim per charitatis exemplum altius habet publicae aedificationis meritum. Tu vero in candelabro luces; et velut tuae lucis fulgorem aliis invides: nec laudem Dei publicam exanges aut coronas, nec quenquam exemplo vel duces, vel moves aut ducis, qui tibi soli vivis. 2. Age, si cunctis eadem, quae tibi, meus foret in Ecclesia, ecquae ex convento, et communicatio consilio, auxilioque mutuo exercitia non agerentur? Quae cum ulla solemnitate celebrarentur Christiana? Omnino voluit, vultque Deus non mente solum in occulto, sed voce etiam, ac opere in publico laudari, adorari, praedicari. 3. Quid? si, quod ais, benefaceres in mente tecum tacitus, quid opere publico inque communi defugeres idem? Vel ipsius opera Dei perfecta sunt, et manifesta: et charitas, bonumque, sui est diffusivum, ad proximi utilitatem, non amat unius intra mentis latibulum obscurari, et squalere; sed qui bene agit, amat lucem: odit, qui male. Audi Dom. Matth. 5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent patrem vestrum, qui in caelis est.* 4. Auspice Ecclesiam, ecce habet ea Apostolos, Prophetas, Martyres, Confessores, Virgines, Praelatos, Religiosos ec. non mente sola tales, sed facto et opere manifesto. Ratio liquet. Nec enim solo spiritu constat homo, sed et corpore: quo circa etiam opera necesse, est hominum sint qua spiritualia, qua et corporalia. Quale quid vel in ipsis Sacramentorum institutis conspicimus. 5. Eccl. Stes 4. *Vae soli, quia cum ceciderit, non habebit sublevantem se.* Et Prov. 18. *Frater, qui adjuvatur a fratre, est quasi civitas firma.* Omnino enim meritis confidat, sibi que placeat: quia 1 Petr. 4. *Justus vix salvabitur.*

VI. Ad hanc igitur Fraternalitatem devotionis, et liberae voluntatis, non ullius necessitatis, veniant peccatores. 1. Quia nativo ligna succo virentis, aut aquis oppleta, ignem haud facile capiunt sola, nisi jam ardentibus adjiciantur. 2. Veniant just: quia carbo vivus emoritur solus: aliis junctus vivis, gliscit ardentius. 3. Veniant Religiosi: quia unum in pomario pomum, rosa in roseto una, tritici granum unicom nihili aestimatur: adjedtum vero ad cuniculum, hunc auget ipsum, et enum augetur numero plurimorum. 4. Veniant Mechanici: unus enim lapis, trabs una castrum haud constituit, sed multa. 5. Veniant Peregrinantes: quia comes facundus in via, pro vehiculo est. 6. Veniant praelati: quia sol absque stellis noctem luce non afflaret. 7. Veniant infirmi juxta, et sani: haec enim Fraternalitas est scala caeli, et devotionis. 8. Veniant pueri; ac mortui quoque inscribantur: et eorum, vel cognatus, aut amicus, aut alius quincunque pins, in dies aliquid, etsi nec, quam unum *Pater noster*, aut *Ave*, plus comprecetur pro iis, ad modum suffragii, faciatve eleemosynam etc. nomine confraternitatis (((p.28))) sentient tamen omnes, et experientur illud Psalm. 132. *Ecce, quam bonum, et quam jucundum est fratres habitare in unum*. Quibus de causis Diva Maria suo sponso mandavit graviter, et singulariter, isthanc suae laudis Confraternitatem, dudum collapsam rursus ad observantiam pristinam instaurare, ad majorem Dei, Deiparaeque gloriam, salutem mundi, et vitiorum extirpationem.

CAPUT XVII.

De Inscriptione in Fraternalitatis Nomenclaturam facienda.

Cultor Dei, et Ecclesiae Sponse colendissime. Convenit ex aequo, et justo, ut nomina Fratrum, ac Sororum in Confraternitatis Album inscribantur ob rationes Theologicas, Politicas, et Tropologicas.

I. Theologica Ratio. 1. Ob librum vitae. Quia Cultores Christi, et Mariae. *In libro vitae tuo omnes scribentur* Psalm. 138. Desertores, contemptores, vel osorres eorum. Psalm. 68. *Deleantur de libro vitae, et cum justis non scribantur*. 2. Ratio. In signum peregrinationis, et devotionis salvaturae. Ita filii Israel, et Aegyptum infrantes, et exeuntes inde, in desertum sunr descripti. *Num.* 26. 3. Ratio. Ob professionem quandam, qua se quisque specialem Christi, ac Mariae servulum, in Psalterii cultu, esse, censerique velle profitetur, ad participandum omnium fraternalitatis meritorum, in vita, et post mortem, communicationem. Ita Laevitae a Moyse. *Num* 11. numerati sunt, atque descripti. 4. Ratio. In signum divinae punitionis devitandae. Sicut qui signo Thau signabantur, ab occisione servabantur *Ezech.* 5. Ratio Theologica in signum electionis, et conservationis. Sic, *Apoc.* 7. recesentur descripti ex omni tribu Israel 144000, signatorum, qui a plagis Angelorum quatnor praeservati fuerunt. Atque Psaltae Christi, ac Mariae haud paullo digniores sunt censeudi, quam Judei, nec Moyse minor est Maria; nec Angelica Salutatio, scriptura Moysis est inferior.

II. Politicas Rationes quinas assignamus, ob quas rite inscriptiones in Rebuspublicis frequentantur. 1. Ratio. Heroum, et nomina in tabulis, et in historiis res fortiter gestae consignari volunt, ut aetatem ferant, ac memoriam, gloriantique tueantur. Quanto justius coronarii psaltae Dei in piorum nomenclaturam inscripti observantur? 2. Ratio Civilia usurpat confrateruigates alias rectas, et licitas, atque pro his nominum inscriptiones, ad haste etiam pecunias certas dependendas. Ut sunt Fraternalitates sanct. Antonii, Sebastiani, Annae ec. Nec absque Pont. Max approbatione. Quibos, et statae paenae in certa quaedam sunt decretae, et pendendae. Quo admirabilior Psalterii est

Fraternitas, quae istorum quicumque nescit, vel admittit: atque ideirco tamen inscriptionis tanto observantior. 3. Ratio. Magistratum, Dignitatum, Officiorumque gradus, ac ordines in Ecclesia perinde, ac in politia diligenter, magnifice, ac solcite conscribuntur, in spem fidemque memoriae. **((p.29))** Matriculas item observant complurium instituta, ut Academica, Cathedralia, Parochialia, Baptismalia ec. Et vero Marianae laudis officium; quanto fit prae istis talibus humanae dignitatis, nemo non plenissime videt. 4. Ratio. Codices sunt, ac iudices reddituum, donationum ec. in Curiis, Collegiis, Urbibus ec. Quae par autem donatio, vel redditus ec, meritorum communicationi Fraternalitatis nostrae. 5. Ratio. Tyrones, ac Veterani milites juxta unum in librum militiae sub signis inscribuntur, unde et lustratur exercitus. At Confratres nostri profitentur militiam, sese militaturos bonam, sub signo psalterii Jesu, ac Mariae, adversus Carnem, Mundum, et Cacodaemonem. Quid est igitur, quod tali, tantaeque Confraternitati permissum minus, aut laudabile quiddam censeant Aristarchi, ac Momi, quam cuius alteri communitati, quod in album inscribendi Fratres, ac Sorores pie receptum morem custodiant?

III. Tropologicae, sive Morales Rationes suppetunt plures, quae ad eminentiorem virtutem perfectionem Inscriptiones amant, et observant.

1. Ratio. Ob Fidei Receptionem. Viris enim pene innumeris in Album relatis devotio crescit inscriptis, et admissionis ad communionem dubium cessat. 2. Ob spem salutis certiorum. Haec enim cum peccatoribus vacillare posset, mirifice roborantur ii cognito, tot sibi Confratrum merita in subsidium esse parata, quae cum functis suffragentur ad liberationem, aut majorem ad gloriae cedant coronam. Verum namque Gregorianum illud opinor: *impossibile est, multorum preces non exaudiri*. Quod si inscriptionis liber non ipsis subjiceret oculis tantum numerum incriptorum; multis forte is aegre ad fidem accederet, quamque pene desertam a plerisque Fraternalitatem putaret, ipse quoque tanto minoris duceret: desereret citius. Litera scripta magis, quam vox audita, movet, expertus loquor. 3. Ob exemplum: quod solus incriptorum numerus inspectus de se praebet, praesertim tepidis, aut peccatorum nausea adoppletis, ut solo viso hoc albo tanto sui similium multorum; dissimiliumque, vel rubore, vel terrore, vel spe, et amore frugis melioris afficiantur. 4. Ob animi demissionem incriptorum, qui gaudent promiscuo maximorum, medioximorum, infimorumque numero permisceri humilitate pari. Non parva demissio est, se servum inter conservos Jesu, et Mariae confiteri, se aliorum etiam minimorum merita expetere, se humiliter supplicem Deo esse velle, se tumores arrogantium, invidorumque rancores flocci pendere. 5. Ob Justitiam q. d. inscripti: profiteor aequum, justum, debitum esse, ut Christo, ac Mariae, in isto praesertim, ac singillatim divino cultu psalterii sancte deserviat. Citra enim opem istorum justus fieri, esse, perstareque nemo valet. 6. Ob Religionis cultum exteriorem in Ecclesia. Qui cum publicus sit in exemplarem aedificationem, publica quoque, solemnique incriptione velut contestandus est. Neque tamen possessae Religionis normam **((p.30))** tibi, formamque isthic inesse persuaseris, sed communis quaedam devotionis, ac pietatis Christianae. 7. Ob obedientiam Dei, et Ecclesiae mandatis exinde sanctius exhibenda, in quod propositum sua velut nomina deponunt inscripti. 8. Ob Prudentiam. Prudens enim ad certos in futurum easus, ac eventus, horum occupat injuriam, hacque incriptione sibi tot parat amicos, quot in confratrum cor unum est, et anima una. 9. Ob Charitatem fraternalitatis diligitur attentius, et inscriptio fit diligentius, quae velut quaedam est ad mutuo diligendum, ac perseverandum compromissio. Quibus enim semel fuit decretissimum, dare sua tantilia, et accipere tot aliorum merita tanta, per mutuum communicationem, quid opisisti, quid auxilii, consilique invicem aliis in quibuscumque rebus praestare sese paratos affirmare ipsa videntur incriptione? Atque ea ex causa arctius est vinculum fratres inter spirituales charitatis, quam carnales sanguinis fratres. Quis tam barbarus ab omni humanitate remotus, non illius memoriam animae incideret suae, a quo libente volente mille auri talenta dona abstulisset? Quid igitur? Non is inter fratrum album mihi aeternum consignatus

numeraretur, qui snam mihi animam, animaeque corporisque merita sua dedisset, et quicquid posset, aeternum sese debere mihi ultro profiteretur? At haec mens est, haec vox inscriptionis. 10. Ob misericordiam Confratribus si opus fuerit, exhibendam prius, ac promptius, quam alienis. Quocirca si in pari certarent agone duo, hic Confrater, ille non frater, et hic mille aureos offerret mihi, ut adsisterem sibi agonizanti; spretis aureis ad Confratrem advolare potius pari in articulo constitutum. Quia sua is merita mihi communicavit: *quae sunt super millia auri, et argenti*, Psalm. 118. 11. Ob Pacem: quae per inscriptionem, damnata capitali discordia, coalescere in tanto constantiorem potest concordiam. Quis enim illi foret noxiae, vel damno, cum quo in eodem se Deo velut devovit meritorum consortio? S. Dominicus sane, vel hoc praecipuo usus medio, non privata solum dissidia simultatesque rescidit, cumque fibris elisit, sed bella quoque publica, et inventerata composuit, adeoque orbem quasi universum animorum facta immutatione vertit in melius, ac reformavit. 12. Ob cumulum meritorum. Inscriptis enim manet praemium non personale dumtaxat, sed etiam universale omnium aequae, ac singulorum. Eo, quot orbi toti de se spondeant exemplum in Psalterio serviendi Christo, ac Mariae. Ad extremum, cum tot, ac tales sint, tantaque causae Inscriptionis; par est, et ad exemplum illustre, si quot annis semel, in Oratorio Fraternalitatis, aut Paraecia, inscriptorum Fratrum, ac Sororum publico exque libro recitarentur. Id quod olim in festo Annunciationis Mariae Virg. Consueverat observari, quod est princeps festum, ac proprium institute Fraternalitatis de Psalterio. Locis tamen in aliis id festis agebatur: per Hispaniam, et Italiam ipsa festivitate S. Dominico sacra, et solenni ea fiebat proclamatio; ut qui tantae Confraternalitatis innovatae reparator, at mirificus illustrator extitisset. (((p.31))) Prodit M. Thomas de Templo, haud vane observatum esse, quod quoad ista foruit per orbem Fraternalitas, ipsum omnium honorum affluentia, ac prosperitate usum fuisse. Ipsa quoque Dei Virgo Maria nonnullis revelavit, sese per eandem Ecclesiae innumera bona collaturam. Quo ea cuique, et Fraternalitas colenda sanctius est; ritusque in eam inscribendi religiosus observandus.

Narrat P. F. Joannes de Monte *in Mariali*, de celebri quodam eximie scientiae viro, qui nostra, inquit, memoria (cum s. Dominicus, et s. Franciscus suis orbem praedicationibus, pariter exemplis et miraculis illustrarent;) Dei elementia raptus in caelestibus praegrande volumen ostenderit, quod clara in luce ad instar solis, circum radiis effulgentibus corruptum, resplendebat, in quo Confraternalitatis de Psalterio Fratrum, et Sororum nomina, pereleganti forma visebantur perscripta. Scriptorem autem s. Dominicum, ex s. Franciscum assidere visos; quippe qui omni conatu, et zelo indifesso, suae peregrinationis, ac praedicationis tempore, quam plurimus ad idem divini cultus stadium vocare, et accendere certatim adlaborabant. Ritum vero Inscriptionis s. P. Dominicus omni cura diligentiaque observabat, et ipse, quotquot erant praedicandi, conscribebat.

CAPUT XVIII.

De multiplici, in spiritualibus item, ac temporalibus, Utilitate, ex Inscriptionis ritu, dimanante.

O vigilantissime ovium Christi Custos, et Pastor. Quot, et quanta in Ecclesiam, inque orbem Christianum, divina humanaque donorum commoda ex Inscriptionis ritu, et inscripte Fraternalitatis Mariana communicatione descendant, nemo ea satis enumerare minus pro dignitate commendare potest. Poterant illa tamen, velut aggesta quaedam cumulatim inspicere, in divinis istis Psalterii Oraculis duobus, Oratione, inquam, Dominica, et Angelica Salutatione. Et, si recte colligamus, adque summa velut capita revocemus omnia, illorum dena ex oratione Dominica, et Salutatione vero Angelica quindena hic proponere licebit. Quae duo Evangelica cum omnem Psalterum Christi, ac Mariae certatim exercent conatum, ac industriam sibi vendicent; paria quoque et infinite majora

laboribus praemia esse reposita, nemo est quem sacra Fides dubitare citra nefas concedat. *Nam recipit unusquisque, prout gessit in suo corpore.* 2 Cor 5.

I. Oratio Dominica quidem suis ipsa verbis quibus constat, dena Dona optima insinuat, quibus ita merentes gratia Dei Psaltas factos donare dignatur. 1. Inscripte Fraternitatis bonum est: in filios donare adoptatio: quia, *Pater noster*, orant Psaltae. Qui enim propiis culparum demeritis fuerant reprobi, Fraternitatis consortio tantae, Dei efficiantur filii. 2. Caelestis Societatis imitatio per gratiam. Quia orant: *Qui es in caelis*; id est, Beatis ipsis, per **((p.32))** gratiam et gloriam. 3. Sanctificatio Nominis Dei in Ecclesia; quod orent toties; *Sanctificetur* etc, Si enim Nomen Dei, et Mariae uno in Psalterio quinquagies supra centies sanctificatur, quoties in ore, in corde Fratrum omnium, atque Sororum? Et vere hi, orationis, vi, sancti fiunt ipsi. 4. Regni Dei adventus, tum in politiae, tum in Ecclesiae, tum in Glorae divinae regnum: quod orent. *Adveniat regnum tuum.* Atque ita, qui ante servi fuerant, nunc liberti Dei in ipsius regno sunt. 5. Dei voluntatis impletio: quod orant, *Fiat voluntas tua* etc. 6. Temporalium sufficientia magis, quam abundantia. Quod orant. *Panem nostram* etc. vitae necessarium mortali, et spirituali in Sacramentorum digna usurpatione. Haec quidem honorem causae generales omnium, tantum, seu par, apud multos Deique diu, suique immemores, valuerunt; ut nulla eis cederet dies, quin tremendo s. Missae Sacrificio supplices prius adstitissent: quad ad suae concederent officia vocationis. 7. Dimissio peccatorum; quod orent. *Et dimitte.* Hinc oh quanta peccatorum facta est, fitque conversio! Stupentibus Angelorum choris, et exultantibus. 8. Fraternalis Charitas, et pax intus, et foris, qua publica, qua privata. Effecta ea testantur luculenter non nisi orbi universo: quod orent; *Sicut, et nos dimittimus debitoribus nostris.* 9. A tentationibus liberatio; quod orent: *Et ne nos* etc. Et hoc experti sumus in multis; qui positi in Fraternitatem tantae communionis evaserunt in Sammones, Davides etc. 10. Liberatio a malis tum colpae, tum paene. Quod orent, *Sed libera nos* etc. Atque hinc vidimus, ut notorium, infirmos multos, contribulatos, ac tantum non pene desperatos, redditos sibi, Deo, vitaeque, novae, ut primum sese in Fraternitatem hanc conscribi conseuserunt, et Psalterium pie frequentare instituerunt. Unde Psalterii merito mulierem caecam vidi illuminatam: aliam malo daemone obsessam, ac rabidam, perfecte liberatam.

Ista, aliaque talia, et efficacia Dominicae Orationis posse, nos Fides Christiana docet, inde, ex quo eandem bona petenda omnia, et quaecunque mala depraecanda, comprehendit: tum denique, et consecuturum effectum velut promisit istis. Matt. 7. Luc. 11. *Quaerite, et invenietis pulsate, et aperietur vobis, petite, et accipietis. Omnis enim qui petit, accipit: et qui quaerit, invenit: et pulsanti aperietur. Et ne rerum quicquam petendarum excepisse videri possit; addidit, Marci 11. Quicquid orantes petieritis, credite quia accipietis, et fiet vobis.* Atque praedicta capita dena in ipsis verbis Dominicis expressa esse, sat ipsa loquuntur.

II. Salutatio Angelica nunc sua ratione quindena bona in sese contineat, patentibus rite parata; **quaeg** Psaltis Marie tum pro Salutationis dignitate, tum pro merito Virginis, clementer a Deo concedantur; pari via modoque declarabo. Quindenis ea voculis constat plane divinis, ne quis, vel apicem in ea vacare mysterio putet, ecce tibi fructus, seu effecta illius totidem perinde divina recensebo dumtaxat. Bonum primum est, liberatio a vae maledictionis **((p.33))** Evae: per *Ave* 2. Mentis illuminatio, per inspirationes scientiarum informationes, et gratiam; per *Maria* id est illuminatrix. 3. Gratiae donatio singularis servis suis peculiaribus conferenda: quia *Gratia*, orant. 4. Abundantia gratiae per plenitudinem Spiritus sancti: *Quia plena* orant, et singularem Mariae plenitudinem praedicant. 5. Dominium libertatis, Galat 4. *qua libertate nos Christus liberavit*: quia in Dominus Dominae Mariae Dominationem singulariter extollunt. 6. Assistentia Dei in hac mundi vita. Quia, *Tecum*, orant famuli de societate Mariae. 7. Benedictio Angelica. Quia, *Benedicta*,

orantes Mariae benedictionem venerantur Angelicam, item, et ipsi ab Angelis benedicendi. 8. Privilegii specialis possessio, prae aliis, danda Psaltis, quod in *Tu Deipare* demònstrent praecellentias alias supra mulieres, 9. Misericordiae impetratio, quod *in mulieribus* eximiam Matrem misericordiae eminere confiteantur. 10. Benedictio specialis: qua in dies centies, et quinquagies Dei Filio dicunt, *Et benedictus*, qui benedicentes se benedicit 11. Fructus nature, gratiae, et gloriae. Quia in *Fructus*, fructuum fructum mariae certatim cobonorant Jesum. 12. Perfectio corporis in natura, moribus, et fortuna, quantum saluti expedierit. Quia in, *Ventris*, voce laudant nobilissimum, et purissimum Virginitatis templum, et Trinitatis Triclinium. 13. Familiaritas Mariae specialis in uno donorum aliquo: quod in, *Tui*, specialem Mariae proprietatem quandam designant, quae illa cumque fuerit. 14. Salus gratiae, et gloriae: pro qua orant in *Jesu*, Matth. 1. *Ipsse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum*: praesertim tales suae salutis praeconis, et psaltas, nominis sui cultores perpetuos. 15. Dignus honor Sacramentorum: quem, dum vivunt, illis praestabunt, et a quibus muniti dignius et vivis decedent, ut confessi, contriti, Viatico cibati, et inuncti. Quod, Christus, id est, unctus, toties, frequentent pro corde, et ore Psaltae coronarii Christi, et Mariae.

III. Dices. Non video, quemadmodum ex Angelica Salutatione dicta quindena bona promanent. Dolco caecitatem. Et quia caecus es, in foveam cadis. Andi igitur, si videas minus. 1. Christiano addubitare nefas est; quin ista, pluraque, et majora bona divinae insint Salutationi, arque eadem in Maria gratia plena extiterint. 2. Cum igitur hujusce plenitudinis confessio, et laudatio digna, a Psaltis quotidie fiat, ac totiescumque in divinis Salutationis voculis eadem contenta quoque pie, ac rite memorentur, et Virgini, ex ipsiusmet accepta thesanro hoc offerantur in iisdem voculis, ceu phialis a Deo fictis ad id factisque. 3. Cum denique Veritas Christus spondeat, pro duto reddendum danti centuplum, vel in hoc etiam mundo, fore: cquis esse Christianus potent, quem sancta Fides, et Spes juste sinant, vel Deo discredere, vel hono diffidere quin possit, et velit, ut Verba haec sua sint verba vitae, sintque res ipsa illius, *qui dixit, et facta sunt*. Ex quibus duo admiranda et adnotunda se fecerunt. Prius Dignitas, (((p.34))) et potestas, opulencia divina, et sanctitas Salutationis *Ave* etc. Alterum felicitas Psaltarum, quibus eam inspirare mentem dignitatus est Deus, ut sibi adlubescere sinerant ad eam tantam Fraternalitatem Psalterii adque ipsum divinum, non jam solummodo Davidicum, Psalterium: in, et cum quo versantes, velut in fluminis impetu, qui laetificat Civitatem Dei, quique sanctificavit tabernaculum ejus: quomodo, vel mente capi potest, quin penitissime ab eo non permadescant.

IV. Qua propter ecce tibi, quisque Psaltes Mariae corollas quindecim offert quotidie, sed generis eas triplicis: unam in quinquagena prima, Rosarum, et liliorum: alteram in secunda, Gemmarum: tertiam in postrema, Stellarum. Quis autem voces Salutatorias non intelligit longe vincere rosas suavitate, gemmas, prsetiositate: stellas, claritate? Denique haec vidit, et audivit a Virgine Maria supradictus Sponsus ejusdem Mariae Virginis, et plurima de similibus mirabilissima.

CAPUT XIX

Quod horum melius, Psalterium Orare voce, vel mente?

An Praedicare? Dictare? Propugnare id defendendo?

Domine servorum Christi fidelium metuende. Humana non quiescens aviditas, saepius multa quaerit impulsa lenitate, quam devotione ducta.

I. Quaestio. Utrum praestet: Orare Mente, an voce Psalterium.

Dico. 1. Scienti mentaliter id orare, haud necesse est uti voce, Augustini vox est: *Oratio mentalis sine voce volere potest, sed vocalis, nequaquam est meritoria, sine mente devota*. 2. Vocale simul, et mentale Psalterium melius est, quam alterum solum, quod ei duplex insit honum; paenalitas major a corporis actu, et a contentione mentis. 3. Talis psalterii usus esse potest aeternae vitae meritorius, utpote pure voluntarius, nullo Ecclesiae praecepto mandatus, et ex se bonus, ut supra patet.

II. Quaestio. Utrum melius: orationem isthanc orare ad sensum verborum: an rerum?

Dico. 1. Meditationes de Christi Incarnatione, Passione, Gloria; deque Sanctis, de virtutibus, et vitiis pluris sant in Psalterio, quam ad verborum sensum attentio; quia rerum alia, atq. alia novitate meditarum tollit fastidium. 2. Psalterium hoc potius est institutum ad sese ssub Deo colligendum, quam ad publice orandum idem in Ecclesia: cum liberae sit devotionis, et non necessitatis. 3. Oportet ut Psaltes Mariae saltem intendat orare attente, tametsi actu non oret attente. Attentio enim actualis ad merendum necessaria non est; in hoc praesertim orandi modo libero: quid idcirco potest orari inter ambulandum etc. modisque aliis quibusconque libuerit, potest addere, demere, dividere partes Psalterii ad placitum. **((p.35))**

III. Quaestio. Utrum melius: Psalterium Praedicare, an Orare?

Dico, (caeteris paribus) Praedicare praestat. Nam illud, quanto est communius honum, ac utilius, tanto, et melius. Quanquam quoad fervorem privatae devotionis, orare potest alteri praestare.

IV. Quaestio. Quid istorum melius est; Confessiones excipere, et in paenitentiam injungere Psalterium: an idem contra oppugnantes propugnare, an orare tantum? Distinguo. 1. Quoad vero honum suum proprium; ipsum orare posset iis antestare. 3. Quanquam, reconciliare, id in paenam dare, defensare, sunt quasi orare s. Aug. enim, *omne opus bonum est oratio, et vere*.

V. Quaestio. Utrum melius; dictare quaedam ad calamum de Psalterio: an idem praedicare? Dictare, inquam. 1. Quia dictator, est Doctorum doctor; qui inde simpliciores ad praedicandum erudiunt. 2. Et quia in dictatione major est contemplatio, quae vitam contemplativam propius accedens; quam praedicatio, quae activam ad vitam pertinet. 3. Scriba est tanquam Moyses quidam, Verbum Domini revelans Aaroni. Praedicatores vero sunt velut Aaron in verbo subjectus Moysi. 4. Quanquam respectu laboris, charitatis, ant necessitatis ipsum praedicare, altioris esse meriti potest, quam dictare.

VI. Quastio. Utrum melius: scribere sub altero dictante: an orare, praedicare, reconciliare? etc. Dico. 1. Scribae Doctorum Sanctorum, si fuerint in gratia, merentur Aureolam Doctorum, et gloriae, societatem, etsi non paris cum Magistris. 2. Quia vero isti per magnam quotidie paenam habent in mente subinde invita, inque corporis lahore; item tentationes saepe diaboli pulsantur de omittenda scriptione, de valetudine sibi inde laedenda etc. ideo quoad haec talia, majoris esse meriti queunt, ut qui in paena majori versentur: praeterquam quod causa salutis sint multis, ex eorum scriptorum usu procurandae. Verum ex pura devotione scribere oportet, non aviditate Lucelli. 3. Magni item sunt meriti, qui conscripta communicant aliis, ac evulgant. Isti enim sunt velut aurigae, quibus vasa doctrinae Sancti Spiritus deferuntur in orbem. Et tales par est, ut in Fraternitate Psalterii recenseatur, qui etsi minus facto, ac voto tamen id orant, et offerunt: quin etiam in aequivalenti Christum, et Mariam colunt.

VII. Denique unum hic referam, ab ipsa Virgine Maria cuidam sibi devoto revelatum infra annus quatuor, quae ajebat: Ego impetravi a Filio meo, quod omnes in ista Confraternitate habere possint in Confratres suos totam curiam caelestem, in vita, et in morte: quoad omnium meritorum cum Sanctis Communicationem, ac si ipsi Beati in hac mortalitate unam eandemque cum ipsis haberent Fraternitatem. Admirabatur, ille, nil credens dicto. Cui illa: cur non credits eos sodales esse: cum Psaltae mei in mundo id agant, quod Beati in caelis omnes semper faciunt? Unde s. Gregorius infert: homines venire ad Angelorum Ordines, quorum tenuerunt in vita actus officiorum. (((p.36)))

CAPUT XX.

De Gestatione Psalterii.

Episcope Christi famulorum piissime.

I. Quaritur: an ait conveniens ad zonam, vel manum, aliterve circumferre secum Patriloquium, sive Coronam Rosariam? Dico: Id decet, et expedit: ob humanae memoriae labilitatem. Ob paratiorem usum in promptu: Ob exemplum bonum; quod in utroque Testamento omnibus est mandatum.

II. An Exemplum istud sit meritorium? Dico: si fiat citra hypocrysim, et cum pietatis augendae intentione, ad alios in eundem Dei cultum pertrahendos; hoc vere non potest non esse meritorium. In simili casu quid legitur in revelationibus s. Brigittae, quae et ipsa mirifica cum devotione Psalterium hoc trivit, et visitavit. Et ego de hoc certissimus sum.

III. Utrum utilius: Portare in manifesto, an non portare, sed orare tamen in occulto? Dico: 1. Quoad exemplum aedificationis, maxime aeternum, necessarium Ecclesiae; utilius est gestare. At quoad efficaciam impetrationis, utilius est orare: caeteris paribus. Quia Charitas utriusque mensura est, ac poudus. Si ex majori charitate pro salute plurium quis gerat tantum, et non oret; sine dubio magis

meretur. Sin autem ex minore charitate, minus promerebitur: aequaliter, si cum aequali. 2. Verum tamen ex parte laboris in orando, et fructus; orare, quam portare, fuerit salutaris.

IV. An conveniat saeculares Dominus, Dominasque id gestare? Et vel maxime: quia temeretur ex officio recte factorum exemplum minoribus de sese praebere: hocque magis, quia aliis honis operibus subinde minus vacare, aut sese impendere valent, aut nolunt.

V. An Ecclesiasticos, Plebanos, Religiosus id gestare conveniat? Quid obstat? Ipsi, plus laicis caeteris, ad Christu, Mariaeque cultum obligantur: ipsi, vi status sui, exemplo esse bono, quacumque in re sacra, laicis esse tenentur: an constat, quod Laici eos imitari non ira possunt in victus temperantia, in vestitus modestia: nec in Scientia, Doctrina, Disciplina; nec is orationibus publicis Ecclesiae etc. ob diversitatem status altioris: verum in comprecando, gerendoq. Psalterio hoc imitari populus Clerum sacrum, ceu patres suos filii possunt. En Exmplum. Legitur, apud M. Thomam de Templo s. Dominici socium in praedicando Psalterio; per id aetatis in Hispania Episcopum quendam maximum, plebis suae sibi commissae depravatos mures haud quaquam ad frugem honam reducere valuisse: quicquid diu, perque saepe, quin assidue attentaret. Demum multis irritis expertis eventu, ipsius sedet animo, per Psalterii commendationem, sibi hactenus intentatum, experiri. Igitur ipse primus grandem satis precariae Coronam e cingulo suspensam gerere aspectabilem, novo id luci exemplo. Novitas spectaculi admirationem primum dedit in vulgus. Ad spectaculum vero mox, ut accessit praedicatio: jam hujus clavi aurea subtitorum reserabat: hujus clava animos obduratorum pulsabat: **((p.37))** hujus vi, et gratia, cruda, ac dura virorum pectora sensim subruebat, partim effringebat; dum denique robustam inveteratae obstinacim molem funditus eversam, comminutamque dissiparet. Inter caetera, fiut ista Pastoris **boni vox** concione. Ecce, inquit (suum illud spectabile Rosarium elata manu praefereus ostentui praebebat). *Ecce, tanta dignitas est, ac plena salutis utilitas Psalterii Virginis Matri: inclytae mariae: ut ego, qui et Pontifex sum vester, et Sacrae Theologie, simul utriusque Juris Doctor; illud in zona mecum quaqua versus, domi foris circumgeram: velut Sacri Pontificatus mei, Doctoratus, omniumque bonorum gloriam summam, gloriaeque Coronam.* Dixit: simul tela sub eorum animis fixit ignita. Exiude ligna porro similia foro subijcere perexit: collapsae, emortuaeque pietatis sensim induxit? Usuque ipso ad Psalterii Orationem assuefecit: denique jacentem pietatem, ac honestatem publicam sic erexit, ut velut ab anteactae vitae inferis existentes, in luce nova sese mirarentur. Itaque in alios repente viros mutati, vitam pariter, moresque, commutavere.

VI. Addo, quod vidi. 1. Tres vidi in Alemania Episcopos, et hos ex collo suspensa ferre nuda, et conspicua Psalteria. O nobiles torques! 2. Et ipse ego compluribus Episcopis, diversis in locis, dedi Psalteria, quae, et ii manifesto cum gaudio, et consolatione sua interiore, pulcherrimo cum exemplo, atque spectaculo gestabant. 3. Apud nostrum P. M Thomas de Templu legere me memini: ea in veneratione, s. Dominici aetate, habitum fuisse Psalterium, ut qui vel nuvum vitae statum ordiretur, ant officium auspicabatur: ipsum protinus cum Psalterio, pietatis indice, comparere in publico, fuerit necesse, nisi de viri boni nomine periclitari vellet? Quid? Sponsum, vel sponsam a b Psalterio vidisse nudos monstrum, aut ominis mali portentum fuisset creditum. 4. Qui vel addiscendo mechanico opificio applicabatur, vel ad navandam literis operam ludo includebatur; is una eum Psalterio addito in tyrocinium tradebatur. Nullus cujusquam artis, aut artium liberalium capessere magisterium sinebatur, ni cum Psalterio insignior comparuisset Religionem ingressuri, mercaturam peregre secuturi, castra sactaturi, in hostem infesta signa illutari, per mare vela daturi, aut quod aliud tale aggressuri, inauspicata censebantur omnia, ni Psalterii comitante freti tutela sibi consuluissent. Atque ea mentes religione imbuebantur cum slbi late; tum vero per Hispaniam praesertim ac Italiam omnem. Nimirum ita sibi persuasum habebant pie; Psalterium gestatum esse

Dominici iudicium istius, ac testimonium, quod sibi cordi sumeret quisque: *Primum quaerite regnum Dei, et justitiam eius, et haec omnia edificentur vobis*. Enim vero Dei regnum, et justitia eius per Angelicam Salutationem introivit in orbem, perque Dominicam Orationem tenetur. Vidi ego fessae aetatis, cum veneranda canitie viros, anusque decrepitas, qui suo exemplo, et ex majorum memoria repetito sermone ipsis, jam superius recitatis, similia testabantur. **(((p.38)))**

VII. Quaestio. Cujusmodi esse deceat Coronas praecarias? 1. Numero, sint decadem quindecim; totidemque hae globulis interdistinctae, vel signis grandioribus. Aut, sit Quinquagena una sic disposita, quae ter in orbem repetita praecandio conficit Psalterium. 2. Materia, sint qua libuerit: pulchra tamen esse praestiterit: tum quod pulchra delectent, ut alacritatis irritamenta: tum quod pulcherrimarum sint peculiarum instrumenta, et incidia. 3. Nec is delectus formae adscribendus vanae est gloriae, sed laudi potius divinae: cujus incitamentum, et augmentum, et ornamentum laudabiliter rerum ad Dei cultum spectantium pretio, ac pulchritudine, et magnifica subinde cum pompa quaeritur. 4. Ita amat Ecclesia celebrare Divina omnia, quanta licet amplissima cum majestate. Quae sordida sunt, sordescant adhuc, pulchris pulchra quadrantque, placentque. 5. Qua causa imagines Christi, Mariae, et Sanctorum, et picturas, Ecclesia consecatur insigniores: ad eas carie, deformesve statuas abruit humo, quae pieturarum tabulae ducto situ marcuerunt, ut offencicula renovet oculorum. Signa igitur rebus signatis conformia sunt. 6. Credo talia B. Virginem cuidam devoto sibi aliquando revelasse. 7. Hoc scio: saepius apparuit Augusta Divorum Diva Regina, cum illustri in manibus Psalterio. Dixitque; etsi quandoque indigni sint mortalium quidam speciosis, aut pretiosis Psalteriis; ego tamen, cui deserviunt, eis dignissimo sic designor.

VIII. Encomia nunc Typica s. Scripturae psalterium pauca quaedam congeramus. Calculi praecarii. 1. Sunt Lapides, de monte contemplationis excisi, *Dan 2*. 2. Lapides grandinis, *Jos, 10*. in hostes fidei de caelo grandinantes. 3. Sunt Lapides Adjuntorii *1 Reg. 4*, contra Philistaeos mundi opitulantes. 4. Sunt Lapides fundae Davidis, *1 Reg 17*. Satanicum Goliath prosternentes. 5. Sunt Malo granata, *Exod, 39*. In caeteris Aaronici cultus sacris ornamentis insignita. 6. Ansa velorum Tabernaculi, *Exod, 26*, et *36*. Item. 7. Sunt gradus in scala Jacob, *Gen, 28*. 8. Sunt Lapides, *3. Reg. 6*. Templi Salomonis, et *Apoc. 21*. 10 Sunt annuli catenae, qua revinctum Angelus ligavit in abyso. Istud sciendum; nec obiter: venerendam sic antiquitatem consuescere adque nos transmisisse morem sanctum, ut unquam Oratio Dominica adsque Angelica Salutatione diceretur.

IX. Quaeres denique: signa Psalterii qualiter significant? Sicut, inquam, scriptura, et voces signa sunt rerum ad placitum: ita Psalterium hoc in Novo Testam. 1. De pervulgato ritu signorum preciorum in Veteri Testamento narrant Rabbi Meyses, Salomon, et Rabbi Andreas; quod uterque sexus Hebraeorum, in manibus, inque zonis gestare signa consueverit, pro orationum numero, juxta orantis cujusque devotionem plura, seu pauciora: ut velut mensuram proposito terminumque suo ponerent, infra quem nollent oratum. Hoc imperare sibi est, atque tempori. 2. Unde non incredibile videri debet, vel ipsos Christi Apostolos precationum **(((p.39)))** signa tulisse, quo satius ordine, numeroque praecarentur. Testem se exemplo fecit s. Bartholomaeus, quaternas die, nocteque persolvens Quinquagenas, totidem cum humi prostrationibus, ut supra retulimus. 3. De s. Eligio proditum accepimus, parasse eum cathedram sibi, visendam ab CL. clavis aureis, et argenteis: itemq. aliis XV. majoris notae intersertis. Secundum quae sic fixa signa Psalterium Virginis orasse legi Wismariae Ducatus Magnopolensis, in libro de mirabilibus mundi.

CAPUT XXI.

De Psalteriorum distributione facta vulgo.

Auctor singularis, Promotor, ac Protector famulorum Christi, ac Mariae.

I. Distribuere Psalteria honum, decorum est, et salutare. Rationes sibi constant. 1. Quia elargiri eleemosynas maxime spirituales quale istud, honum esse quis negarit? 2. Dare in Ecclesias sacros divinatorum Officiorum libros, est saluti: quid ni, et manualia Psalteria, quia laicorum libri recte appellantur, quin, et Doctorum, ac Principum? 3. Cuique mandarum est de proximo suo, ut cum ad majus usque honum provehere adlaboret: ad it talibus fit donativis. 4. Quia *bonum est diffusivum, et communicativum sui* ex D. Th. Forma autem ratioque Fraternitatis nostrae in mutua communicatione consistit, quare, cum ea in spiritalibus salutaris sit; in iathoc quoque genere largitionis insigniter meritorium esse, non erit, opinor qui inficiat eam. 5. Operibus misericordiae corporalibus in caelis certa corona manet, et laus in terris: at in iis dona coronaria, facta indigenis, haud in postremis accenseo, quippe, *quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*: ait Dominus; itemque Domina Virgo Parens dixerit.

II. Exemplum propono s. Dominicum, qui verus Praedicator s. Evangelii fuit, et vere hujus Plantator Psalterii, ac largissimus inter innumeros distributor. 2. Ipse vidi juxta copiosos ac inopes, queis tanti esset donativum Psalterium, quanti nec pecuniam aestimassent. 3. Legi quoque de late celebri viro et ab flagitiorum infamia insigni, cui post vitae ad saniora conversionem, istus potissimum saluti dabatur: ac inter caelites post fata gloriae extitisse, qud tam gnaviter, quam liberaliter in hoc utrum distribuendorum Psalteriorum studium incubuisset.

CAPUT XXII.

De Objectionum resolutione.

Defensor invictissime fratrum Christi. Dicta hactenus, et declarata subire calumniam poterunt, vel a malevolis, aut imperitis, (((p.40))) aut ab horum utrisque. Nec mirum, vel novum. 1. Per quam urentes enim hymes, tempestatesque saevas, granum tritici in calamum surgit: culmumque progreditur. 2. Adversis Ecclesia; creverunt, et adversis Psalteria. 3. Vere s. Augustinus. *Falsitas, malitia, ignorantia, et curiositas non cessarunt ab initio mundi*. Veritatem impugnare nec omittent. 4. Quanta tulit sacra Pagina ab Haereticis, Judaeis, Ethnicis? Verum, ait Philosophus: Qualis in vita quisque fuerit, talia et judicat, et loquitur. 2. Unde mali, et qui sunt de mundo, Divina semper judicant humano modo, et male: sicut de miraculis medici modo naturali: de Ecclesiasticis Juristae juxta leges humanas. 3. Quare sicut per humanam rationem attingere fidem possibile non est, ita nec ad miraculorum, aut prophetiarum, ac revelationum divinarum notitiam. 4. Juste igitur contra tales, supra se sapientes, caecos, et noctnas exclamat Isaias, Cap. 6. *Excaeca cor populi hujus, et aures ipsius aggrava, ut non intelligant, et non videant*. 5. Ex eo manavit error Phariseorum, ac Judaeorum circa Christum ejusque miracula: neque Apostolis crediderunt. Veruntamen hactenus de

Psalterio in medium alia, soli haud nituntur revelationi. Posito autem, **de illa** non dato, quod nulla de iis unquam contingisset revelatio: dictorum tamen veritas suis, ipsa stat constatque rationibus, quae nulli sint ratione puri refragabiles. Proinde objectiun inanes velut calumnias, ut ex earum potioribus reliquarum aestimetur vanitas.

I. Objectio. Psalterii Fraternitas est mera novitas. II. Nec approbata. III. Et Superstitiosa. IV. Et praesumptuosa.

De I. Dico; nova est quoad Restitutionem: at Institutione pervetus est.

De II. Negatur falsum. 1. Nam Psalterii Confraternitas est non nisi Angelicae Annunciationis quotidiana Festivitas: Annunciatio enim est idem, quod Angelica Salutatio, et hujus, ac istius eadem est sicut utriusque repetita commemoratio. Quis vero non approbatam esse in Ecclesia Annunciationem dixerit? 2. Quis plurimas coire passim Fraternitates in solemnitate Annunciationis ignoraret solus: quod orbis, et hic sol testis contuetur, et exultat Ecclesia? Si die Annunciationis congregantium sese in Missis solum paucis communicatio permissa, et approbata recte laudatur: tanta ex omnibus piis operibus meritorum, quanta per omnes orbis oras patet, coalita, florens, vicensque Fraternitas cuiquam minus approbata videbitur. Haecve sciens, volensque caeca est maledicendi libido, ac destinata malitia.

De III. Superstitiosam vocas? Parcat tibi Deus de injuria, et forte blasphemia adversus charitatem Christi, Mariae, totiusque Communitas piaie.

De IV. Praesumptuosam appellas? Tua est praesumptio non ferenda: qui tam sanctam, et salutarem, multisque claram ex Deo miraculis, Communionem ore sic impuro proscindis. Elymae Magi, **((p.41))** Act 13. ea est impietas, ubique D. Paulo resistentis: quem vindex denique percussit caecitas.

II. Objectio. Per istas Communicatas orationes populus injunctas omittet paenitentias; Clerus Horas Canonicas posthabebit. Praeclarae sc. huic rationi, seu delirationi, si quod ullum inesset pondus, jam ipsa Dom. Oratio, et Ang. Salutatio ex corde, ex orbe Christiano procul eliminato cessarent, in solis paenitentis, ac horis dumtaxat reservarentur. Non intelligis eas preces in hisce teneri ex praecepto necessitatis: at in Psalterio frequentantur ex libero instituto piaie voluntatis. *Voluntarie autem sacrificabo tibi.* Unde pulchre Boetius: *Omnia suadent ultra necessarias orationes habere privatas.* Ratio s. Bernardi est: Quia orationes privatae nos adjuvant, ut sanctius, et utilius oremus publicas Ecclesiae. Et Apostolus: *Sine intermissione orate:* Dominus: *Vigilate, et orate, ut non intretis in tentationem.*

III. Objectio. Coiens ad Fraternitates in templu Fratrum Praedicatorum, aut FF. Minorum, seu quarumcumque Religionum congregari solum debeant: jam Parochiae desertae nudabuntur, jura earum, et emolumenta imminntur ec. 1. Hic rancor est, subestque avaritia. Age, sanabere: tantum si adlaboraveris, id quod orate ut in paraecia tua Fraternitas Psalterii frequentissima fiat. (Id aetatis nec dum inhibuerant illud Pontificeas) equidem jam nunc ultra quinquaginta millia hominum ex omnibus hisce circum locis, et omni ordine, ac statu. 2. Deinde quaerelis tuis contrarias e Plebanis accepi commendationes: quod, ex quo Fraternitatem psalterii fideles acceperunt; caeperunt

restitutiones fieri, executioni testamenta dari, frequentari Missae, donationes conferri in Ecclesiam etc. Haec tuo procul metui dissonant.

IV. Objectio. Cuiens ad Fraternitates vulgus, etsi non modo, sed occasione quondam se dante ad factionum conspirationes suis conventiculis abuti possunt tutius. Quid dicam hic, nisi, *narraverunt mihi iniqui fabulationes*. 1. Talia malignantium flabella justis dare possunt animorum dissidia. 2. At vero Charitas fraternitatis dissidentes unit, unitos in concordia servat, et omnem detestari proculque fugere discordiam docet, si consonare non valent. 3. Qui cum Christo, et Matre Christi colligit, non dispergit. 4. Unionem quoque Inscriptio stabilis, et confirmat. 5. Non ita servos suos peculiare Christus, et Maria amant frigide, ut confaederatos zelosa pietate, ad infandas prolabi temere sinant factiones. Vah, quam istud est male interpretari charitatem Christi? Horrent aures pie blasphemiam.

V. Objectio. Somnia, plantasias, anilesque fabulas pro miris, et magnis, et revelatis vendit ea Fraternitas. Hisce cum omni pietate, et compassione respondeo. 1. Quae mira de Psalterio, ex Dei, Deiparaeque misericordia revelantur, et tacito nomine, ad aedificationem, et instructionem commemorantur, ea credere nemo attentaverit. Qui vult, et potest, capiat. Sed viderit, qui temere contempserit. Bene s. Basilius: *Malevoli justis infuriare possunt (((p.42))) sed veritatem, etsi occulere, opprimere tamen non possunt*. Atque istud Prophetarum, Apostolorum, Sanctique viri spernentes sese murum pro veritate constanter opposuerunt. 2. Deinde: Fac esse, nullam unquam Deus revelationem de Psalterio facere sit dignatus: ea tamen est substantia Evangelium. 3. Ad haec, quas novas, ac nuperas Revelationes commemoro, sicut scio, illas non assero adhuc ab Ecclesia esse probatas; sed tamquam pias cujusque devotioni, et libertati audientium, ac legentium relinquo. 4. Esto: non dum habeant approbationem, approbabiles tamen sunt: nec minus, quam earum similes, quas probatorum scriptorum passim monumenta loquuntur, neque ipsas adhuc solemnem attestationem canonica approbatas, et tamen non idcirco reprobatas, neque Doctrinae, Disciplinaeque, aut Canonibus Ecclesiae quicquam repugnantes. 5. Psalterii quoque, id est, Orationis Dominicae, et Angelicae Salutationis Divinam dignitatem quid obstat, quo minus Deus gloriosis revelationibus, et miraculosis operationibus dignari velit, aut valeat. Cum earum finis, et usus nostra sit sanctificatio, et salutatio.

CAPUT XXIII.

De Psalterii, et Fraternitatis promotoribus, Patronis, et Protectoribus.

Altissime his in oris Praesul Ecclesiae, Praedicatores, Patroni, Propagatores, et Propugnatores Psalterii debita ipsis laude sunt minime defraudandi.

I. 1. Hienim sunt majores Angeli Dei, qui minores lumine cullastrarunt in caelo, ut in amore, ac honore Dei Creatoris praestarent. 2. Sunt, ut bonus Abel, Dei cultum promoventes, ut Seth, nomen Domini invocantes, *Genes.* 4. 3. Sunt alter Noe, *Genes.* 7. in Arca Fraternitatis animas animas multas a diluvio peccatorum conservantes: nam faederis Arcam pro reis: in signum pacis erigunt, ad tentatos submitti praecantur columbam, cum olivae tamo divinae pietatis, 4. Sunt Abrahami,

captivos eripientes de manu gentis peccatricis, *Genes.* 14. 5. Sunt, ut Isaae, fodientes puteos aquarum gratiae, et benedictionis, *Genes,* 26.

II. 6. Hi caeli scalum erigunt, cum Jacob, *Genes.* 28. qua ad Deum peccatores redire possunt. 7. Hi seminant cum Jacob, *Genes.* 26. agros gratiarum, et uberrimam in horries messem condunt. 8. Horum surgunt, ut Josephiani manipuli, *Genes.* 37. bonae gratiae, et famae, et ab aliis in admiratione pariter, ac veneratione habentur. 9. Hi, ut Joseph Aegypti, *Genes.* 41. quidam sunt orbis Salvatores, quem suis Psalteriorum comprecationibus (((p.43))) sustentat. 10. Hi, tamquam Moyses, fideles pascunt oves precibus; qui per Virgam paenitentiae mira, et magna designant ad peccatorum conversiones, sanctioresque conversationes, ad multas, et graves daemonibus plagas infligendas, ad liberandos e servitute in conscientia vinctos; ad devocandum, vel a caelo manna gratiae, et Eucharistiae, ad evocandum, e petris lachrymas paenitentiae, ad perducendos fratres in montem supernae, et aeternae quietis.

III. 11. Sunt, ut Jose, siccos per mundi Jordanem medium traducentes Confratres; dum exemplo, merito, et eloquio juxta probos, improbosque ad Dei cultum formant, ac reformant. 12. Sunt Samueles 1. *Reg.* 8 populi instructores, et ad omnem vitae honestatem Duces. 13. Sunt Davides, 1. *Reg.* 17. in funda Psalterii, et sternentes. 14. Sunt Heliae, 3 *Reg.* 19. zelantes zelum Legis, ad contumacium internicionem, et resipiscentium salutem. 15. Sunt Helisaei, in signis, et prodigiis mira multa virtute Psalt. Perpretantes.

IV. 16. Ecce invictos Jeremias, catenam Psalterii ex collo; ad praedicandam reis iniquitatem simul, et paenitentiam circumferentes. 17. Ecce Daniele, per fenestram Vulnerum Christi versus domum Dei multum orantes. 18. Ecce Zorobabeles, educentes e Babylonica plurimos captivitate. 19. Ecce Isaias, Incarnationem Christi, passionem, et doctrinae fontes orando, meditandoque, sedulo perscrutantes, et praedicantes. 20. Ecce Esdras, et Nehemias defossum, ac putiscentem, et Ecclesiae Jerusalem reaedificantes.

V. 21. Hi sunt Gabrielis socii in Angelica Salutatione mundo saepius annunciantes. 22. Angelorum Confratres sunt, pacem Confraternitatis hominibus honae voluntatis impraecantes cum divina laude Christi nati salvi utero Virginali. 23. Isti sunt Discipuli imitatores Christi, et sequaces: sunt Apostoli Evangelium Salutationis, et Orationis orbi commendantes. 24. Sunt mediatores gentibus, et aegris, ut ad Christum sanandi perducantur. 25. Sunt Spectatores Dominicae Transfigurationis, Agonizationis in horto, Crocifixionis in monte, et Ascensionis testes, et praedicatores. Haec inveni, et legi in *Mariali Joan de Monte*, praedicatoris, et in praedicatione individui comitis S. P. nostri Dominici.

CAPUT XXIV.

De Psalterii Detractoribus, ac Depravatoribus, deque Fraternitatis ejusdem vituperatoribus.

Dulcissime ovium Christi Pater, et Pastor. Non desunt, qui Psalterio Filii, et Matris Dei, ac earundem in Fraternitate famulis, ex certa partim malitia, et invidia diaboli, partim ex ingnorantia, sed affectata, aut supina, detrahere nihil, vel erubescunt, vel exhorrescunt. Maledicentiam vero stringunt virulentam in praedieta (((p.44))) non sine gravi pusillorum scandalo, et perturbatione devotorum. Quales isti? In Typis sunt agnoscendi.

I. Hi sunt *Draco magnus, faciens bellum contra Mulierem Virginem, Apoc. 12.* qui cauda sui erroris trahit tertiam partem stellarum caeli, id est, devotorum, et mittit eas in terram scandali. Heu! Pestilens lingua viperae in momento plus uno potest afflatu inficere, quam omnis medicorum ars, et industria ad restitutionem valetudinis conatu longe proficere. Adjuvat eam humanae ad malum naturae proclivitas. 2. Illi sunt, ut serpens, *Genes 3.* Protoplastarum seductor. 3. Sunt, ut Eva fatua: qui per sapientiam carnis ejici multos faciunt e Paradiso devotionis in Psalterio Virginis. 4. Hi sunt *Genes. 37.* fera pessima invidiae; qui devorant Josephos justiores se, et persequuntur. 5. Sunt, ut speculatores terrae promissionis, falsa Israelitis de ea nunciantes, *Deut. 2.* ut eorum sicophantia populus in deserto moriatur.

II. 6. Sunt viri magni, terram promissam Sacrae Scripturae agnoscentes, sed vulgus verbis, et exemplis a verae vitae via aversum ad mortem petrahentes. 7. Isti sunt Achan Jerichuntini anathematis cupidi, per dolum, idroque, *Jos. 7.* omnem populum Domini perturbant. Viae iis ab eventu lapidationis, et combustionis. 8. Isti sunt, ut Phaenenna, uxor Helencae, 1 *Regum 1.* devotam orationibus prophetissan Annam irrisui hebetes: ac demum maledictione puniendi. 9. Isti sunt Heli orantem s. Annam Fraternitatem aestimantes ebriam, filiamque Belial. Vae istis a morte praecipite. 10. Isti sunt, ut Manasses, Prophetarum trucidator, et divinae Legis subversor. 4. *Regnum 21.*

III. 11. Sunt, ut Nabuchodonosor, eversor civitatis sanctae, et templi Dei. Vae! Quaerent olim paenitentiae spatium, et invenire non valebunt. 12. Sunt, ut Herodes, infanticida, parvulos rudis vulgi scandalizantes per linguae detractricis mucronem saevum. Fugant illi Jesum, ac Mariam in Aegyptum, dum a devotione recta plebem ad profana pertrahunt. 13. Isti sunt Pharisei calumniatores doctrinae Christi, ac vitae illius insidiatores. 14. **Idem** sunt irrisores pendentis in Cruce Domini, proque salute mundi exorantis. 15. Isti sunt putens abyssi, *Apoc. 9.* fumo suae vanitatis mundum oppolentes, et ex eo locustas errorum, et scandalorum in Dei servos emittentes; *Vae mundo a scandalo.* Ab isto, aliisque vae liberat liberatricis *Ave* per Jesum Christum.

Quare, Psalm. 150, *Laudate eum in Psalterio.* Psam 32. *In Psalterio decem chordarum psallite illi Cantate Domino canticum novum.* Angelicae, Salutationis: *Cantate Domino omnis terra,* id est, omnis homo. Roman 16. *Salutate Mariam Deiparam, quae multum mecum laboravit in vobis.* Cantate sicut cantores in Tabernaculo Moysis, et Templo Salomonis, ut cum Angelis Santissimam Trinitatem, et Sanctorum Reginam in aeterna felicitate laudemus, per Jesum Christum. Amen.

FINIS APOLOGIAE.

PARS SECUNDA

B. ALANI DE RUPE

REDIVIVI.

DE RELATIONIBUS – DE REVELATIONIBUS – DE VISIONIBUS.

CAPUT I.

Prologus encomiasticus in Psalterium Sponsi, ac Sponsae Jesu Christi, ac Deiparae Virginis Mariae.

Deus, Canticum novum, cantabo tibi: in Psalterio Decachordo psallam tibi, Psalm 143. Quo, et cultores Dei adhortatur idem Psalter. Psalm, 97. Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit; mimirum in Filii sui Incarnatione, Passione, et Resurrectione. Quae cum caeteris a Deo profectis in nos beneficiis locum facile principem sibi vindicent, ut pro ris totam quisque Deo animam debeat conspectum Dei in ipsius laudes corde toto, et ore, ac opere certatim effundamus: non quod ingrati animi lethale nobis crimen inhaerescat. Quo magis ob equendum est psalterae momenti; Cantate Domino canticum novum.

I. Novum: quippe quod, si D. Bernardum audimus: divinum illud Sponsi est, ac Sponsae Epithalamium, geminum novi Evangelii, datum ex ore Dei oraculum. Quorum alterum Dei Sponsae Mariae paranymphus Gabriel; alterum Sponsus Ecclesiae suae Christus reddebat. Unde, et illud Angelica Salutatio; hoc, Dominica Oratio: utrumque ex re ipsa nomen; praenomen ab Antore, acceperunt. 2. Novum quoque idem Canticum, id est, Deiparaeque rite colendae modulum, velut divinis in auribus gratiosissime symphonicum. 3. Alterum, quia Novi Testamenti principium, voxque Evangelii prima extitit: in qua tanquam seminum minimo sinapi grandis arborum arbor Evangelium. Novum universum virtute residebat; adeoque partes illius singulae, minutaeque dein perscriptae, velut semina plurima uno in capite papaverino, continebantur. 4. Alterum, quia ejusdem Sacri Instrumenti Novi Evangelii primus, et unicus fuit Deum orandi, colendique ritus novus, formularis, ac universalis, ab ipso Domino traditus Discipulis; caeterarum exinde subsequatarum in

Ecclesia nova praedicandi formularum factus ipse parens, fons, et caput. Ad quod proinde omnes reliquae; sicut e mari progressa, in idem mare terrarum flamina demum redundaret, sic ex una hac Oratione Dominica derivatae ad eandem retro referantur oportet. (((p.46)))

II. Deinde novum. 1. Quia novum e caelo datum id hominibus est remedium, ad condonationem delictorum nostris etiam, divinis eatenus, precibus impetrandam? 2. Et vero ipsum est Potestatis inexplicabilis, inque Deo infinitae utilitatis, ac virtutis inenarrabilis, suavitatis quoque inaestimabilis. 3. Divinorum istud solatiorum est donativum, revelationum sacrarum procurativum, et miraculorum maximorum operativum. Enimvero salutare illud Angeli novum Evangelium, hoc est, Verbum Caro Factum, donum est ter Optimum Maximum; Revelationum omnium est Magisterium illuminatissimum; miraculorum est summorum summum, omniumque summa. 4. Novum denique: quod nova ex utroque oraculo progenita extitit Ecclesia, surgensque crevit augmentata, et universorum gratiae charismatum spiritu, succo, et sanguine corroborata consistit, succussata quidem, at nihil unquam labefactata.

III. Jucundum igitur Christiano cui non accidit utrumque illud Christi, ac Mariae sponsi, sponsaeque divinum Epithalamium, et Canticum, quasi castus quidam Hymen, sive Hymenaeus Hymnus caelestis? In iis namque beatum est Angelorum gaudium, Christi, ac Mariae jubilaum, et jubilum; in iis tota caelestis curia triumphans exultat, et Ecclesia militans in acie fortiter dimicat. O jucundum Deo, Angelis, et hominibus factum spectaculum? Ab hoc tali quis oculum, quis animum, quis studium, et amorem deflectat unquam, vel ad puncti unius momentum?

IV. Ex utroque unum quoddam coalescit, et concordat Canticum novum. 1. Quod ad Davidici Psalterii Decachordi modum, rite concinnatum, et per quindenae ordine, repetitum decades, et compositum, adusque repetitionis numerum CL. completum ab antiquissima retro Majorum nostrorum memoria consuevit Psalterium Christi, et Mariae appellari. 2. Cujus quidem in Ordinis, ac Muneris Psalterii Mysterio, si recte, et penitus intuemur, tria quaedam conspici licet magna, et admirari sancta planeque divina venerari, et universaliter Jubilaea: Naturae reparatae, Gratiae collatae, et Gloriam promissae. Quibus accedit ter, et in gloriam Resurrectionis Christi. 3. Quinquagesimum et Lege Moysis annum fuisse jubilaum, ignorat nemo: nemo, quinquagesimo quoquo anno Romanas in orbem Christianum Indulgentiarum plenissimarum condonationes, e Pontif. Max. dispensatas, Jubilaum esse, et vocari: nescit nemo, transactis annis quinquaginta in Sacerdotio, jubilaum solemniter agitare Sacerdotem, in officio, Magistratum, in Religione, professum ad factum sibi, per ipsius vitalis temporis gratiam, privilegium ab consuetis occupationibus gaudere Jubilaum. Velut olim, vel ab ipso tempore decurso. Levitis quinquagenariis, quin et ipsis, servitiis, et agris etiam campisque ipsis, ex Lege Moysis, requies indulgebatur Jubilaea, eorum completo tempore Jubilaum.

V. Christus autem, et Maria cum dictorum nobis Jubilaeorum, seu Cantorum, causa fuerint, et origo; dignum quoque, et justum (quid si, et pro merito necessarium) erat, solemnem ipsis (((p.47))) in Ecclesia sacrum, sanctumque, ac perpetuum annu celebrari Jubilaum. Neque hunc ab uno aliquo servorum Dei statu, ordine, graduque dumtaxat: verum ab universo fidelium nominis

Christiani genere, communem; per omnes orbis oras universalem, omni qua diurnarum, qua nocturnarum horarum, ac temporum momento continuum, ac irremissum annum duci Deo Jubilaeum oportebat in Ecclesia Dei. Atque vero divinam hanc muneris, cultusque generalis Spartham, et provinciam divina Providentia, velut in Angelica Salutatione, et Dominica Oratione fundatrix condidit: ita, et in Psalterium Christi, ac mariae, dicti Cantici quinquages deposuit operatrix: et hoc in spiritu praevidit David, cum exclamavit, Psalm. 143. Deus Canticum novum cantabo tibi, in Psalterio decachordo psallam tibi.

CAPUT II.

De Psalterii Origine, Usu, Revelatione, et Propagatione.

I. Origo. En ter Sanctissima Trinitas ex Divina mente sua conceptam produxit Salutationem: Archangelus Gabriel acceptam detulit, et pronunciavit ad inclytam Virginem Mariam: Spiritus Sanctus per Elisabetham expressit particulam tertiam, et adjecit: clausulam subjecit denique s. Mater Ecclesia. Orationem vero Dominicam Auctor Jesus Christus orare Discipulos docuit, ac mandavit iisdem: qui totam tunc Ecclesiam ut constituebant, sic et rappraesentabant. Hic ortus.

II. Usus porro. 1. Traditur in exmplo s. Bartholomaei Apostoli: ut narrat quidam s. Doctor: cui solemne fuit et perpetuum, per quamque diem centies, totiesque per noctem, nixis humi genibus, utramque Deo suppliciter orando offerre. Quo in numero ter quinquagenario Psalterium Christi, et Mariae, ex illis CL. oraculis huc usque repetitis constat. Quartam vero Quinquagenam s. Bartholomaeus, ex suapte devotione, ob causam ipsi Deoque perspectam, velut auctarium adjiciebat. 2. Inde Ecclesia, seu congregatio Christi Fidelium, cupiens imitari exemplum orandi Synagogae, ad modum Psalterii Davidici, quod CL. Psalmis completur: eundem ad numerum totidem Orationes Dominicas, et Angelicas Salutationes junctim suis in comprecationibus usurpavit. Verum quia temporum progressu fidei decrescebat fervor, suo illo remittit, et Psalterii hujusce usus, quod plerisque longum nimis, per Dominicae Orationis, et Angelicae Salutationis continuatam conjunctionem visum fuit disjunctionem eorum, ac Psalterii, imminutionem accipere.

III. Revelatio igitur, ex singulari divina clementia, sanctis in eremo patribus facta traditur de Psalterio solius Virginis Mariae. 1. Cum enim daemonum fatigarentur tentationibus, diu mulumque molestiis, nec abesset periculi metus saevioris: communi habito (((p.48))) inter eos consilio, visum in Domino fuit, continuas indici cunctis preces supplices quibus, et privatim per se quisque impense deditus, et publice universus sacrae totius Monastices Ordo, conjunctim votis communibus, vigiliis, jejuniis, et paenitentiis apud Deum, Deiparam, Caelitesque Divos instanter incumberet, exorandae a Sathanicis tentationibus liberationi, aut certe remedio ipsis aperiendo praesenti, quo eas ferendo forent, et vincendo. 2. Neque nihil exoratum. Nam rite comprecantibus facta revelatione fuit consultum, ut elanguescentem Psalterii usum Mariani, praeter illum Davidici assumerent, ad

quod Deo, Deiparaeque laudes gratissimas quotidie dicerent, simul efficaciter optima quaeque caelitus impetrare possent. Continuo ab omnibus communiter certatim factum haud secus, ac jussum, toto animi affectu, et Religione sese Psalterio devovent: hi nunc illud Christi, Mariae, nunc alterum isti vicissim, junctimque frequentant, sed Mariae ut brevius, ita et crebrius. 3. Et conatui per sese tulit eventus. Daemonum licentia restringitur, remittente procacia vis frangitur, tentationum restinguitur aestuatio: et facta est tranquillitas magna. Haec super accedit virtutum, et gratiarum auctu magno secutus in eorum plerisque profectus. Nimirum ea se gratiae Rosa, et vis illis aparuit Coronae rosaceae: ea precum sanctissimarum fragrantia Deo aspiravit, deprecatrice Virgine Matre, ut miritico nominis, Religionis, et sanctitatis incremento, gloria quoque miraculorum cunctis gentibus cremitarum ordo, ac natio teret admirationi, et venerationi. 4. Demum et hujus posteritati, cum Patrum suorum lapasa memoria, pene jam ex animis quoque fuisset elapsa, ususque simul Psalterii refrixisset: sensim eremitavum nomen, institutum, et numerus item eo decrevit usque, ut rarescens in contemptum, ac tandem ad interitum corvueret. Cecidit, heu! Arbor Ecclesiae tanta, Mahometis icta, extirpataque securi: Joanne Graeco, teste, et eudem de vitis Patrum scriptore. Verum non obrui Psalterium Deus permisit, sed transplautavit.

IV. Propagatio ejusdem id loquitur, passu pari cum tempore iusecuto progressa. 1. Nam poteaque s. Basilius Magnus in Oriente dispersos per deserta, et eremi lustra monachos iocolas; inde evocatos, intraque caenobiorum septa collectos aggregasset, ac novis institutis formasset; in Occidente quoque s. Benedictus Monasticam vivendi rationem, jam olim iis locis invectam, quam maxime instauravit, ac illustravit: novique factus instituti Patriarcha inclytus, cui ante diu insueverat, Psalterium Mariae simul et inter suos, non tam praecepto ullo, quam usu ipso in sanctam consuetudinem introduxit, quae in religionem dei vertit, ac inconsuetudinem introduxit, quae in religionem dein vertit, ac insedit: teste ipsius, etsi longe post, filio Benedicti Jo. de Prato. 2. Ven. Beda Anglicanus intervallo successit, quis viv, et quantus? tota Psalterium Mariae anglia, Britannia, Francia, plantavit praedicavit: unde suus idipsum saluberrimus usus per alias precul oras differebat, ac disseminabat. Nec ut unam dumtaxat aetatem ferret; verum ad hanc usque diem ut cultum, in Anglia praecipue, (((p.49))) eustodierit: ut minus in vigore fuit in trunco, ramisque aridis. Nam indicia hodieque superaut eorum, quae inde ab V. Bedae sanctitate, devota Rosarii antiquas, in templis passim communes ad usus suspenderat oraria sive Coronas precarias. 3. Bedam excepit s. Bernardus, qui etipse Psalterium propagavit. Ecquid aliud zelosius egisset ardentissimus Sposae Mariae Sponsus? Neque hic ipsius stetit ardor. Ad Mariae Psalterium aloud ipse juxta numerum; et sententias Psalmorum concinnavit. Id quod vidi, manibusque his pertractavi. Inde vir tantus tantam apud Deum sibi gratiam adinvenit, ut vel in terra muitis altior divis, merito Psalterii Ordinis sanctissimi, amplissimique auctor fierit, et Fundator. Praetereo magnos, et multos. 4. S. Otto, Patris sui s. Benedicti imbutus spiritu, et disciplina formatus eodem in ordine sacro, Selavorum dem Episcopus factus, et Apostolus, cum fide christiana pariter eam per gentem plantavit quoque Psalterium hoc. Itzque instillatum ea Divae Rosae succum amnis alte imbibit, ut in hoc usque tempus geus illa, viri, foemmaeque promiscue, pendula de collo gerant Psalteria. 5. S. Maria de Oegniaco pro more singulos in dies Psalterium solidum Davidis recitus, cuique Psalmo Salutationem Angelicam subjjiciebat: quibus et Psalterium Mariae rite complebat. Unius hoc exemplum est, et similium ipsius sacrarum Virginum indicat exercitium: at hoc consuetudini plurium fidelium praebet argumentum.

V. De s. Dominico capite subjecto dicemus, et alibi r. s. Franciscus unus, de plurimis testatur, qui Psalterium Mariae accepit sic, et s. ordini suo ferendum tradidit, et usu ipso commendavit ita, ut scripto nihil opus esset. Certus sum, me de ipsius vidisse Rosariis unum, quo usus fuisse tenetur. Quid hic ego de utrinque sacri ordinis successoribus viris illustribus memorem? Quid de aliis innumeris, ut s. Ludgarde, s. Christina Coloniensi, s. Christina Vaga dicta, seu mirabili, plurimisque aliis, quid numerando tempus conteram, aut longum faciam? Ad altoriem retro me refero memoriam. 2. S. Augustinus, Ecclesiae Doctor incomparabilis, Psalterium Mariae usurpavit. Ecquis enim dicere audeat, vel cogitare, tantum virum Psalterium tantum ignorasse, quod nos scimus, quod Ecclesia praedicat, et frequentat? 3. Scimus, ut B. V. Maria revelavit; scimus s. Hieronymo dietum orandi ritum et calculos numero CL. singulare extitisse refugium, tum adversum haereticos, tum at in omnibus scientiarum genere tantum praestaret stylo, quantum orbis admiratur. 4. Scimus, ut item ter benedicta Mater Dei revelavit s. Ambrosium, et s. Georgium hujusce psalterii sanctissimam scivisse dignitatem, idque in substantia, in quantitate, et qualitate. Et eos quisquam de ulla ejusdem orandi negligentia, et omissione suspectos habere, vel cogitare poterit?

VI. Sancti Carthusiani, dignissimi in psalterio Christi, et Mariae famuli, qui multum orant pro populo Deus olem vel in principe loco secretae suae, privataeque devotionis educrant semper, et colunt Psalterium. Id quod exemplis suo loco docebitur. (((p.50)))

CAPUT III.

De Sancto Dominico Psalterii Praedicatore attestata narratio.

I. Sanctissimus Dominicus parentum illustrem prosapiam, illustriore vitae sanctitate, ad omnem retro posteritatem, eo usque nobilitavit, ut ipsius gloriae splendor in Ecclesiam universam redundarit. Cujus quidem sanctitatis lumini pares erant primae ipsius pueritiae igniculi. Ut caetera omnia sileamus. 1. Suum ipse in Christum, inque Matrem Jesu pietatis affectum, simul ac studium vix dum natu major decenni, et exinde continuo, sua in Psalterio Mariae, non in manibus versando solum, delectatione; sed ad ipsum quoque sedula orandi devotione, luculente demonstravit. 2. Neque orare tantum, sed et a zonula secum gestare pendulum, plus quavis aurea gemmatave torque, delectabatur. Hansisse illud cum materno lacte putuit, aut ab Ecclesiastico, dato ejus pueritiae rectore atque magistro, imbibisse: verum altior homine indoles pueri, altiore digna Deo visa fuit disciplina magistra. 3. Itaque Maria Virgine hoc ipsi revelante, cum adhuc circiter, decem esset annorum, psalterium semper portavit, et oravit. 4. Aetatis autem robustioris factus, et s. Augustini disciplina regulari perfectus; terna in dies singulos psalteria, horis subcesivis, Deo sacrabat recitando, cum disciplinis totidem ferrea sibi catena inflictis. Neque tot sese illi tentaeve dare occupationes in animarum procuranda salute quibat, ut a gemino isto precationis, et castigationis sacrificio retardaretur. 5. Qui magis, si quando ab istis paullo majorem, vel impetrasset, vel surripisset sibi remissionem; subinde novena, ac etiam duodena quandoque psalteria fundebat. In quibus noctes, nec raro, pene totas exigebat insomnes. 6. Unde mirandum minus accidere debet, in tantam virum tantum sese apud Christum, ac Mariam insinuare, plane dicam, familiaritatem potuisse, ut in secreto miras, et multas ab iis cum divinarum aliarum, tum rerum Psalterii

Revelationes, Visionesque acceperit, in publico autem tot, ac tanta patrare admiranda praedicationibus, et miraculorum designationibus, valuerit. 7. Praeter haec vero plura ipsius in praedicando zelum proferendoque inter vulgus psalterio adjuvabant: ut, hujusce ab instituto, sanctitas originis praerogativa, dignitas quoque ac prope divinitas: ab usu, orbis universitas, orandi facilitas, brevitatis, commoditas; Domini mandarum, Gabrielis exemplum, Ecclesiae praeceptum: a fructu, effectus mirandi in rebus qua spiritualibus, qua corporalibus, ut exemplorum testari volumina possunt. 8. Neque sat ardori fuit Praedicatoris; Psalteria orasse ad hauriendum spiritum, commendasse concionibus ad ipsum propagandum per populum; ex cingulo gestasse ad exemplum: verum etiam sibi piorum largitione ab plurimis providebat Coronis, quas inter plebem pro concione distribuebat: atque ita doctrinis, Rosariis, miraculis (((p.51))) undique loca peragrando complebat. Suo item exemplo, suasuque nobiles, et copiosos viros, faeminasque ad distribuenda psalteriorum donativa cobortabatur. 9. Experientia ipsi compertum erat, atque a non paucis, abservatum, quod, si quando minus aliis doctrinarum, in medium allatarum, praedicationibus sese ad animarum fructum proficere sibi videbatur, continuo ad psalterii commendationem spiritu, totoque conatu excurreret: atque eo dicendi argumento recta sentientes orthodoxus mirum ad modum accendebat, roborabat, haereticos vexabat, exagitabat, confundebat, utrosque suspensos, illos veneratione, hos admiratione sui ab sese dimittebat. Signorum vero, et prodigiorum miraculis, quot quantis locosque, animosque omnium compleverit obstupefactos, adque Deum reductos, dicere hujus loci non est. Unicum tamen ipsa singularitate sua facti quodam jure hunc sibi vindicat proprium; Tholosanae conversioni enarrandae, instituendaeque ibidem tum Fraternitati, tum et Ordinis Religioni fundandae.

HISTORIA

II. Tholosa (urbs est praenobilis Galliarum, quondam etiam principatus sceptro incluta) haeresim Albigenis pro aris, ac focis summa vi, ac ope propugnabat. 1. Vitam quam perfidiam, citius projecisset, s. Dominicus sua praedicatione, miraculis Deus Psalterium tota Italia, Hispaniaque jam diu celebrarat, mira cum animorum, morumque mutatione (teste Greg. IX, in Bulla Canonizationis ipsius:) Quo, ait sagittante delicias carnis, et fulgurante mentes lapideas impiorum, omnis haereticorum secta contremuit, et omnis Ecclesia fidelium exultavit. Neque tamen unquam, vel in urbem, vel in animos Tholosanorum penetrare sese Beatus Dominicus valebat. 2. Ergo zelo exaestuans, ac dolore in cavernosa proximae sylvae abdita sese aliquando solum conjicit, ad Deiparae snae impensius opem implorandam. Jejunia precibus jungit, corporisque dicas castigationes. Inter haec triduum tenuerat, paenas de se pro Tholosanorum culpis repetens, diverberate corpusculum sibi rubis, ac sentibus non disenebat, dum viribus defectus semianimis corruisset. 3. Collapso, cruntatoque adest Athletae Patrona sua caeli Regina potens, ac vultu, affatu, amplexuque jacentem excitat velut redivivum. Divae Reginae Caelitum tres aliae, vultu, cultuque per similes, nisi quod inferiores, astabant comites Reginae; quarum quamque, sicut assequae, virgines quinquaginta circumstabant; forma omnes supra hominem augustiore, armis illustres. Obstupuit viso in medio s. Dominicus. 4. Ad quem Alma Virgo parens: Dominice inquit, fili, ac sponse intime, quia adversum inimicos fidei, inspirante Jesu, meque opitulante, depugnasti fortiter, ecce tibi ipsa, quam invocas, adsum auxilio. Dixit: simul Reginae tres humi levatum, quasi seminecem, piissime sistunt Mariae. Quem illa in virgineos acceptum amplexus osculo fixo dissuaviabat; et apertis castissimi pectoris uberibus appressum lacte suo potavit, integreque restituit. Tum his affatur. Intimis visceribus (((p.52))) dilectissime fili Dominice, numquid probe nosti, et qualia arma Trinitas ter sanctissima usurpavit, cum orbem totum reparare statuisset? Cui ille: o

Domina mundi, tute nosti me praeclarius: per Te namque salus mundo venit, per quam, te mediatrice, mundus reparatus est, ac redemptus. Quae arridens familiari sponso: Trinitas, ait, beatissima ad orbis expugnanda scelera universa, praecipua sibi inter arma delegit Angelicum Salutationem, qua nostrum constat psalterium, totius Novi Testamenti fundamentum. Quocirca, si vis quem optas, in praedicando fructum, meum praedica psalterium: et mot persenties ter Max, Trinitatis auxilium. Simul addidit tale ei

SCHEMA PSALTERII

III. Istius in signum, ait ecce tres mecum Reginae sanctissimam Trinitatem repraesentant 1. harum, ut cernis, Prima candidissimo nitens cultu, Patris designat Potentiam, quam in filii sui, ex me nati sanctissima Incarnatione manifestavit. Hanc quoque quinquaginta Virgines, item candore venerabiles, designant primum Jubilaeum gratiae et Gloriae, in et ab patris esse potentiam. Secunda Regina, ostro et purpura rubens Filii denotat Sapientiam; quam in mundi per Passionem suam Redemptionem declaravit. Ittius comites quinquaginta pari insignes purpura virgines admonent alterum quinquagesimi anni Jubilaeum gratiae, et gloriae ex merito Christi passi descendere. Tertia Regina convestita stellis, Clementiam Spiritus sancti demonstrat, quam in Redempti orbis sancticatione misericorditer ostendit assistrices ei quinquaginta virgines, stellis undique coruscae, spondent, jubilaum tertium gratiae, et gloriae, in et ex Spiritu Sancto promanare. 2. Porro noveris: ego, ut trium Reginarum, sic et Jubilaeorum sum Regina trium in Via, et in Patria; nimirum Legis Naturae, Scriptae, et Gratiae quae totidem in Beatorum felicitate perennant. Quae causa est, cur Beatissima Trinitas isthuc mihi numerum CL. sanctificatum dicavit, et consecravit in Psalterio meo. Cujus idcirco. I. Quinquagena, de Incarnatione pura candet. II. De Passione Filii, purpurata rubet. III. De ejusdem Resurrectione, Sanctorumque gloria, stellata coruscat. 3. Age nunc igitur, mecum hoc capesse Psalterium, et constanter id praedica. Urbem, hostiumque fidenter invade cuneos, et ubi frequentissima convolarit multitudo, hoc lauda, commenda; Orationem suade: et crede, maxima protinus divinae potentiae mirabilia videbis. Dixit: seque super astra recepit.

IV. 1. Promisso fedit, dicto paret S. Dominicus apparet in urbe Tholosana: simul aedis summae aes omnes campanum, divino agitato, sumnis in turribus consonat, sonitu prorsus peregrino, et novo. Terror animos, motusque cunctorum, ac stupor incessunt, pariterque cupido, factum cognoscere visn, quod audiebant, et discere causam.

Ad paraeciam eam principem civitas advolat pene tota: (((p.53))) et ecce; videntur, ante cunctis perosus, auditur intrepidus divinus suspicatur psalterii praedicator s. Dominicus, cordium sentitur malleator. Stuporem ex pulsu campano, major ex predicatione excipit. Illius memoriam inter, et sensum hujus atque praesentiam, medii stant omnes pariter atque defixi: neque dum haeretica cedebat pervicacia. Itaque altior de caelo, horridilisque fit vis. 2. Virtutes caelorum moventur, mugiunt tonitrua, fulgura certatim volantia micant; resonant elisa fulmina: quatitur urbs, fragoribus orbis uterque successos intremiscit. Illapsurum metuisses, aut terram caelo, ignibus undas miscendas fore. Parum hoc: etiam quasi terra levis suspensa mota liberatur successorio; jam jamque hiata immam videbatur cunctos absorptura. Neque aquae cursum tentiere suum, retroactae feruntur,

et suffunduntur omnia: omnisque ventorum vis effusa murmure horrendo frendit. ac fremit. 3. Immania haec, et miranda: at mirabilius, quod in his omnibus vox una praedicandis psalterium nil cederet Dominici, quo minus integra ad aures audientium accideret. Ista, quae vincebat omnia, vincebat, et haeretica pectora. Haec frangit, haec mollit, haec mutat, tum inter alia sic fatur. Haec dectera excelsi: irati haec vox numinis est, o cives. Date locum Deo: ad ostium cordis vestri stat, et pulsat. Dens enim est, qui fulminat in nubibus. Terret, ut corrigat: non ferit, ne occidat. Plaga tamen capitibus imminet: si vultis declinate paenam, et ultimam, aeternam exhorrescite. Exemplum ab obstinatis Christi Jesu crucifixoribus, per similia terrefactis ostenta, capessite: et ex Jesu, Matreque Jesu propitiam sperate salutem. Agite, Salvatoris Genitricem Virginem, Matrem misericordiae poscite omnes Advocatam, Matri piae pius Filius nil abnuit. Utriusque precem amate, usurpate Psalterium. Secundum Deum Mariam colite, execrati haeresim ejurate. Et fidite: salutem spondeo, sponsonem hanc meam affirmabit gratia Deiparae. Deoque ratam, faciet subita ab hisce quies terroribus, et tranquilla securitas. Credite: cerno coram centum, et quinquaginta Potestates, Angelos vindictae Dei administros, a Christo, et a Christi Matre Virgine caelitus in vos imissas, paenis scelerum vestrorum exposcendis. 4. Has voces Sancti, aliae Blattarum intersonant voces infaustae, confusique ejulatus cacodaemonum eduntur tales: Vae, vae nobis! Ab Angelis, per vim maxime Psalterii, catenis ignitis religamur, et procul ex orbe hoc relegamur in barathrum heu, infelices: Horum tanta intendebatur vociferatio, ut de Psalterio Praedicatoris vocem pene obscurare videretur. Obruissent illam, ni Deus voci ejus vocem virtutis dedisset. 5. Ostentum istis accessit denique horribile aecque, ac mirabile. Prostabat forte in Ecclesia majore, Deiparae statua, loco edito, atque conspicuo. Haec visa cunctis fuit, dexteram in caelos porrectam extendere: vice minarum tertim repetita, ac si diceret: nisi jussa facessatis, peribitis. Ita enim gestum statuae mox interpretatus est s. Dominicus: Non plaga, inquit, non horridis monstra remittent, ni ab pertinacia remittentes, salutem per Advocatam (((p.54))) misericordiae in Psalterio quaesieritis. Ergo sacris ipsi precibus in Psalterio placate iratam, et elatum minaciter brachium ea flectet ad misericordiam.

V. 1. Jam fibras cordis omnium perculerat Deus, percusserat Dominicus. Vidisses abjectos humi universos, supplices ad Deum, Deiparamque palmas tendere, pallere vultus, artus tremere, et corpore toto inhorrescere: Audisses imis ductos pectoribus gemitus, fractos ructare singultus, obscurum mugire recitus, ululatus, virumque, mulierumque planctus resonare permixtos: madere lacrymis, sordidatos squalere cunctos, pectora tundere, spargere pulverem, lacerant genasque, capillosque, misericordiam vocare universos, haud secus, quam si viventibus sibi videntibusque funus duxissent. 2. Hoc flexus miserabili spectaculo s. Dominicus, vultu ad Deiparae statuam verso, humi genua supplex ponit, et orat. O Domina, caeli, terraeque potens Virgo aspice, paenitentes supplices audi, praeteritorum pudor, ac dolor praesens, de futuris meliora spondet. Iras pone, remitte minas, brachiumque repone in tuae sinum clementiae. Audiit pia parens, suaque brachium statuae contractum composuit. Pariter venti, tonitrua, terraeque motus, et cuncta resederunt. 3. Terroribus hisce, periculisque perfuncti Tholosani, dederunt manus, animosque singuli in unius manum Dei, et ductum s. Dominici. Fit pax, et alta quies, admiratio pariter, et perfecta animorum mutatio. Errores suos dimittunt, haeresum tenebrae remittuntur, et lux catholicae fidei aperitur. 4. Die posteriori novum Cives spectaculum tale dederunt. Superinjectis sibi camisiis, ardentes manibus cereos praetendentes, caudem ad Ecclesiam mane primo supplicatum conveniebant. Ad quos sanctus Dominicus Catecheticam de Psalterio instituit concionem, quantum, satis videbatur, sequentibus signis, quae plurima tunc ibidem, ac deinceps, Deus per servum suum operari dignitatus est.

VI. 1. Haec ita gesta evenerunt tribus circiter annis, aut quatuor, ante s. Ordinis Praedicatorum institutionem. 2. Et in perpetuam rei memoriam, Fulco Tholosanus Episcopus s. Dominico ejusque Fratribus, libera donatione facta, decimarum Ecclesiae suae partem sextam perpetuum donavit. 3. Atque ibidem prima s. Ordinis Fratrum Praedicatorum id temporis incunabula poni caepta fuerunt, in Ecclesia, dicta Sancti Romani, fundata tamen, ac dedicata Sanctissimae Trinitati, et Beatissimae Virgini Mariae. 4. Neque Ordinis solum, verum, et Psalterii porro plantandi in hunc Ordinem intravit, et in eo hucusque perseveravit. 5. Ex cujus utriusque institutiones, et s. Ordinis in Ecclesia, et psalterii in hoc Ordine, quanta Deus semper, Deiparaeque sint operati, seipso liquet, et in orbe fructus constat, quousque nomen patet Christianum.

ATTESTATIO

Et haec ommnia piissima Dei Genitrix V. Maria cuidam, quem desponsavit per anulum, et Psalterium mirandum, ex crinibus (((p.55))) ipsius Virginis Mariae, in collo sponsi pendens; narravit visibiliter, esse verissima.

CAPUT IV.

De B. ALANO, Deiparae desponsato Psalterii Innovatore, attestata narratio in Apolog. Cap. X

I. Clementissimus Deus Misericordiarum, et Deus totius consolationis, ex sua dignantissimae miserationis abundantia, et perpetua charitate, Psalterium Christi, et Mariae, jam diu in desidiosa hominum oblivione sepultum, benignissime dignatus est revelare cuidam Patri Fratri Ordinis praedicatorum. 1. Per quod, gratia Dei, cooperante, inaudita, et innumera peracta sunt miracula; et praesertim vere per praedictum Fratrem Praedicatorem in Psalterio specialiter Deo, Deiparaeque devotum. 2. Ante autem dictus Pater, quam ad eam admirandae praedicationis gratiam vocatione divina perveniret; Psalterium Mariae, sedula devotione quotidiana Deo per Advocatam Dei Matrem Mariam offerre diu consuerit; quo a tentationibus diaboli, carnis, ac mundi liberatus, vel immunem ab iis, aut securam Deo vitam in saue vocationis exigeret Instituto. Et quidem a quibusdam est liberatus; verum aliarum permolesta importunitate eo vehementiore, pugisque saevioribus afflicto fuit, et debuit conflictari. 3. Nam Deo sic permittente; (ut is, qui solus potest, eum faceret ex tentatione proventum) quem experia dein Ecclesia cognovit, (hodieque sentit) ecce septem ipsos annos a diabolo fuit crudelissime tentatus, verberibus contusus, et flagris diriter vapulavit. Adeoque saeva ea fuerunt sub inde verbera; ut ipsi vitam saepius extorsissent, aut eum ad desperationem adegissent; ni Alma Dei Virgo, miserata sic afflicto quanduque opem tulisset, ac medicinam, 4. Quodque amplius, tanta vi occulta, impetuque tortore saepiusexagitabatur a desperationis spiritu nequam, ad mortem sibi ipsi violenter manibus illatis consciscendam; ut dudum ferro animam cum sanguine hauisset, aut quo alioicumque necis genere vitam projecisset: idque semel decretissima desperatione steterat animo, in ipso quodam sacri Ordinis sui Templo: nisi visibilissime s. Maria

eum servasset, ex improvise apprens, dissipatrix tentationis. 5. Jam enim, heu, manus tentati tracta ad ferrum expediendum adigebatur; jam, ipso nolente, brachium inflexum, cum mucrone stricto, ad guttur proprium intorquebatur, ictu tam valido, adque necem certo, ut citra meram, ac dubium sibi gulam praecisam abrupsisset: sed misericordiosissima adfuit servatrix Maria, ictusque impetu in medio brachium hac involat, distinet, ista desperanti alapam infligit, et ait: quid o miser, quid agis? Tu meam si orasses opem, ut alias fecisti, in tantum istud periculum haud quoquam incurrisses. Dictoque evanuit. (((p.56)))

II. 1. Solus ita relictus miser, post paucillum gravissima, et humanitas, incurabili arripitur infirmitate; ut, quicumque eum cognovit, certus judicavit, ipsum vicinae mortis filium aliquando fuisse. 2. Omissa Ecclesia perrepat, in cellam, ubi rursus daemonibus undique exagitatus, conturbatos conscientia, infirmitate nova gravatos, cum miserabiliter jaceret, ardentissimis cum suspiriis ad Virginem Mariam hunc in modum orans clamabat: Me miserum mortis filium Eheu! Quid miser agam? Caelestia mihi adversantur: caelum mihi ferreum est. Infestant infera; humana me destituunt. Quid cogitem quid dicam, quo me vertam, nescio. Sperabam tuo, me oh miserum, opitulatrix Maria, et fortiozem, et securiozem fore praesidio: et ecce, proh dolor, in graviozem decidi maledictionem. Heu me! Ad quae natus sum? Cur lucem hanc infelix adsperi? Cur Religionem hanc ingressus sum, ac possessus? Quid mihi contulit tam longum, et durum vocationis servitium? Ubi quaeso veritas illa diceatis: jugum meum suave est, et onus meum leve. Ubi illa; quod non sinat tentari ultra, quam possumus. Vere: Salva Dei reverentia, et offensa: mallet potius non esse, nut lapis fuisse, quam sic vitae dies decurrere. Sic ille cum Job, et Jeremia clamans deficiebat: haesitabatque anceps, desereretne de caetero Domini servitium, an prosequeretur caeptum.

III. Cui deliberationi fluctuanti, ecce de repente media intervenit Divarum Diva. 1. Nam ipso multa secum animo vulvente, et in utramque inclinato, intempestae noctis fere medio, decimam inter, et undecimam horam, in cella jacentis subita coorta luce resplenduit claritas Dei: adstititque in ea Beatissima Virgo Maria conspicua, salutans ipsum suavissime. 2. Post multa divina colloquia, Virgo Lacte suo purissimo lethalia daemonum vulnera plurima perfudit, et mox integerrime consanavit. 3. Simul hunc famulum suum, Domino Jesu Christo praesente, multisque Sanctis circumstantibus sibi Desponsavit: addiditque ei annulum Virginitatis suae Virgineis de crinibus ipsiusmet Mariae concinne factum. Qui Annulus gloriae est inexplicabilis, et inaestimabilis, quem indutum digito gerit, desponsat modo mirabili sic, ut a nemine videatur. Ipse autem persentit in eo certa adversus omnes diaboli tentationes auxilia. 4. Pari modo benedicta Virgo Dei Genitrix simul injectam ei e collo suspendit Catenam ex Crinibus Virgineis contextam: in qua inserti haerent centum, et quinquaginta lapides pretiosi, ac quindecim, juxta numerum psalterii aui. 5. Quibus ordine peractis, dixit illi: ut sic spiritaliter, et invisibiliter faceret dicentibus devote suum psalterium. Idem numerus gemmarum, et in annulo continetur, sed longe alio modo minore. 6. Post haec eadem suavissima Domina oscium ipsi impressit; dedit et ubera sugenda virginea. De quibus ille sugens avide, videbatur sibi cunctis in membris, ac potentiis, irrigari, et transferri ad caelestia. Et saepius postmodum Alma Parens eandem ipsi gratiam contulit lactationis. (((p.57)))

IV. Unde cunctis mortalibus admiranda narro. 1. Haec utriusque orbis Regina, post desponsationem, eidem saepius apparens velut deficienti robur addidit divinitus, quo confortatus ipse alios item animaret Deiparae in Psalterio devotos. Ad eum vero sic aliquando fata: “Dilecte Sponse, (inquebat), ex hoc deinceps non debes me unquam a te alienam existimare, nec te vel a confidenti in me, vel ab servitio meo separare: cum me inter et te conjunctio sit tanta, ut si per sanctam corporalem desponsationem fuisset desponsati toties, quod in orbe existunt faeminae, non tamen sic forem astricta tibi, et addicta, veluti nunc sum per spiritalem desponsationem tibi copulata: et hoc non ulla carnali copula, quae vilis est, ac nihili, sed in spiritali, planeque divina. In qua virginalis inest generatio, et caelestis animarum faecundatio: quam nemo vel ratione, vel ex libris sat intelligit, nisi qui accipit. 2. Eja, age igitur dilectissime Sponse, oportet nunc, ut, secundum jura sponsalitia, sint cuncta inter nos communia. Quocirca volo, collatas mihi gratias, jure matrimonii spiritalis, tibi quoque communicare. 3. Scias autem: quod corporale Matrimonium in Ecclesia Sacramentum sanctum est, prout est figura, et signum Matrimonii spiritalis, inter Christum, et Ecclesiam. 4. Quia vero per Angelicum Psalterium, te mihi desponsavi, sicut et Deus Pater me per idem in Angelica Salutatione sibi desponsavit ad Filii sui generationem: ita quoque (volente sic Deo) ad ejusdem Filii Regenerationem in mundo, per Sacramenta, et virtutes, tibi juncta sum, purissima Virgo, et intemerata. 5. Nec veniat in cujusquam mentem de hac immundi quicquam. Haec enim spiritalis generatio sole purior est, stellis mundior, amplexum continens Trinitatis infinitae, ut in qua consummatur haec desponsatio. Quoniam ipsa est, in qua consummatur haec desponsatio. Quoniam ipsa est, in qua omnia, et per quam omnia. 6. Gaude nunc igitur, et laetare, o Sponse, gaudem enim me fecisti toties, quoties me in Psalterio meo salutasti. Et quidem me gaudente saepius tu contristabar, gravissime torquebar, saevissime affligebar, sed cur? Dare tibi dulcia decreveram, ideo multos per annos, praebebam amara, eja gaude nunc. Ecce tibi, ex donorum meorum abundantia, Monila XV. dono, juxta Lilia XV. virginalis mei psalterii”.

CAPUT V.

De Monilibus XV. B. ALANO Sponso a Sponsa donatis.

I. Monile: est remissio finalis peccatorum. “Impetravi tibi, o Sponse, omnium peccatorum, quantumcumque gravium, remissionem: nec in reatu peccati morieris, sed si offenderis, in mundo hoc punieris, quia me saepius salutasti per Ave: quasi sine vae” Quod ideo dedit: quia iste magnus peccator fuit, ac diversis, multisque peccatorum irretitus generibus degerat. Nimirum in exemplum caeteris, ut confidant peccatores. Idcirco enim Maria innocentem (((p.58))) non elegit: sicut et Christus Magdalenam sibi gratissimam desponsavit, ad fiduciam in paenitentia ponendam. Quae et ipsa Magdalena huic quoque desponsationi, tamquam illius Paranympa, et promotrix, intererat, cum filia sua Catharina Martyre, et ipsa Christi Jesu sponsata.

II. Monile. Praesentia Mariae: “Ecce, quia saepius obtulisti mihi, Maria: quae est Illuminata”: Idcirco hanc tibi do caelestem claritatem, ut lucem quandam semper habeas praesentem, in me simul habebis, et videbis Assistricem me, et Adjutricem tuam. Idque longe praeclarior, et verius, quam si me videres oculis, et tangeres sensibus corporis”.

III. Monile. Impetrandi gratia petita: “Quia obtulisti mihi saepius, Gratia, per quam et Deo placui, et pro mundo commerui: idcirco do tibi Gratiam impetrandi omnia, quaecunque orans rite petieris, ac subinde majora etiam, quam desiderabis”. Et saepe id ipsum re vera sic idem expertus est.

IV. Monile. Influentia caelestis. “Quia saepius mihi donasti liliu hoc Plena: quippe repletae in cunctis potentiis meis, et operibus meis, ac gratiis: idcirco ecce tibi concedo, ut a capite adusque pedes, intus, et extra, non sit pars in te, vel potentia, quae non sentire possit caelestem influentiam sive ad gaudendum, sive tristandum, aut ad operandum”. Nec factum secus. Persentit enim saepissime, omnibus in membris lucem quandam subintrantem, et inexplicabili modo ipsum pertrahentem ad conformitatem voluntatis Beatissimae Trinitatis.

V. Monile. Praesentia Dei. “Quia mihi saepius obtulisti liliu, Dominus, quod est ipsa beata Trinitas: ecce, tibi impetravi, un Dominus Deus sit tecum semper praesentialissime”. Hinc videt in se semper Beatissimam Trinitatem, seipsam absorbentem, ut jam se non videat, sed illam. Suntque ibi tres Personae distinctae, et nihilominus una est alia tota, et tota extra illam, et quicquid videtur in una, totum videtur, et in alia. Sed nec visio ista est imaginaria, nec corporalis, sed est fidei, sub lumine altiore, quam sit lumen omnis scientiae creatae. Ita tamen sentit, aut videt, secundum majorem in sese, vel minorem praeparationem, ac devotionem. Si quando enim est indevotus, aut mundanis occupatus, vel otiosus, diffugitiva visio: et aliquantisper deinde vix reddit, sicut antea in se praevia cum devotione, et paenitentia.

VI. Monile. Praesentia Sanctorum. “Quia tu obtulisti mihi saepius, Tecum: eo quod Tabernaculum fui SS. Trinitatis: ecce tibi do, ut videas in te, et sentias totam curiam caelestem: imo et totum mundum distincte, et clare”. Et fit ita. Vidit in se Sanctos, et Angelos. Nominatim, ad quos singulari fertur devotione. Quodque speciale est: ita sentit cum sensu, et luce quadam illuminante, non sine magno gaudio: aliquoties etiam cum magna coaritione.

VII. Monile. Loquela Sanctorum. “Quia obtulisti mihi, Benedictus: eo quod benedictum fuit meum eloquium, et ecce, dono ((p.59))) tibi eloquium meum, et Sanctorum, ut nostram audias loquelam”. Et fit ita. Audit in se pene semper vocem aliquam, vel Patris, aut Filii, aut Spiritus Sancti, aut Mariae, vel Santorum: neque vox ea est imaginaria, aut corporea, sed quaedam alia clara, et distincta, mentem afficiens, et erudiens: cujus in rerum natura simile nescio.

VIII. Monile. Omniscientia quaedam. “Quia mihi obtulisti saepe, Tu, quae est vox demonstrantis, et referentis, et supportantis: Doctorum vero sunt haec, docere, referre, supportare populi infirmitates: idcirco ecce dono tibi scientiam non humano acquisitam ingenio, sed mea gratia datam”. Hinc ab omni scientia divina, morali, et humana versatus est, et paratus: nec libris indiget ut inquirat. Plus orando reperire potest pro brevi tempore cum B. Maria, quam die toto in optima Bibliotheca versando. Eidem quoque B. Virgo revelavit scientiarum origines et subtilitates: quas ai homines scirent, humanas scientias, ob harum imperfectionem maximam, contemnerent.

IX. Monile. Innocentia ab mulieribus: “Quia obtulisti mihi lilium hoc: In mulieribus, scil. sanctos: non enim est laus inter malas esse benedictam. Idcirco ecce dono tibi hanc gratiam, ut numquam mulieres tibi noceant, vel minimum. Sed et quia me in Sponsam assumpsisti addo tibi Domicellarum mearum, idest, Sanctarum omnium praesentiam, auxilium, et obsequiam”. Unde, saepius vidit. s. Annam cum filia Maria, s. Magdalenam, s. Catherinam Virg. et Mart. et Senensem, et Agnetem, aliasque plurimas, non sine magna devotione, et Angelica delectatione.

X. Monile. Eloquentia: “Quia saepius obtulisti mihi istud: Et Benedictus: qui est Verbum Sapientiae: idcirco ecce dono tibi Benedictionem, ut in lingua tua et sermone gloriam sentias caelestem: inque ea videas magnalia Dei. Quod enim vides in te toto, videbis et in lingua”. Et ita videt ac sentit. Quia Ss. Trinitas ab illo tota videtur in ipso toto, et tota in qualibet ejus parte, aequae potens, et aequae perfecta. Adhaec ait B. Virgo:” Istam habebis gratiam, ut orando; vel docendo, si attenderis debita cum fide, et devotione, senties in te Christum loquentem ea, quae debes, et Me quoque respondentem tibi sive oraveris, sive docueris, sive legeris”. Et fit ita. 1. In lingua enim sentit gaudia persaepe inexplicabilia, non gustu sensus, sed alio modo, quem exprimere non velet. Idque praesertim post Ss. Eucharistiae sumptionem. 2. Mirabile istud: crebro sentit sensibilissime quasi aliquem hominem imbibitum, et infusum sibi, habentem caput in capite suo, et brachia in brachiis suis, sicque de membris aliis; juxta illud s. Augustini: nec tu me mutabis in te, sed tu mutaberis in me. 3. Et iste homo imbibitus est in eo, quasi omnia faciens, loquendo, ambulando ecc. juxta illud: non vos estis, qui loquimini, sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. Hic tamen modus est difficilis, et paenosus, maxime cum devotio deest et Fides magna.

XI. Monile. Praesentia Christi: “Quia obtulisti mihi Virginitatis ((p.60)) lilium hoc; Fructus, qui est Filius meus, in quo omnis inest Spiritus Sancti fructus, qui in primis cor, animamque sibi vindicat: corde enim magis, quam carne concepi: hanc Deo reddidi, Deum corde recepi, qui ex mea se carne vestivit. Idcirco ecce in corde tuo hanc tibi dono benedictionem; ut sentias ibi distincte totius Fili mei vitam”. Et factum est ista. 1. Nam in corde suo quasi quendam mundum sentit, intra quem Domini Jesu vitam intuetur, scilicet Incarnationem, Passionem, et Glorificationem. Et secundum istud, vel ad gaudia, vel ad compassionem cor ejus movetur. 2. Item in imo cordis sui lucem persentit mirabilem, qua mirifice confortatur ad bona quaeque agenda; adversaque perpetianda, et ad mala irae, accidia, caetararumque passionum repellenda. 3. Si quando lux ea recesserit, jam tum continuo, se ad omnia experitur impotentem. XII. XIII. XIV. XV. Monilia

praefatus Sponsus non scripsit. Causa nescitur: creditur, quod adeo secreta fuerint, et sublimia, ut mortalibus ea non iudicaretur manifestanda.

CAPUT VI.

De modo considerandi B. V. Mariam inter orandum: Revelatio ad B. ALANUM Mariana.

I. Accidit, ut B. V. Maria novello suo Sponso appareret petenti: “Ecquo meliore modo Deipara, Caelitesque Divi coli possint. Cui Sponsa: Sponse mi, imaginem mei tuae mentis oculis objice, et apprehende eam, non secundum esse humanum pure, vel natura, quod minimum est, sed secundum esse aliud quadruplex. Adverte”.

I. “Esse Gratiae cum sim Templum universarum Dei gratiarum, quarum quaelibet omnem Sanctorum gratiam longissime antecellit. 2. Esse gloriae meum per Christum, est prae omni omnium Sanctorum gloria. 3. Meum esse Dei quadantenus. Nimirum quo in idea est mea Ss. Trinitas per essentiam, praesentiam, potentiam: sicut et in caeteris creaturis. Sed altiori modo est in me per gratiam: qua facta sum Triclinium sommae Trinitatis, quoad esse Naturae, Gratiae, et Gloriae. 4. Esse, quo sum Mater Filii Dei”.

II. “Cum itaque in Deo rerum ideae sint omnium propriissime: mea quoque similitudo inest eidem pariter propriissime: mea quoque similitudo inest eidem pariter propriissime. Quae idea, ut est in Deo, aliud non est secundum rem, quam ipse Deus, sed secundum rationem distincta, scilicet quatenus a nobis in Deo concipi mente potest. Quocirca, me si in Patria cerneres esse Naturae humanae, Gratiae, Gloriae, et Trinitatis in me contuereris. Quorum quodque prius a posteriore inaestimabiliter superatur. Hinc idea Mariae est item quadruplex: Naturalis quoddam praepulchrum: Gratiiosa, quod pulchrius: Gloriosa, quid isto divinius. Divina denique, quae, est Ss. Trinitas in me esse ideale existens. Et haec Maria est omnium Domina, quae mundum fecit universum, ((p.61)) et quae in eo sunt omnia conservat, et gubernat, tamquam primum in perfectione ideatum inter omnes creaturas. Et ista est Maria, quam primo intelligo, cogosco, et amo: voloque a meis famulis intelligi, cognosci et amari. Ea enim putissimum est Mater Dei Verbi Incarnati, uti fuit in me per suam Essentiam. Ad illam primo referatur Angelica Salutatio. Quia natura mea humana nullam habuit benedictionem, nisi propter Mariam Deiparam in me existentem. Et haec idea mei, potior, et prima debet mente apprehendi. Similiter, et imago Christi, et Sanctorum. Hinc adverte, dilecte Sponse mi, nec non Unigeniti Filii mei Jesu Christi pro animae tuae profectu notabilem dictu perque saecula mirabilem sequentem modum orandi videlicet”.

MODUS ORANDI

Ad membra Christi, et Mariae considerata. Ex Deiparae Instructione.

Ad I. Quinquagenam. “In capite meditare maximam. 1. Inesse Dominationem Regiam, ratione et meritorum, et praemiorum, et Ss. Trinitatis, in eo ceu Triclinio suo, existenti. 2. In Visu meditare omnium scientiarum illuminationem: idque in merito, praemio, et deitate. Ubi et tui est visio clarissima. 3. In odoratu meditare omnium gratiarum fragrantiam. In me enim est omnis gratia vitae, et veritatis. 4. In Ore meditare summam omnium donorum Dei abundantiam, suavitatem, saporem, et eloquentiam. 5. In Guttore meditare eloquentiae, vocisque sonum, ac modulationem, quo Deus caelitesque omnes mirifice delectentur.

Ad II. Quinquagenam. “1. In Aure meditare, quod vox tua sonet, irremisse in auribus meis, omniumque Sanctorum harmonia, virtutem, et charismatum. 2. In Stomacho meditare quasi apothecam omnis suavitatis, et delectationis. 3. In Uberibus meditare omnem inesse consolationem, et dulcedinem. 4. In Brachio sinistro: omnem contineri gratiae naturalis, et gloriae Benedictionem. 5. In dextero, omnium gaudiorum infinita genera”.

Ad III. Quinquagenam. “In Utero mediteris potentiam filiandi immensam, et maternam reverentiam quantam maximam. 2. Ad Faemora fortitudinem summam. 3. Ad Genua, salvandi gratiam, et a malis liberandi indefessam. 4. In Tibis, unctionem, plusquam omnium Sacramentorum. 5. In Pedibus, meditare donum agilitatis, constantiae etc. Atque ista talia in corpore beato”.

IV. “In Animam vero longe maxime, et proprie meditari potes, et orare simul, eundo per Intellectum, Voluntatem, Memoriam, Irascibilem potentiam, et Concupiscibilem: item per sensum communem Imaginativam, Phantasiam, Aestimativam, et Bemiscentiam. Item per Potentias quinque sensum interiorum. In singulis istis veneraberis spiritalia, in esse rebus creatis in mundo hoc infinites meliora, diguora, veriora, sanctiora, puriora, clariora etc.”. (((p.62)))

V. Cogitati Sponso: quomodo possent illa vera idea, et imaginata? Domina respondit: “Tripliciter esse vera possunt. 1. Ratione ostendo. Nam Ss. Trinitas est ubique per essentiam, potentiam, et praesentiam: ideo est et in qualibet imagine creata, praesertim in idea s. Mariae, quae ab aeterno fuit in mente divina concepta, Deoque desponsata. Et ita Ss. Trinitas praesentialius est in qualibet re creata, quam forma insit materiae, aut locatum in loco. Ibi enim est esse divinum, in quo non inest falsitas. 2. Exemplum ecce visibile. “Continuo Sponsus ille intuebatur in Sponsa Deipara, et in omni etiam sui parte, totum mundum, mundosque alios innumeros, et esse quodlibet in quolibet

videbatur. Haec visio corporis. 3. Quod animam: videbatur sibi Sponsus mente, et voluntate in B. Mariae mentem omnes animae partes illabi, et absorberi, et mutari, sic, ut jam non esset, qui prius, sed quasi ipsa Maria omni videns, sentiens, potens. Hic quale reperit osculum Sponsus, qualia suxit ubera divina etc. ipse, cui revelatum est, scit. Et nemo scit, nisi qui accipit.

VI. Deinde pari modo, deipara mediante, vidit eadem in imagine Christi: itemque et Sanctorum. Et videbantur quodammodo Sancti abhorrere coli, et ideari in humanis nostris mentibus, secundum puram naturam humanam, quam nihili reputant. Quod tamen ita se honorari patiantur, id faciunt in ordine ad Ss. Trinitatem. Suddit caelorum Regina.

VII. “Gradum autem, et diferentiam adverte istam inquit Sposa. Adorandum quod est, honorari tamen cupiunt in ordine ad Ss. Trinitatem in Christo, Me, et Sanctis, est duplex. 1. Principale, Ss. Trinitas est, cujus intuitu fit adoratio. 2. Minus principale, sive secundarium adorationis: in hoc Christus exedit me in infinitum: Ego vero item alios inaestimabiliter antesto. Ratione primarii aequalis, est adoratio, inaequalis ratione secundarii. Unde Ss. Trinitas, quo ad ideam Mariae, est Sponsa omnium salvandorum Sponsus”. Et ad istum modum novellus ille Sponsus frequenter habet colloquium cum Christo, et Maria prorsus familiare.

CAPUT VII.

Rivelationes breves B. ALANO ab Deipara factae.

1. Ss. Trinitati nil gratius accidit ab hominibus, atque Laus in Psalterio, tum illo Davidico, in onjus quolibet psalmo implicate continentur Pater, et Ave totum: tum in isto nostro Christi, aut Mariae. Quare Laudate Dominum, et Dominam in Psalterio. 2. Hoc autem perplacere Deo, revelavit Deipara quondam venerab. Bedae, s. Dominico, s. Catherinae Senensi: et novissime cuidam suo novello Sponso: qui Psalterium ora re jam diu consuevit. 3. Psalmos quoque sic in Choro psallere, ut sibi, ad Arae dexteram stare Christum, ad sinistram Arae B. Mariam imaginaretur (((p.63))) ad quos alternatim Psalmos intentione dirigebat. Sic etiam s. Dominicus psallere solebat. 4. In Psalterio Mariae autem praecipue praesenti sponsus ille jubilationem cum inexplicabili gaudio admirandam. In tali accidit aliquando, ut B. Sposa Virgo Maria perbreves ei Revelationes plures facere dignaretur. Quae sunt hujusmodi, et verba sunt Deiparae.

I. “S. Maria, quicquid a Deo petierit, protinus impetrabit: quicumque quantumcumque, quoties, et quantumcumque obstiterint petendo contrarium”.

II. “Sic ordinavit Deus, nulli se misericordiam facturum, nisi ad plenum votum s. Mariae”.

III. “Mundus jam pridem defecisset, nisi B. Maria suo eum sustentasset patrocinio”.

IV. “Adeo deamat salutem cujusque peccatoris, ut parata esset, si vellet Deus, quotidie paenas mundi et inferni perpeti, (absque peccato) pro cujusque satisfactione. Ideo nemo despiciat peccatores, qui tanti sunt Deiparae”.

V. “Minimus B. Mariae cultus exhibitus, vel unica Salutatione, pluris est, quam millicuplo major aliis sanctis impensus (comparatione Sancti ad ipsam facta) quanto caelum majus est quavis stella”.

VI. “Tanto etiam plus misericordiae inest eidem, praecunctis Sanctis”

VII. “Nulli faerunt in Novo Testamento Sancti, quorum opera maximas non spectarint ad laudem Genitricis Dei. Unde s. Dominicus, s. Franciscus, s. Vincentius, s. Thomas, s. Bernardus etc. vixerunt et in Psalterii cultu devotissimi”.

VIII. “Qui ei servierint in Psalterio constanter, accipient specialem gratiam aliquam. Ita s. Dominicus, s. Franciscus etc. meriti sunt fieri Sacrorum Ordinum Fundatores, s. Dominicus dici meruit Filius Dei, Frater Christi, Filius, et Sponsus Mariae”.

IX. “Dominus Jesus post sumptionem Ss. Eucharistiae, et specierum consumptionem non desinit esse in aumente, gratia permanente. Imo melius est in anima pura, quam sub speciebus: quia hujus esse sui sub speciebus finis, et causa est istud esse in anima. Et hoc tanto, et melius illo, quantum anima est prae nudis speciebus. Sed aliter tamen est in hisce, aliter in anima. Novellus sponsus post Synaxim, sensibiliter, et spiritualiter, persentit in esse Christum. Sicut et s. Catherina Senensis, multique sancti”.

X. "Advocata nostra plus non diligit, quam quisquam quemquam possit unquam".

XI. "Unicum Ave dictum pretiosius est, quam sub caelo quicquam, aut quam ullum donum corporis: animi, vitae ect. Temporale".

XII. "Cultus sanctis praestitus est quasi argenteus, factus mihi aureus, Christo gemmeus, Ss. Trinitati, quasi stellatus".

XIII. "Sicut in mundo plus stellis cunctis sol potest; sic ego plus sanctis adjuvo servulos meos".

((p.64))

XIV. "Servitia sanctis facta quasi nihili sunt, nisi meis sint meritis, et lumine, post Christum, vivificata".

XV. "Veri psaltes mei morientur Sacramentis praemuniti: nec ante perdent loquelam, aut usum rationis".

XVI. "Praestium mihi servitium, sanctis universis praestat gaudium".

XVII. "Haec nomina Jesus, et Maria, duae sunt fornaces charitatis, quibus torrentur, et distorquentur daemones: at piorum mentes iis purgantur, accenditur devotio, caro castigatur".

XVIII. "Sicut ad generationem filii Dei, et reparationem mundi, Deus salutationem elegit: ita, qui spiritaliter alios generare et reformare zelant, oportet me per Ave salutent".

XIX. "Sic per me Deus ut per viam, venit ad homines: sic et hos item per me ad virtutes, et gratias ire, post Christum, necesse est".

XX. "Scias, quod me Deus Pater accepit in Sponsam, filius in Matrem, Spiritus S. in amicam Ss. in amicam Ss. Trinitas in Triclinium; et sic amo coli".

XXI. "Veri Psaltes mei plerosque in gloria antecellent: communiter ponentur in prima hierarchia, dicta Epiphania".

XXII. "In corporibus gloriosis unio Sanctorum; et spiritalis, et per imaginem quilibet in quolibet etiam corpore: in me vero maxime: hi amplexus sunt spiritalis, et quilibet sponsus, et sponsa castissimo cum gaudio charitatis".

XXIII. "In dies aliquos e Purgatorio eripio".

XXIV. "Si homines caperent, et cogitarent de visione beatifica, ad summam charitatem, fidem, spem, timoremque Dei brevissime pervenirent".

XXV. "Mi sponse, volo cogites Christum totum esse in te, caput ejus in tuo capite, pedem in pede, et sic de membris caeteris. Talem te cum videre non possum qui te intime completur, et tu omnia superabis adversa".

XXVI. “Missa est memoria Passionis Filii mei, velletque adhuc pati pro missam audientibus toties, quoties si posset: supplet autem merito suo infinito”.

XXVII. “Beata Maria, quoties videt novellum sponsum sibi induisse Christum, dulcissime, et reverentur eum appellare gaudet nomine sponsi. Atque tum ille sentit mirabilem in membris suis influentiam”.

XXVIII. “Celebrantes Missam esse tantae charitatis debent, ut vellent crucifigi pro iis, pro quibus sacrificant”.

XXIX. “Saepius quasi concipio, et pario Christum, ratione virtutum per meus famulos: et ipsum, et hos amplector etc.”.

XXX. “Devotionis actus piissimus est ad articulos fidei, quasi scalam, mente ascendere in Deum, et imaginari ad singulos, ac si res significata esset revera praesens”.

XXXI. “Angelos inter homines spiritalis est desponsatio: idcirco magna eis debetur reverentia, sunt enim custodes singulares, (((p.65))) ego custos omnium universalis: et sic mei sicut oculi Domini, sunt super honos, et malos”.

XXXII. “Deus est omnium piorum, et cujusque sponsus ardentissimus praesentissimus. Desponsatio autem fit, aestimando sese nihili et maximi semper Deum: et Deo se resignando, quoad esse, intelligere, velle, agere, pati, posse, et omnia”.

XXXIII. “Sponse novelle, peccator eras magnus, ego oravi pro te cum desiderio sustinendi pro te, fieri si posset, omnes paenas, ut salvareris. Quia peccatores conversi, sunt gloria mea”.

CAPUT VIII.

Visio B. ALANO facta, de assumpta B. V. Maria.

I. Psalterium Mariae cunctis diaboli, carnis, et mundi machinamentis adversatur, et inquinamentis: quia per salutationem Dei Verbum, ad hoc Caro factum, venit in mundum. Unde s. Hierou ait: Merito Maria est omnium Regina, quae Verbum Dei generando, omnia regeneravit in mundo. Id quod in Assumptae proaemio declaratur.

Novellus quidam Mariae Sponsus, in ipsa B. V. Mariae in caelos Assumptae festivitate, post caelestium Sacramentorum perceptionem, breve per spatium graditur ad superna, et admirandam Virginis Mariae Assumptionem intuetur; velut tunc gesta fuerit, cum Jerosolymis ea in circumstantium corona Apostolorum obdormivit. 1. Vidit animam illius, septies clariorem sole, de corporis templo progredientem, et inter filii Sponsi Jesu Christi brachia mira celeritate prosilientem, praesente Ecclesiae triumphante, ea praesertim Angelorum choro, hominum custodiae destinato. Ut ad caeli ventum portas erat, vox audita Jesu fuit: Attolite portas principes vestras, et elevamini portae aeternales; et introibit Rex, et Regina Gloriam: simul intrabat idem Dominus fortis, et potens in praelio cum Sponsa, innitente super Sponsum suum. 2. Hic effusa caeli gaudia pariter et agmina se obviam ferunt, flexisque poplitibus, Angelicam ei Salutationem dissona symphonicae concordia acclamant, ineffabili cum triumpho, reverentia, laetitia, et majestate. Nullus Caelitum visebatur absque Psalterio aliquo musico, nihil puram Angelicam Salutationem resonante mirae cum specialis melodiae suavitate. 3. Inter caetera etc.

SCHEMA PSALTERII.

II. Organi ad instar praegrans: quod unum alia centum et quinquaginta contineret Psalteria: quorum quodque fistulis item C. et L. constabat: ac rursus in unaquaque fistula, modo admirabili, C. et L. modulationes resonabant, in tanta consonantia, ut nil supra. Musarchus eo ludebat s. Archang. Michael, quem circum CL. conventores stabant: adstabat hisce Christi Angelus (((p.66))) Minister, eum vistor fuerat. Concentu videbantur posse vel mortui suscitari. Auditor talium Sponsus in mirificum Christi, ac Mariae sese rapi sentiebat amorem. 4. Chori autem sic alternabant; ut, postquam illustre illud Psalterium cecinissent, Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum: Responderet universa caelorum curia: Benedicta tu in mulieribus, et benedicta Fructus ventris tui Jesus Christus. Cujus solius mera fiebat repetitio, simul et melodiarum variatio alia usque, et alia: neque unquam eadem redebatur vocum sententia, et intelligentia. Isto Psalterio infinita Dei Sapientia capi videbatur. 5. Audivit porro a Ductore suo Sponsus ille sibi dici: Omnis mundus per hoc elogium est redemptus, et Rex caelorum incarnatus, et reparatae Angelorum sunt ruinae. Ea causa Angelici spiritus hoc novum Canticum Deo resonabunt in aeternum. Accedentes autem Caelites ad Mariam omnes diversis ordinibus (in quorum singulis non plures CL. memorabantur) istud ei Psalterium quisque suum offerebat. 6. Admiranti nimium sponso, quidam assistentium ajebat: Quid miraris? Numerus iste sacratissimus est figuratus in Arca Noè; in Tabernaculo Moysis; in Templo Salomonis: idque per varios denarios numeros saepius sub hoc mysterio iteratos; in

Ezechielis quoque novo tempio viso commensuratos. In Davidicis Psalmis hoc numero CL. per Ecclesiam usitatis: qui omnes de Christo, et Matre Christi, praecinuerunt. Haec enim verum, et vivum est Ss. Trinitatis Psalterium adeoque totius utriusque Ecclesiae. Ideo in paris numeri Psalterio preces offeruntur hominum, laetificantur Caelites, honoratur Deus. Quae ut universis praedicares Deo esse gratissima, idcirco hic nunc audire et videre te tanta voluit idem Deus.

III. Praedicare “autem Psalterium grandis postulat orbis necessitas, ob instantia mala. Quisquis id arripuerit, sentiet vim ex eo et praesidium: qui spreverit, venturis malis involvetur. Vastitas imminet orbi miseranda: cui solum, quod orbem reparavit olim, etiam nunc mederi potest Psalterium Angelicum”. Audiit ista Sponsus, et oculos forte ad subjectum sibi mundum deflectens, videbat. 1. Ab Aquilone cernebat barathrum immensae profunditatis, de quo fumus obscuro igne permixtus evolans mundo vastitatem inferebat. Et vox quasi aquila volantis audita est, et clamantis: Vae, vae carni, et sanguini, quorum incendio mundus totus succensus flagrat. 2. Parte diversa conspicabatur horrificum belli apparatus circumferri, ac detonare per orbem cum immensa clade, tempestatesque, tonitruaque, fulminaue intervenientia mundum omnem quatere. Quae inter mulieris vox ab aere vociferabatur: Vae, vae, vae mundo a malis. Et alia occlamabat: Quia non est misericordia in mundo: non petas amplius clementiam in caelo, nam finis venit, venit finis. 3. Parte alia cernebat idem innumeras cacodae monum catervas, duabus plagis orbem pene omnem praecipitantes in hiatus inferni: ab CL. fornacibus horrendi, cum infinitorum diversitate (((p.67))) cruciatuum. O clamor, o horror, quantus inde prodibat! Dictas tres plagas audivat deberi tribus mundi malis, Luxuriae, Avaritiae, Superbiae, et contra haec valere Psalterium.

IV. Interea Reginam caeli Rex Jesus Choros super Angelorum evectam, sic affatur: “Mater mea o Sponsa, et Virgo Regina: Tibi Ss. Trinitati per est praesentari, tuaque per merita mundo subveniri. E terris huc qui invehuntur, protinus Ss. Trinitati sese devoventes, sua ipsi meritorum offerunt dona. Tuus ipse Ductor ero: Acceptura es namque Regnorum caelestium possessionem”. Dixit: dictoque citius, ecce, coram adstare videbat novellus Sponsus novum.

SCHEMA PSALTERII.

Reginae XV. Supra mortales augustissimae apparebant: et suae singulis pene stabant Domicellae. 1. Priores quinae suis cum L. puellis, Rosas totidem mirae pulchritudinis praeferebant: quarum primae aureis litteris visebatur inscriptum, Ave: secundae, Maria: tertiae, Gratia: quartae, Plena: quintae, Dominus. 2. Alterae quinque cum puellis L. quinas Gemmas deferebant maximi pretii: harum primae incisum videbatur Tecum: secundae, Benedicta: tertiae, Tu: quartae, In mulieribus: quintae, Et benedictus. 3. Posteriores quinae cum L. puellis Deiparae praeferebant quinque stellas. Quarum inerat primae, Fructus: secundae, Ventris: tertiae, Tui: quartae, Jesus: quintae Christus.

Tunc suus Matri Filius ajebat: “Dulcissima Genitrix sponsa charissima; Filiale et Spirituale, et suae horum cuique regna sunt quinque. Te caelorum reginam, non participem solum, et consortem, ut omnes sunt Caelites, verum Imperiorum etiam Potentem esse par est. Age: ecce tibi”.

I. IMPERIUM PATERNUM.

V. Hujus Regna sunt quinque Patri Convenientia. 1. Paternitas. 2. Unitas. 3. Potentia. 4. Aeternitas. 5. Creatio. Singula, et omnia Tremenda, Adoranda, Divina. Hic ergo Diva Virgo Parens, Patri Imperatori supplex Omnipotenti sic humillime fatur. Ave Pater: Entiam Ens. Ecce pro me proque omnibus meis, hanc offero Rosam, tua mihi dudum gratia donatam. Simul de manu Reginae primae Rosam, Ave, inscriptam, accepit; obtulitque Patri pro Imperiali Regno Paternitatis. Accepta Rosa Paternitatis. Pater inquit: Digna gloriosaque Rosa haec? Ob hunc aeternum eris Regina regni Paterni, tamquam Mater Entium omnium singularis. Quia per Ave genuisti Creatorem omnium Filium meum, Sponso videbatur Curia caelestis tota hanc Libro inscribere donationem, Mariae, ejusque Psaltis factam.

II. Unitatis Regi, Regnoque praesentata, Rosam offerens Maria, ait: Ave Rex Luminum. Ecce unitatis infinite, ex qua cuncta manant; Rosam, Maria, pro me, meisque offero ut seis, et vis, Accepta, (((p.68))) Rex ait: Benedicta Tu eris Regina in Regno unitis meae. Entiumque cunctae Unitates, ac singulae tuae subesse volo potestati.

III. Potentiae Regi, Regnoque sistebatur. Quae Rosam Gratia offerens ajebat. Ave Rex gratiosissime: ecce donum hoc pro me, proque servis meis Psaltis. Placeat oro, et placet. Cui Rex: Placet et placat, placabitque. Esto meae tu Regina Potentiae: subestoque tibi omnis in caelo, terraque potentia. Quia tu genuisti Potentiam Patris Filium, qui mundi est Gratia.

IV. Aeternitatis Regi, Regnoque adducta, supplex ajebat; Accipe meam, servorum meorum Rosam, Plena. Cui Rex: Tu Genitrix Aeternitatis, Pleanae, promerito Regina capesse Aeternitatis Regnum hoc.

V. Creationis Regi, Regno Rosam similiter offerens. Dominus: idem recepit Regnum Regina creationis, quia genuit Creatorem Filium. Hic quanta omnia gaudia?

II. IMPERIUM FILIALE.

Hujus regna Gaudiorum sunt quinque juxta Filii Attributa.

1. Filiatio. 2. Verbum. 3. Sapientia. 4. Redemptio. 5. Providentia. Horum singulorum Regi, Regnoque sistenda Virgo humillima Ductorem sequebatur.

I. Ergo regi Filiationis pro Regno Filiorum Dei, proque se et suis, rite praefata, Gemmam tecum, offert.

II. Item Gemmam Benedicta, Regi pro Regno Verbi Incarnati dat: et id recipit Regina.

III. Pro Regno Sapientiae Regi donat, Gemmam Tui Reginaque fit Sapientiae.

IV. Pro Regno Redemptionis Gemmam dat, In Mulieribus, fitque Regina Sapientiae.

V. Pro Regno Providentiae dat Gemmam, Et Benedictus: recipitque Regnum. Hic rursus nova Caelitum gaudia, laudesque mirificae consonabant.

III. IMPERIUM SPIRITALE.

Huic Regna sunt item quina, ut et Spiritus Sancti Attributa.

1. Spiritus Sancti. 2. Dona. 3. Missio. 4. Bonitas. 5. Conservatio.

I. Regi Spiritui Sancto supplex stellam, Fructus, offert. Cui Rex: amico charissima, posside Regnum omnium Spirituum: de hisce fiat voluntas tua. Quia fructum de Spiritu Sancto concepisti volens.

II. Pro Donorum Regno stellam, Ventris, offerenti Rex ait: Esto Regina Donorum Dei; nec nullum donum naturae, morum, gratiae, seu gloriae, cuiquam dabitur, nisi te cooperante et mediatrice.

III. Pro Missionis Regno stellam, Tui, offerenti Rex ait: Sicut per Ventrem tuum benedictum bona omnia data mundo sunt: ita per factam ad te Missionem Filii innotuit summa ((p.69)) processionis meae missio. Quare tu esto Regina omnium in utroque orbe missionum, nec ullus fiat motus tuo sine nutu.

IV. Pro Bonitatis Regno Stellam, Jesus, donanti Rex ait. Tu Regina Bonitatis esto. Nec ullam ego cuiquam: nisi te mediante communicabo.

V. Pro Conservationis Regno stellam, Christus, danti Rex ait: Nihil ex hoc, vel in natura, vel gratia, Te sine, conservari volo. Tu enim genuisti servatorem orbis Regina Conservatrix. Gaudia hic rursus immensa.

ECCE NUNC CORONIDEM.

VI. Denique Ss. Trinitati praesenta offerebat se ipsam pro se, servulisque suis psaltis. Cui Deus: Facta tibi dona, in aeternum esse rata volo, jubeo. Tu nobile Triclinium esto Ss. Trinitatis. Ego sic ero tota in te, et tu in me tota mutata: non assumptione, sed glorificatione singulari. Tune voluntati nil obnuam unquam. Ad haec: Quia Dona illa XV. ordinasti ad mea X. Praecepta: ad mens X. Virtutes potissimas: contra X. Vitia mundi: ad Naturae X. praedicanda instauranda: idcirco volo, in caelis, in terris hoc sub numero lauderis in Psalterio. Ad ultimum versa ad sponsum inquit, Sponsa: quae vidisti, audisti: praedica. Nil timueris: ego tecum sum; te adjutabo, cunctosque Psaltas meos. In resistentes tibi, ego vindicabo: disperibunt; ceu expertus, multos jam vidisti mala morte extinctos. Cap. 13. 4.

Nunc porro advertite sic.

CAPUT IX.

Pars altera Visionis. De Monarchicae conflictu Misericordiae cum Justitia, etc.

NOTA

Sic monet sub finem capitis B. ALANUM B. Virgo in caelo pax summa; discordia nulla; nec Dei mutatio est: sed humano captui sic repraesentatur diversitas temporum, legis, et Evangelii: iraeque Dei ad Gratiam versae.

I. Clavis, aut vas Misericordiae est psalterium Mariae: qualis, Genes. 24. Hydria Rebeckae, viatorum refocillatrix de Fonte Matris Misericordiae. Sic Visionis pars altera docet. docetq. In Psalterio deprecari mala: sicut prior, hona petere. Sponsi igitur novelli Visionem illam serenissimam sequitur alia illiuc severissima: hiuc Misericordissima. Ecce novum.

SCHEMA PSALTERII.

Instituta jam aeternorum trium in caelis Imperiorum Imperatrix, et Regn. XV. Regina Maria erat, eratque suum Misericordiae Imperium (((p.70))) auspicatur: faeliciter! Ter, o semplius: ecce, parte alis e diverso, (Tria nova Imperia;) inde jam ab homine, orbeque lapso, in orbe usurpata Deo; motu grandi sese movent, ac velut adversam novam Dei, Deiparaeque Misericordiam insurgunt. Res ita geri visa fuit. Deus, lapsu Protoplastarum iratus, velut omissa Clementia, vegere subjectum caeptavit in virga ferrea suae Potentiae, Justitiae, et Veritatis: nunc, accepta a Filio satisfactione, placatus, sui in orbem Imperii frena laxavit Misericordiae: cujus per imperium triplex novum hoc antiquari necesse fuit Vetus usurpatum imperium trinum. Itaque Trinum, Istius Imperatricis (Potentia, Justicia, et Veritas), habitis velut comitiis: (istam) ajunt, Dominam Misericordiam unam omnia regere? Si permittimus; peribimus, peribit Lex de malis cessante de malorum damnatione. Ergo: belligerare placet? Perplacet cunctis. Res miranda! Apparebat Sponso visibilissime, ac si corporis cerneret oculis talia:

I. POTENTIA IMPERI PATERNI.

II. Imperatrix haec ingenti mole movet se; primaque graditur in acie. Reginae eam sequentur quinae, truces: (1. Maledictio. 2. Ignorantia. 3. Obduratio. 4. Inopia. 5. Servitus). Similes his turbae minaces aderant innumerae, ordine nullo, et multo cum murmure mixtae. Hiucque stabant. Stabat atque inde Monarcha Mariae Misericordia cum potentia. Haec armis freta Misericordiae, virtutum; et meritis Christi, suis, et Sanctorum, albis equis insidentium; illatis in turbam adversam signis felicibus, venit, vidit, vicit. Severam illam paternam potentiam capit, cum Reginis ejus, et copiis universis. Omnes gigantae magnitudinis erant, et fortitudinis hactenus invictae. Ad eas, manibus post terga revinctas. Monarcha Maria sic fatur: “Dominae potentissimae: justum est, ut Dei voluntas impleatur, Sapientia perficiatur, honitas conservetur. Cum igitur hic placuit me indignissimam singulari gratia sua dicere Imperatricem Misericordiae, plane necessarium erat, totis a me viribus imperium meum defensari. Vos ab amnis jam retro quater millenis cominatae misericordiam ab orbe profligastis, solis conclusam caelis. Nunc (ita visum Deo) Ego, vestrique omniumque potens, Autoritate Ss. Trinitatis vos absolvo; absolutasque pronuncio. Simul Misericordiae, Reginas instituto; quin magis restituo regnis. I. Quare tu, maledictio, cede: succede mea benedictio in regno Ave; quod est sine Vae. II. Ignorantis, diu nimium mundo gravis, abscede: succede huc illuminatio in Mariae Regnum. III. Tutque obduratio, duras nimis fuge: accede hona gratia, ad regnum gratiae dictum. IV. Vah, fatuitas gigantea, honorum hucusque omnium evacuatrix; abscede: tuque sufficientiae, plenitudo succede, et regna in regno plena. V. Servitus dira quid urges? Cede. Accede tu libertas filiorum Dei, et regna in Regno Dominus. Audite nunc: quaeque remote Regnis, quaeque promotae, et suffectae regnatis, quique psaltae mei subditi famulamini Christo, ((p.71))) et mihi: audite, jura capessite vestra. Volo, ut psaltae mei in vita, in morte, et post mortem, habeant Benedictionem, Illuminationem, Gratiam, Plenitudinem, ac Libertatem: immunesque, securique regnent a Maledictione, Caecitate, Obduratione, Inopia, et Servitute”. “Quia parent mihi in Paternae Potentiae jam Misericordiae Regnis dictis: Ave Maria, Gratia, Plena, Dominus”.

II. JUSTITIA IMPERII FILIALIS.

III. Imperatrix haec, cognita sororis captivitate, in arma ruit, vocatque suas in arma socias Reginas quinas. Advolant hae saevae, saeviorum cum turba malorum. (1. Peregrinatio. 2. Infamia. 3. Severitas. 4. Immisericordia. 5. Fortuna mala). Conferunt: inferuntque signa infesto in aciem Deiparae Misericordiosissimae Monarchae. Fit vis; vimque vis melior vincit Mariae, et revinxit Justitiam: capitque manus, sic inquit ad Mariae Misericordiam Dei: Vulnerasti cor meum, soros mea: sagittae enim tuae acutae: cum carbonibus desolatoriis. Penetrant, incedunt. Cui contra Maria clementissima. “Diu dureque nimis in Adae filios ea dominata, finem tibi impero, modumque statuo. Volo (sic namque divina placuit Sapientiae Filii): ex hoc imperare Misericordiam volo. Tua hinc facessant Dominatrices truces. Et tu. I. Peregrinatio, cessa exules, caeloque extortes abjicere miseros mortales, inque terris peregrinos, et limbo. Cede: accede Regina mea hospitalitas,

capesseque regnum, tecum. II. Infamia, infanda, infeusaque nomini humano: Cede, Succede, Fama Bona: cape regnum, Benedicta. III. Severitas, desaevito nunc: abcede regno: fugasti diu Mediatorem, vel retardasti. Tu, mediatio, cape regnum. Tu. IV. Immisericordia: cede, fuge Regna tu, o Pietas in regno, in mulieribus. V. Mala fortuna, cede: accede bona, ad regnum: et benedictus. Hic Maria Audite edictum omnes, Volo, ut in psalterio meo psaltae habeant in me Triclinio Ss. Trinitatis. 1. Hospitalitatem. 2. Famam apud Deum honam. 3. Mediationem Filii, meam, et Sanctorum. 4. Pietatem: et. 5. Fortunam bonam: vacentque a contrariis omnibus. Quia parent mihi in Regnis, Tecum, Benedicta, Tu, In mulieribus, Et benedictus”.

III. VERITAS IMPERII SPIRITALIS.

IV. Haec, istis cognitis: in arma se, quinasque socias, regnumque totum injicit: molitur omnia: excogitat nova; vetera exagerat nova: invadit Mariam, pugnat: At expugnatur ab illa Spiritu Sancto adjuvante: Captaque cum suis tribunali sistitur Ss. Trinitatis. Ubi, Maria sic inquit ab alto. “Haec est, quae filios Adae hactenus patriae veritate privavit, tennitque atra sub umbra vinctos, abstine nunc: et exue imperiam. Et suae quoque cedite Dominatrices: (1. Infructuositas. 2. Infaecunditas. 3. Paupertas. 4. Captivitas. 5. Mors mala). Regnis hisce nostris abscedite dictis: Fructu, Ventris, Tui, Jesus, Christus. In haec vero succedite (((p.72))) felices vos Reginae, Spiritus sancti: 1. Fructuositas. 2. Faecunditas. 3. Abundantia. 4. Libertas. 5. Sanitas et vita beata. Volo, ut psaltae mei hisce gaudeant: careant contrariis.

CATASTROPHA

V. Ss. Trinitas tanti spectatrix conflictus, ab Potentia, Justitia, Veritate captivis implorata, respondet: Filiae charissimae: mea vos inter filia Pax, esto arbitria. Ipsam audite. Hic stabat pulcherrima pax, et sit. “Detur cuique quod suum est: et flet pax in virtute tua. O ter, Ss. Trinitas. Geminam decerno Sententiam. Priorem: Maria sibi optimam partem elegit, quae, est, Misericordiae, in regnis XV. Quare quicumque in psalterio Christi seu Mariae Monarchia gaudere beati”. Annuit omnipotens, ratumque jussit, totaque caeli curia acclamavit. Rursum mox voce terribili, Pax proclamat: Alteram sententiae partem pro captivis. “Dominentur porro Potentia, Justitia, et Veritas: verum super eos durum jugum suum imponant, qui misericordiae regnis sub signo psalterii Christi, aut Mariae subesse recusant idque vel ex contemptu, superbiae vel accidia neglectu: aut alio quo vitio suo”. Ad haec Ss. Trinitas ajebat” Fiat; et aeternum sic fiat. “Voxque Caelitum una conclamabat”. Fiat fiat. Amen amen. “Veritas subridens sibjicit”.

VI. “Certe, o ter beata Maria, Imperatrix dignissima: Regnum tuum erit minimum: nostrum maximum. Quis pars minor dabit se sub signa Psalterii orandi, portandi, propagandi. Arcta enim via est, quae ducit ad caelum, et pauci intrant per eam. Pars potior nostro sub jugo gemet, serviet, luet, aeternumque luet”.

CAUTELAE ADMONITO.

Denique ad Sponsum versa suum Diva maxima sic monet. “Cave, putes, in caelis bella geri, seri discordias. Cave sic putes. Pax ibi infinita est. Verum tus, hominumque a te docendorum causa, haec quasi gesta vidisti, ut factam ab ira in gratiam mutatione quasi Dei, et Psalterii gratiam praedices ad hominum captam”. Dixit, simul osculum ei afflixit, et Ubera sugenda praebuit in signum veritatis. Tantoque delibutus gaudio exundavit; ut ad humana, terrenaque omnia sibi videretur stomachari. Sic ille sponsus redditus humanis et homini suo, verissime intellexit, viso isti conforme illud esse, quod in Assumptione canit Ecclesia: Hodie Maria caelos ascendit, Gaudete: quia Christo Regnat in aeternum.

CAPUT X.

De Angelicae Salutationis Excellentiss Sponso Mariae revelatis ab Jesu.

Vidit: sudivit novellus Mariae Sponsus immeritus; ut sequitur (((p.73))) : Jesus ait Matri. Dulcissima Mater Sponse: perplacet, Te in angelica Salutatione laudari. Ideo in hac praeconia tuae Dignitatis contenta. Sponso revelare tuo placet. Ad quem versus ait: Fili mi: visibiliter apparens tibi, pando; quid Matri Dei offers nescius; cum Ave dicis et devotius; Sponsus. O cordium Amor, et gaudium dulcissime Jesu: de Tua summa gratia, et pietate, qua me indignissimam peccatorem dignitatus es visitare, gratius, non, ut debeo, refero, sed ut valeo: simul humillime rogo; doce quae nescio. Jesus. Fili mi: audi per similia mundi magnalia, quae in Matre Dei sunt excellentiae.

LXXII EXCELLENTIAE SALUTATIONEM ANGELICAE.

I. PSALTERIUM. Quinquagena Prima. “1. Ea est Paradisus: in quo novus Adam, et Eva, Christus, et Maria sunt ad regenerationem hominum positi. Bern. 2. Est ea Caelum siderenim stellis Virtutum, Gratiarum, Scientiarum, et Meritorum Ang. 3. Est Sol mundi ornatum, quo is regitur, illuminatur,

incalescit igne castitatis. Ansel. 4. Est Fons vitae in Ecclesia; quo lavantur scelerati, sanantur infirmi, potentur sitibundi, scientiarum horti rigantur. Ang. 5. Est Arhor vitae, suscitans mortuos: sanans infirmos, conservans vivos Hieron.”

2. Quinquagena. “6. Est Arbor scientiae boni et mali: cujus gustu docentur mei bona facere, fugere mala. Ans. 7. Est Hortus amaenitatis cum virtutum floribus, e quibus unguenta conficere est in salutem vivis, et defunctis. Ans. 8. Est Minera metallorum; ad meos ditandos, et armandos, depellendis hostibus. Alber. 9. Est lapifudina gemmarum, id est virtutem, ad coronandas animas. Aug. 10. Est Stella maris, in mundi fluctibus, et peccatorum tenebris, qua dirigamur, et illuminemur, ut portum intremus. Bern.”

3. Quinquagena. “11. Est Corona gloriae, constans gemmis meritorum, et auro charitatis: qua Mater mea coronatur, quoties salutatur, Aug. 12. Est vestis Regia Mariae, qua peccatores conteguntur, ornantur justi. Bern. 13. Est Castrum Trinitatis Sidereum, non lapidem. Bern. 14. Est Viridarium amaenitatis cum fructibus gratiae, et virtutum. In eo columba Spir. Sanct. requiescit, pullius gratiarum enntit: philomela solatii spiritalis meditatur: fragrat fama, et virtus. Bern. 15. Est Civitas gemmis, auroque constructa militantis Ecclesiae. Bernard.”

II. PSALTER. 1. Quinquagena. “16. Ave est Templum Salomonis, in quo Hostiae, Vota, Sacramenta Deo offerentur; peccata delentur, tribulationes pelluntur; auxilia impetrantur Sanctorum; melodiae Beatorum audiuntur; Dei Filius incarnatur. Aug. 17. Ave est Vitis Engaddi, quae balsamum mundo protulit, quo sanantur aegri, illuminantur caerci, vivi utuntur, et mortui unguentur. Aug. 18. Est Scala, et Stella Jacob, qua itur rediturque caelo. Hieron. 19. Arca Testamenti, in qua sunt tabulae Legns sapientiae divinae, et Manna consolationis. Bern. 20, Est Arca Noè, qua mundus a (((p.74))) peccatorum diluvio liberatur, et ab inundatione tribulationum protegitur Ansel.”

2. Quinquagena. “21. Ave est iris Clementiae, dantis veniam superbiae, auro avaritiae, virori vanae laetitiae, inconstantiae etc. Aug. 22. Est Mons Dei, quo terrena deseruntur, cor surgit, Sodomaemum incendium effugitur. Hieron. 23. Est campus seminum virtutum. Basil. 24. Est organum laeticandis caelis: Cythara excitandae in Ecclesia latitiae. Symphonia peccatis fugandis. Amb. Beda. 25. Est Sylva solitariae devotionis: ubi ferae sub jugo stant paenitentiae, cursuque veloci fugiunt mundum. Damasc.”

3. Quinquagena. “26. Ave est pratnm amaenitatis, in quo pascuntur greges Christi. Ansel. 27. Est flumen suavitis, fertilitatis, quo Ecclesiae terra fovetur, rigatur. Basil. 28. Est Mare divitiarum;

absque procellis, quo tute itur ad Astra. Albert. 29. Est Domus, et hospitium Trinitatis, et Triclinium. Ric. de s. Vic. 30. Est Statera operum humanorum. Damas.”

III. PSALTER. 1. Quinquagena. “31. Ave est Bibliotheca scientiarum divin. Et hum. Amb. 32. Est Gazophyl. thesaurorum Dei: unde bona caeli, Christi etc. egenis nobis dispensantur. Damasc. 33. Est fabrica mundi reparati. Aug. 34. Est vallis, qua humilitatem reperimus. Hayimo. 35. Est horreum Misericordiae, e quo animae nutriuntur.”

2. Quinquagena. “36. Est Altare Dei viventis, nostrae requies. Orig. 37. Est Thymiana sanctae fragrantiae; cum quo opera nostra offerimus in odorem suavitatis. Bed. 38. Est Liber vitae Justorum. Damasc. 39. Est via caeli, qua ad patriam, et patrimonium pervenitur. Ansel. 40. Est Scutum, quo ignea tela nequissimi extinguuntur; vincuntur adversa. Bern.”

3. Quinquagena. “41. Ave est Arcus, et sagitta hostibus vulnerandis, ut ad triumphum Imperatoris perveniatur. Bas. 42. Est Camisia Castitatis, Velum honestatis, Zona dignitatis, Annulus caelestia desponsationis. 43. Est Sertum florum, Beatis coronandis. Aug. 44. Janua caeli, salvandis animabus. Alber. 45. Est Clibanus, ubi cibus est Panis Angelorum, Dans vitam mundo. Bern.”

IV. PSALTER. 1. Quinquagena. “46. Ave est murus, et seps civitatis contra hostes. Ans. 47. Est Nubes rorida, unde mundus rigatur, floret, fructificat. Aug. 48. Est Apotheca charismatum, morbis medendis. Bern. 49. Est Speculum puritatis, in quo Aetherea contemplarum. Ans. 50. Est Microcosmus, quo exterior Microcosmus est reformatus.”

2. Quinquagena. “51. Ave est Vas potentiae Patris, sapientiae Filii, Bonitatis Spir. Sanct. Bern. 52. Est Seraphina civitas Beatorum. Augustin. 53. Est Justitiae thronus Thronorum Sanctorum, ad quem Pax facta est. Estque Dominium Dominationum. Bas. 54. Est Potentia Potestatum contra potestates tenebrarum. Petr. Damian. 55. Est Directorium principatum, quo ad caelum ducimur. Blesens.”

3. Quinquagena. “51. Ave est Providentia maxima, qua ((p.75))) Provinciae, ad magna bona disponuntur. Aug. 57. Est quasi inspiratio prima Angelorum pro Humanitate Christi exaltanda, contra Luciferi superbiam. Bern. 58. Est Spes prima Patriarcharum, conferens ad Incarnationem. Aug. 59. Est Regina Prophetarum: ad quam causae Prophetiae sunt ordinatae. Hieron. 60. Fides Apostolorum, qua mira sunt operati. Amb.”

V. PSALTERII. 1. Quinquagena. “61. Ave est Martyrum fortitudo, qua cuncta deviderunt supplicia. Albert. 62. Est Doctorum scientia: per quam se regulant, et judicant. Dion. 63. Est Potestas Pontificum, quam super Ecclesiae Sacramenta acceperunt: quatenus Incarnationem continet. Albert. 64. Est Confessorum perseverantia, in tribulationibus, dum ad Regnum pertingerent. Raban. 65. Est Vita Religiosarum, qua mundo moriuntur conformiores Deo. Cassiod.”

2. Quinquagena. “66. Ave est Gloria Sacerdotum: per quam acceperunt in Corpus Domini veram, et mysticam potestatem. Beda. 67. Est Puritas Virginum, qua Deo desponsantur, voluptates respuunt caeteras, angelice conversantes. Hieron. 68. Est Mundi principium, et regula, qua ad Pauperes, Divites, et Nobiles mensurare discitur. Bern. 69. Est Tolerantia paenitentium, per eam enim innumeri paenitentias peregerunt, et salvati sunt. August. 70. Est Auxiliatrix incipientium. 71. Est Auxiliatrix Incipientium. 71. Est Robur Proficientium. 72. Est Contemplatio Perfectorum.”

Sponsus, cessante Jesu, supplex agit gratias pro his cunctis; fateturque, vidisse Jesum, esse tanti, ut pro eo sit martyrium continuum usque ad Judicii diem non defugiendum. Speciales agit gratias dicendi Jesu: quod eadem illa s. Jacobus Major olim revelarit s. Dominico, quando in Hispania pene ad mortem usque decumbebat: verum ea ex revelatione sic fuit spiritu, et corpore recreatus, ut protinus convaluerit.

CAPUT XI.

De Signo Praedestinationis, vel Reprobationis Revelatio.

Sponsi novelli modus dicendi Angelicam Salutationem peculiaris erat iste: Ave Maria, o misericordisissima: pro nobis Virgo Mater Dei facta: gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus. Et benedictus Fructus ventris tui Jesus Christus: homo verus, et verus Deus: pro peccatoribus natus, passus, resuscitatus, et Sacramentis honoratus: quem Virgo concepisti per Spiritum Sanctum, cum Gabrieli respondisti hoc verbum humillimum: Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Amen. Apparens ei aliquando B. Maria dictam formulam commendat, sibi esse pergratam: quod totidem pene excellentias Deiparae eximias, et singulares in ea continerentur, quot Categetomaticae voces. Denique his Diva concludit, dicens: Dulcis, Sponse: secretum jam pandam tibi divinae Providentiae. I. Scias, et ((p.76))) secure, quod it sine mora aliis patefacias: quod signum probabile est, et propinquum aeternae damnationis; Horrere, et attediari; et negligere Salutationem Angelicam, totius mundi reparativam. II. Habentibus vero devotionem hunc, signum est Ordinationis, et Praedestinationis permagnum ad gloriam. III. Propterea, qui tenet me in hac Salutatione, semper me teneat: donec ad me in Paradisum perveniat.

CAPUT XII.

De Jesu Christi Passione ineffabili Revelatio Jesu.

I. Psalterium SS. Trinitatis mirifice conscientiam trepidantem confortat: errantem dirigit, et perficientem confirmat, Merito Domini nostri Jesu Christi, et beatissimae V. Mariae, qui conscientias fidelium floribus virtutem ornant, et fructibus donorum Spir. Sanct. faecundant. Unde suavissimum, et mirabile, temporibus nostris revelatum, narro exemplum.

Quidam ad Psalterium Christi, et Mariae, cum aliquando devotius oraret, raptos est in Spiritu, non naturaliter, nec phantastice, sed per veram Dei virtutem, et Potestatem. Quo in Raptu sentiebat se a Christo esse totaliter ebsorptum, et quasi in ipsum mutatum. Sentiens in capite Coronam spineam; in manibus, et pedibus sensibiler Domini Jesu Stigmata. Proprium velle et nosse auferebatur ab eo; debaturque ei velle, et nosse Christi: ut, secundum haec, jam in caelo se esse videret: et seipsum tamen etiam orante in terris intueretur. Quod mirabile est homini: sed non illi, qui fecit mirabilia magna solus.

II. Illi Dominus Jesus, in Spiritu, sic ajebat: “Tu, aliique complures, te majores, dicere soletis: Ecce Dominus Jesus Christus tantum per medium diem sustinuit passionem: et, cum Deus esset, facile id factorus erat. Quin graviora longe sustinere potuisset, si voluisset; non tamen fecit. Nos vero servi ejus, amnis multis gravissime tribulamur a mundo, carne, diabolo: nec sumus Deus, aut ferrei. Cur ergo tantilli tanta, tamque diuturna patimur: cum Christus exiguo spatio passionem complevit? Veni ergo, et vide, quae tibi ostenduntur.” Dixit. Et ecce subito erant in Regio palatio: inque cubiculo Regali. Hic aderat puella ineffabilis ab decore, modesta, omnique virtute, et coram ea. Angelus Gabriel, respondente; Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Eodem instanti verborum completorum, suis ille sponsus oculis, sole tunc clarioribus, intima Virginis Mariae viscerum penetralia perspicens subito factum puellum vidit minimae qualitatis, instar aviculae, se a cunctis membris absolutissime perfectum hominem. Monente Jesu, Vide diligenter: Videbat in qualibet Puelluli parte totum inesse mundum: Ac rursus in mundi parte qualibet intra puellum esse Jerosolymam urbem, in qua passus fuit. Atque tunc, et exinde continuo ((p.77)) puellus tantillus aliter non passus: quam sub extremum vitae patiebatur. Et ajebat: Sic a principio meae Conceptionis ad horam usque mortis, continue cruciatus pertuli pro te, et cunctis Aadae filiis. Vide porro diligenter.

III. Et illico videbat puellum Jesum in Cruce suffixum: quae ad Arboris instar immensae stabat, spectaculo tam miserando, ut ex Crucifixi compassione omnis creatura, non solum naturalis, sed et caelestis emori posse videretur. Tunc ea spectanti ajebat Jesus: “En quanta pro te pertuli. Scias, aliisque praedices: 1. Ego pro quolibet peccato particulari continue, et distincte sic passus eum: tamque acerbè, ut si vitae mihi fuissent tot, quot in terris animata degebant, tot omni momento potuissem mortibus extinguere, visi Deus vitam mihi sustentasset. 2. Patiebar item ea pro omni bono tuo, virtute, et ordinatione per Ecclesiam instituenda. 3. Item pro quolibet dono gloriae singulis

promerendo tanta sustinebam, ut si, quot sunt arenae usquam, quot in caelo stellae, tot totae mihi suppetissent, et singulae tamen vitae fuissent, sicut Angelorum, immortales. Extingui nihilominus potuissem quovis instanti: nisi me Dei potentia conservasset. Ratio. Quia verbum Dei instanti: nisi me Dei potentia conservasset: Ratio. Quia verbum Dei in me quantum erat, tantum amabat salutem, et dolebat perditionem singulorum, et maxime offensam Dei. Is tamen ingens dolor fui ligatus sic, ut non redundaret in corpus meum, nisi quantum ad assumptos a me communes defectus: et quantum sinebat Divinitas. Sicut enim gloria mea erat ligata, ne in corpus meum redundaret: sic et paena. Utque gloria, sic, et paena illi aequabatur, itemque merita mea, et virtutes.”

IV. Interea, videns haec, et audiens; tametsi intra se Christum sentiret. Simul tamen, et se intra Christum sentiebat: sed sicut regulatum, et motum. Ad arborem Crucis accessit propius. Et ecce in momento sensit, nesciens quomodo, se esse intra B. V. Mariae Clastrum, ceu templum: hic totus mundus clarior, et pulchrior ceruebatur, quam in se ipso. Audit Puellum in Cruce clamantem: miseremini mei, o filii Adae: pro quibus sic patior. Nunc oro universos haec audituros, per Domini Jesu Christi passionem; ut, quae subjiciuntur, sinceris mentibus capiant, contra mala praesentia, et proxime instantia; ne improvisi obruantur. Ecce

SCHEMA PSALTERII.

V. Arbor stabat infinitae magnitudinis, omnibus plena fructibus, et in ea Beati omnes. Trifurcata uno e trunco dividebatur triramis. Quisque trium ramus, erat rursus quinquaramis: et in singulis Pater crucifixus: qui sic spectanti loquebatur. Ecce, quae, quantaque patior. Sed intellige, quae cernis Incarnationi meae Tria inerant Infinita: 1. Essentia, seu Dei verbum. 2. Unio hypostatica naturae finitae ad infinitam. 3. et Potestas gratiae, ac gloriae. Secundum quoque horum, ab instanti Conceptionis meae erant tres Crucifixiones infiniti cruciatus. 1. Verbi, quo ad Desiderium, et voluntatem infinitam satisfaciendi Patri,(((p.78))) ex infinito in homines Amore: adeo, ut si Deus esset mortalis potuisset mori infinities, si voluisset. At quia Deus mori non potuit: ideo vel sic in me voluit mori, quantum licuit, amore vestri. O homines, talem nec agnoscitis amorem? Vos igitur pii omnes attendite, si est dolor, et amor, sicut dolor, et amor meus.

VI. Quinquagena. I. Ad infinitatem Passionis Dominicae ex verbo ortam oranda. Arbor haec magna est Oratio Dominica, et Angelica Salutatio: Rami quinque sunt: utriusque priores quinae dictiones ex relatione Christi Domini.

I. Ramus. Ave. “Quia pro liberatione vestra ab omni, Vae maledictionis Evae, ecce sic morior in Cruce inde a conceptione. Morior, Pater vester, per et Creationem, et hanc Recreationem. Jam

omnium Patrum qui fuerunt, sunt, erunt, amores jungantur; mei tamen affectus partem nec minimam attingent. Et eum sceleribus adhuc crucifigitis, cui oratis, Pater Noster.”

II. Ramus. Maria. “Quia et pro Mariae salute, et pro mundi illuminatione sic patior crucifixus. Quis? Ens entium, cui oratis Qui es, existens in omnibus per Essentiam, praesentiam, potentiam, verius quam anima vestra in vobis existat. Jam mora corpora sit dolorosa, quanto plus animae? Et mea infinities acerbior est. Et ubi vestra compassio?”

III. Ramus. Gratia. “Quia ad gratiam orbi impetrandam crucifixus sum sic dolorose, et amorese. Quis? Lux, et gloria caelorum, cui oratis In Caelis. Qua morte? Si caelorum mors esse posset: omnia viventia extinguerentur: Ego plus vitae sum vestrae necessarius: Ego plus igne amoris in vos exaestuor quam, si creata omnia unus ignis forent, aestuare in posset. Et quae vestra redamatio?”

IV. Ramus. Plena. “Quia plenissima cum infinitate doloris, amoris, ac meriti crucifixus patior, ad removendam vestram inanitatem a bonis, atque donandam plenitudinem meam gratiae, et gloriae. At quis? Sanctus Sanctorum, cui oratis, Santificetur. Qua morte? Jungite omnium martyrum, omnium viventium mortes, cruciatus, et Cruces in anam; nulla tamen erit similis ad infinitum comparatio. Bestiae discruciatas, et morienti compatimini: ubi compassio mei?”

V. Ramus. Dominus. “Quia ad hominum liberationem a servitute diaboli; ad acquisitionem Regni, et Domini. Sic patior. Quis? Dominus vester nobilissimus, liberalissimus, amabilissimus, cui dicitis: Nomen tuum: cui omne genoflectitur: in quo et baptizati estis, et nomen habetis ac donum Christianum; et inscriptionem in libro vitae. Qua morte? Nullis unquam effabili, etiam Angelorum omnium linguis. Et vos me in Cruce lamentatem non auditis? Miseremini mei saltem vos amici mei. Videte cruciatus, et mortes una in morte, et cruciatu meo innumeros. Numerate taquem aliquos. Pro decem Praeceptorum Dei violatione vestra, et impletione mea sic in quolibot quinque Ramorum crucior: Ecce quinquaginta cruciatus, ac mortes, infiniti amoris, doloris, et meriti. (((p.79))) Cur igitur ad minus. Angelicis Salutationibus quinquaginta me in Psalterio dignamini: sic me redamatis? Sic, mihi condoletis: ita mecum commorem vobis? Et quomodo mecum conregnare et congaudere poteritis?”

VII. Quinquagena. 2. Ad infinitatem Passionis Dominicae ex unione hyp. ortam, oranda. Attende nunc modos, et fines meae Crucifixionis ex unionis factae modis.

I. Ramos. Tecum. “En Verbum Incarnatum hic crucifixum: ut mundus haberet secum Deum fixum: profugato Diabolo. Quod Verbum? Cui oras: Aeveniat Regnum tuum. Rex Regum est. Qua morte morior? Ineffabili, inaestimabili, incessabili usque ad finem mundi. Si servus morti Domini, aut Regis non compatiatur, proditor aestimatur: et mihi quis debite compatitur? Plerique adhuc me denuo saepius crucifigunt”.

II. Ramos. Benedicta. “Hic patior ratione unionis factae homini cum Deo: ut genus humanum reciperet benedictionem. Sed quis? Dominus libertatis; a quo recepistis libertatem filiorum Dei Naturalem, Moralem, Spiritalem, cui oratis: Fiat voluntas tua. Qua morte? Quantam velle non possent omnes creatae omnium voluntates conjunctae in unam. Vae iis, qui liberatorem ingrati non honorant? Qui exhonorificant? In gehenna sub daemonibus aeternum servient.

III. Ramos. Tu. “Hic patior ratione unionis facta Dei eum homine: ut divinitas hominibus clare demonstrata innotesceret. Quis homo patior? Motori unitus primo, danti omnibus motum: quo cessante perirent omnia, cui oratis: Sicut in Caelo. In quo primum est motor omnium mobilium. Qua passione? Si cui ab orbis initio ad finem forent omnia caeli fulmina, tonitrua, tempestates sustinendae; nil tamen ad meae id paenae minimum foret”.

IV. Ramos. In Mulieribus. “Hic patior ratione humanae maturae cum Divina unitae. Ut amabilem misericordiam mererer mortalibus. Quis? Qui terram supportat, e terra omnes format, cui dicis: Et in terra. Qua morte? Si quam a singulis, quae in terra sunt pati oporteret, ab igne exustionem a feris ec. idque ad finem orbis: nihil ad passionem foret meam. Ideo immites, non compassi sponte mihi, devorabuntur cum Dathan, et Abyron; incenduntur cum Sodoma ec.”

V. Ramos. Et benedictus. “Hic patior homo Deus quasi maledictus: ut cunctis octo Beatitudines commerer. Quis? Mundi totius nutricius, et singulorum, cui oratis: Panem nostrum quotidianum: Qua morte? Si omnes omnium fames, sitesque una forent animabus perpetiandae adusque finem mundi, nil ad meum sitis cruciatum. Et non compateris nutritori tuo? Tu igitur mihi pro iis alteram. Quinquagenam, infinitosq. cruciatus meos reduc minimum ad eum considerationis numerum, ac modum: quia in iis quinque modis, finibusque Crucifixionis passus, ac mortuus sum, ad promerendas hominibus Decem Virtutes: scil. Theologicas ((p.80)) tres: Fidem, Spem, Charitatem: Cardinales quatuor, Prudentiam, Justitiam, Temperantiam, Fortitudinem: Morales tres alias, Humilitatem, Laetitiam Spiritalem, Liberalitatem in Deum, et egenos.”

VIII. Quinquagena. 3. Ad infinitatem Passionem Dominicae, ex Anima Christi ortam, oranda. Ecce fili Tristis est anima mea usque ad mortem: mortem autem Crucis; idque inde a conceptione mei, in parte inferiore: nam superior semper in Visione beata fuit, contrarii incapax. Causa doloris mei infinita erat charitas, gratia, et virtus pietas, et odium peccati. Voluit autem anima mea se per omnia conformare Verbo, et Unioni; quibus contendebat compati, quantum possibile erat voluntati. Unde vicissim a verbo consabatur in anima dolor infinitus: quem infinita capiebat Voluntas mea, plura, vel majora usque pati appetens. Jam fines Passionis intellige plures.

I. Ramus. Fructus. “En passum ob acquirendos mundo fructus XII, ut sunt: Gaudium, Pax, Patientia etc. Quis? Largitor omnium, cui oratis: Da nobis hodie. Qua Passione? Si omnia tyrannorum omnium ingenia conflata cruciatus varios excogitent, et diros: ii tamen ad meos nihil forent. Corporale enim nil ad spiritale aequari potest. Si dico pomo, aut pane vitam servare posses vilissimo; non negares: et animae meae nil de tuae affectu, effectuque das?”

II. Ramos. Ventris. “En passum: ut omnes regenerantur in filios Dei adoptivos. Quis? Qui habet Clavem David ligandi, et solvendi etc. cui oras: Et dimitte nobis debita nostra. Qua paena? Tanta pro singulis delictis: ut si minimus animae cruciatus verteretur a Deo in corporalem, creata omnia interirent corporea. Si pro daemonibus sic doluissem, salvari potuissent; et omnia in mei gratiam perpeti nil dubitarent.”

III. Ramus. Tui. “En passum: ut homines a captivitate peccati, et inferni eriperem. Quis? Rex Misericordiae, cui oras: Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Qua justitia? Majore; quam omnium sit damnatorum. Ut quantum gloria Christi, essentialis excedit creatam omnium beatorum: tantum superet animae meae tristitia aliam quamcumque. O ingratae hominum animae, et nil compassione mihi respondent?”

IV. Ramus. Jesus. “En passum, ut salvetur mundus per me. Quis sum ille? Liberator in omni tentatione, tribulatione ec., cui oras: Et se nos inducas in tentationem. Qua morte? Collige omnes, quae fuerunt, sunt et erunt tentationes, tribulationes, et mortes ec. nil omnes ad hanc unam meam. Mea enim est secundum majorem potestatem, notitiam, amorem etc. quibus nec mensura, nec modus est ullus.”

V. Ramos. Christus. “En passum, ut ex me haberetis unctiones Sacramentorum. Quis? Fortis, et potens in praelio contra omne malum, cui oras: Sed libera nos a malo. Qua morte? Immortali. Quia infinita est voluntas, et amor, dolorque, moriendi (((p.81))) pro quolibet peccato, et peccatore, et mundo. Et tam parva hominum est compassio mei: qui in omnibus adsum omnibus, rego, posco,

servo, salvo. O ingratos! Ecce quae in quinq. his ramis Crucis patiar, ad novos Choros Angelorum reparandos ex decimo Hominum. Et non devotius, ac frequentius in Psalterii Quinquagena, quinquagies salutarer? Angelica Salutatio initium fuit Passionis meae, sicut et Incarnationis, et Evangelii. Nec de potentia Dei ordinaria esse major potuit sensibilis passio mea.”

IX. His dictis, ecce videbat ille ab innumeris daemonibus innumeras animas e mundo raptari in harathrum. 1. Andivit horribiles vociferationes. 2. Vidit Justitiam divinam equo rufo vectam jam jam instare mundo. 3. Ideo Dei Clementia ostendit remedia, in Psalterio Christi, ab orationibus requirenda per Mediatricem Dei Matrem, cui nil a Deo negatur. 4. Denique terribilissima vox intonuit his verbis: Per Angelicam Salutationem semel omnia reparavi per Filium: per eandem, et nunc depravatum mundum reparare solo in iis, qui voluerint me laudare in Psalterio et puras conservare conscientias.

CAPUT XIII.

De Paenis inferni. Revelatio ad Sponsum Mariae.

I Quia oratio, juxta s. Ambros. est potissimum homines cum Deo reconciliandi remedium; et Regina orationum est Psalterium: quare vim ei inesse ad idem maximam oportet: praesertim cum vim ex Christi hauriat Vita, Passione, et Gloria, Deiparae accedentibus Sanctorum meritis.

II. Unde quidam devotus in Psalterio Christi, maxime circa Passionem, in corpore suo sentit saepius verissime Passionem Christi. Ille, cum Sacrum Missae celebraret; vidit in Sacra Hostia Jesum Crucifixum: et hunc audivit ita dicentem. “Tu me iterum crucifigis. Et ille: O Domine Jesu Christe: quomodo scelus tantum infelix patrare possum. Et Dominus: Tua peccata me crucifigunt: malo crucifigi, quam Deum iis peccatis offendi, quibus ante eum offenderas. Sed etiamnum me crucifigis, omissione, si non commissione. Habes scientiam, licentiam, et officium praedicandi: reus malorum es, quae prohibere potes, si Psalterium meum praedices. At factus es canis mutus non valens latrare, cum luporum plenus sit mundus. Ni te emendaris, in Patre Omnipotente juro de falso prandio mundanorum comedes.”

III. Ad vocem hanc, ecce, videbat infinitum quasi harathrum hiare, inque eo Ecclesiasticos, Religiosos, Principes, Dynastas, turbasque discumbere: et ignis, grando, nix, glacies, et spiritus procellarum pars calicis eorum erant: item serpentes, quaeque orbis habet abominabilissima. His ingurgitabantur ad sumnum inulti, immane ululantes. Circumstabant daemones, specie mulierum (((p.82))) quibus turpius nil excogitari potest: quae monstra telis ignitis discumbentium genitalia

igniebant pertusa, ignitosque serpentes aspidas, bufones ec. in nuda eorum corpora imitebant: et alia aliis saeviores succedebant cruciatrices formae. Noverat is multos ante in vivis agentes. Ad quem Jesus: Ecce, tua haec requies: praedicare si diutius cesses. Praedica Psalterium meum: Juro: Ego pugnabo, cum tota Curia caelesti, contra omnes te hac in re impugnantes. Et fac, quod praedicas, ne cum his discumbas, quos vidisti; qui dicunt, et non faciunt. c. 8. 6.

CAPUT XIV.

Ad Christum passum compassionis Visio extatica.

I. Vidit aliquando praefatus Mariae Sponsus quasi omnes creaturae in caelis, ac terris, Christo passo compaterentur luctu, planctuque admirando: hand secus, quam si omnia cum Deo essent commoritura. Et qui haec vidit, sic attonitus haesit, ut sibi moriendum esse putaret. Sed manus Domini confortavit, et elevavit eum: factaque vox dixit:” Tantum compatimur Domino: Non quidem ullius doloris; sed voluntatis: ac desiderii compassione.”

II. Visaque ei SS. Trinitate, quasi profuse fleret; haec dixit ei: “Vides haec: non ut credas inesse tristitiam, dolorumve mihi: sed ut intelligas, si corpus mortale mihi foret per Divinitati, isto pariter flerem, doloremque dolerem eundem cum Filio passo, in immensum. Et tu me si, Beati, contuereris, prae compassionis excessu tute ipsum te non caperes, plusque condoleres passo Jesu, quam sua ipsius Mater cum sub Cruce staret lacrymosa.”

III. Deinde ad Jesum; pia quadam versus confidentiae familiaritate, quaerit ex eo. “O Jesu; tuque doles? Cui Jesus. 1. Non factio: nam semel hoc transiit: sed voto, et desiderio vellem, prae amore infinito, infinities, pro peccatoribus pati, ut salventur. 2. Deinde, tametsi carnae crucifixus non sim; at sum tamen in membris, et Ecclesia, et in quotidianis scelerum peccatis, quibus gravius afficior, quam illa crucifixione in Calvaria, sed affectio est voluntatis, non sensus: scilicet, sic vellem, dolore, si mortali in corpore tenerer. Quod si tamen Psalterium meum frequentarent miseri, et mea sic participarent merita: Advocatus peccatorum facile justitiam placarem divinam. ?”

CAPUT XV.

Cur XV. Orationis Dominicae in Psalterio.

S. Bernardus Dilectissimus Jesu, Mariaeque Sponsus, postquam diu, multumque orasset Jesum; ut cognoscere posset, ecqua in re vel maxime conformari Christo valeret, passoque compati iis, qui ipsius se devotissimum esse vellet obsequio? Contigit ipsa Dominica ((p.83)) passionis, ut per raptum in excessu mentis videret ea Christum facie, vultuque quo fuerat, cum daceretur ad necem. Miserabile spectaculum; saxisque luctuosum? Et vero collamentante cunctis, s. Bernardo vox accidit: Bernarde ini, adjuva me, tanta patieatem pro te. In accurrens Crucem succullabat; Patere, ait, hoc Domine, ut patiar. Cui Dominus: Quisquis amat mecum portare Crucens; is in dies mihi passo recitet XV. Pater, et Ave, per annum solidum: et complevit numerum vulnerum meorum. Forte numerus foret, 5475.

CAPUT XVI.

Cur in Psalterio CL. Salutationis sint; revelatio B. V. Mariae

Id a B. V. Maria audire gaudemus, rationibus XX allatis. "1. Quia in Davidico Psalterio sunt CL. Psalmi, in queis Pater, et Ave typice continentur; ut in flore fructus. 2. Quia gaudia LC potiora habui in conceptione, et gestatione Filii, mentalia per raptus, visiones, revaltionis, et inspirationes. 3. Quia CL. gaudia habui ex Filii Nativitate, et Enutritione. 4. Quia CL. Gaudia habui in Filii Praedicatione ex ejus dictis, factisque. 5. Quia CL. Dolores diversos potiores ex Filii Passione pertuli. Quantum enim amavi, tantum compassa dolui. 6. Ob CL. Dona, praecipua, quae mundo Christus contulit a suo in eum ingressu ad exitum usque. 7. Ob CL. Dolores Christi patientis, quorum quilibet decem habuit respectus. I. Ad Deum. II. Animam suam, III. Corpus. IV. Sanctos, V. ad me, VI. Ad Discipulos, VII. Judaeos, VIII. Judam. IX. Gentes, X. ad Purgatories. Deinde in 15. est summe passus, scilicet in sensibus: V. interioribus, V. exterioribus, V. potentis superioribus: ut in Intellectu, voluntate, Appetitu concupiscibili, et irrascibili, et motrice potentia. 8. Ob CL. Gaudia Filii, et mea per ejus Resurrectionem nata. 9. Ob CL. Fructus Passionis Dominicae. 10. Ob CL. Virtutes ad salutem praeficus: ut sunt Theologicae, Cardinales, Capitales, Morales, octo Beatitudines ec. 11. Ob CL. Vitia vitia virtutibus iis opposita. 12. Ob CL. Miserias mundi: ut sunt fames, sitis, algor, aestus, nuditas, infamia, injuria, morbi, discordia, ignis, aqua, bestiae, servitutes, ignorantia ec. et horum partes. 13. Ob CL. Terrores mortis: ut infirmitas, tristitia, terror, timor, haesitatio, daemonum insultatio, remorsus conscientiae, dimissio honorum, privatio usus membrorum, impatientia, stupor. Et horum partes. 14. Ob CL. Terrores Judicii: qui sunt horror Judicis, terror assistentium, insultatio daemonum, revelatio peccatorum, infamia infinita, timor, pavor conscientiae, desperatio, malignitas, desiderium mortis, Creaturarum ira insurgens: et horum partes. 15. Ob CL. Paenas inferni potiores, contra vitia totidem: et similes Purgatorii. Quae sunt immensae ex parte animae, corporis, daemonum, Dei, loci, ignis, sensum, gloriae perditae, aeternitatis damnationis. 17. Ob CL. Gaudia ((p.84)) B. Mariae, et Christie in caelis generaliora. 18. Ob CL. Auxilia Psaltis danda praecipua. 19. Ob CL. Dies aut horas praemonitionis de morte Psaltis piis faciendae: intra quas disponant domui suae animae. 20. Ob. CL. Gaudia specialia quasi danda Psaltis nomine cultus in Psalterio praestiti: quibus paria erunt gaudiis, et praemia coronaria."

Ad haec Sponsus: O dulcissima cordis jubilatio Maria: qui ista perpenderet, tuis in Psalterio laudibus se totum impenderet. Cui Sponsa: Dico tibi: Beati in gloria irremisse Pater, et Ave cum miris gaudiis decantant, gratias agentes Deo pro gloria data, et orantes pro mundo.

CAPUT XVII.

De Fraternitatis Ortu, Statutis, Fructibus, et Statu. Revelatio mariae ad Sponsum.

I. Apparens aliquando beatissima Maria Sponso suo novello, sic loquehatur. “Dulcis Sponse, diligenter adverte: pulchra tibi speriam, varia, utilia, et scitu quidem necessaria, quorum quamdam alias Beatissimo Patri tuo, Sponso meo Dominico, in ipso festo Annunciationis Dominicae revelavi, magnis cum prodigiis. Atque ut istius, illi factae revelationis, modus cunctis per orbem sit manifestus: fac universi audiant Matrem Veritatis narrantem de Sponso meo dilectissimo Dominico, et de Confraternitate, per eundem sub Nomine meo, de Psalterio inchoata: cujus Confraternitatis Confratres dicebantur Fratres Jesu Christi, et Virginis Mariae, sub forma Psalterii Angelici orandi.”

NARRATIO.

De Ortu primo Fraternitatis Psalterii.

II. 1. S. Dominicus, indutus Virtute ex alto, et vir factus vere Apostolicus Hispaniarum terras, (in quas se jam ante Saracenus nominis Christiani hostis infuderat) late praedicando peragravit, suisque doctrinis saluberrimis informatas compleverat: cum ecce jam ad exeteras circum nationes spectaret; contigit annis ferme quindenis ante gloriosum obitus sui diem, mundum auspiciato sacri Ordinis Praedicatorum Instituto, sed ipse sub Regula s. Augustini professo Canonico, ut non procul ab S. Jacobo Compostellae, in pyratarum manus, cum F. Bernardo peregrinationis comite, incideret. Qui utrumque raptum ad suarum navium classem, nobilem praedam adducunt. His multis prius quaestionibus excussos, ac plagis etiam tortos, vilissima inter servitia ad remos addixerunt. Illi ceu feros inter lupos agni, Christi Nomine freti, fidentesque omnia. Spiritu supra hominem altiore, ferre fortiter, et nihil ab assuetis sibi diurnis nactisq. Dei laudibus remittere: quamvis barbara inter capita praemiatorum. 2. Jamque trimestre (((p.85))) ipsis remorum duos inter labores cesserat, mira cum patientiae constantia exantlatos: cum ecce Ego, (quae Divae sunt verba) misericordiae Mater dilectum hunc meum intueas Sponsum, toties visceribus charitatis super eo connovebur. Iratam igitur sceleratis, me volente, ne mandante ipsis mare pareodintibus, caelum omne vertitur, et atris nubibus involutum, noctem fert horrificam: emissique ruant, et in mare praeltantur venti: fit saeva tempestas, fulgura coruscant, tonant aethera; fulmina volant, maria vertantur; horrescunt omnia. Densus saper improbos effunditer imber; dicisses, caelum vnere. Interea fervet inferius quoque pontus; et rabide tumet in immensum. Quicquid agant perduelle contis, remis; omnique contra nisu: nihil agunt: denique desperati fata complorant. 3. Dum solus haec inter cum socio S. Dominicus

turbatus nihil afflicto: masculo animo nactus, erectusque Spiritu, profanorum desperatione visa, animos ipsis solita praedicatione revocare conatur. Fratres ait, irarum, ac undarum irae tantae, non suni sine Numinis ira. Placandus Deus est: et placabuntur caetera. Decteram Dei vindicem vestra concitant scelera, maria turbant. Illa animis execrati damnate; venia orate Deum: Deiparam Mariam, maris stellam, implorate supplices opitulatricem: Credite; mirabilem in cquis Dominum, vobisque propitium, erit experiri. Dixit sed in ventos. 4. Desperatorum barbaries hisce fit rabies: saeviuntque hi animis in recta monentem; isti, ut fatuum, sannis proscindunt: alii flagris etiam concidunt: et quod sancto gravissimum accidit, Deum, Divamque Caelitum diris impetunt blasphemis: ac unde impios paenituisse oportuit: sese sacrilegiosius impiant. Pars namque aestro caecati Saraceno dannant Fidem: pars obruti flagitiis projecerant paenitentiam. Fustuarium vir divinus acceptum, et opprobia, gaudens pro Christo. Facile posthabebat; verum ad Danmanimo votisque versus blasphemias impiorum deprecabatur. 5. Nox interea, procellarum additur nocti, (erat autem beatissimae Annunciationis praecedens diem insequentem) quae ipsa Dominici stimulabat zelum, ut ad reverentiam tantae miserationum Reginae cruda, jam funus suum plorantia, improborum pectora detorquere rursum molli sermone attentaret. Animarum zelatur, et salvator perditorum: dictis agreditur mansuetare fetus: humillime, et devote, ut licuit, admonet: Deum oratque propitium in rebus de oratis certum Servatorem Jesum, ac Servatricem Mariam.

6. Interim suavissimorum auditus Nominum desperata efferat pectora: ut quam ante, trucius ferocirent, ac Jesum, Mariamque infandius blasphemarent. Atque quo minus iis ultima inferre Dominico vacaret, major ab decumana irruente unda horror omnes obruens praesentem interitum minatur. Praelia ventorum per, et ruinam nimborum, fremitumque fluctuum, et noctem geminam auferuntur incerti: ipse gubernator excussus in undas perit; remi dissidiant, abrumpitur clavus: quassata, et fessa carinae latera fatiscunt (((p.86))) ipsaque mortis mora morte est acerbior desperatis. 7. Dum ii per ludibria procellarum sic jactantur, quasi undis eos absorbere dedignantibus: Parthenica instabat Annunciationis festiva solemnitas, surgente, et obscurum transparente jam sole: S. Dominicus autem impense precibus Ad Annunciatam insistebat. Vitae licet securum, sui tamen immemorem, infelicitum pyratorum cura salutis habebat sollicitum: pro hac dum orat, sua ecce Advocata maria soli apparens, dieque in luce corrusca Sponso adest; et talibus alloquitur. Eja Dominice: feliciter certa viriliter: perissent caeteri: tu servas unus. Age, quia servatos vis indignos aura hac tuis ego velificabo potis: parcam, amore tui, nihil mihi, tibi nihil parcentibus sacrilegis. Vindictae pars est suspendisse vindictam: ut irruat gravior. Opttionem offero: vel aeternum dispereant: vel Psalterium meum accipiant: et vitam vivant sanioem, inita invicem, te autore, Fraternitate, Jesu, et Mariae noncupanda. Si adplacebit improbis: placet, ut signo Crucis objecto tempestatem ponas placabo. Sin: tute solus cum fratre supergradiens undis, exhibis ab undis caeteris ponto, et orco absorbendis. Haec illis ex me certus denuncia.

8. Sic S. Dominicus haud secus, minas, ac jussum mandata facessit: minas, irasque praedicat, intentat mortes, contumaciam arcta ea vi spiritus, ac oris; dum pectora adamantina rumpat, expugnet, vincataque constringat. Affatu demum meliore, de Jesu, de Maria, utriusque de Psalterium de Fraternitate rudes informat, paenitentiam edocet, ac persuadet: Deo sensim intimis gementium penetrabilibus illabente, Huc plurimum adjuvabat; quod solo Crucis, vocisque objectu tempestas tanta momento resedisset. Et vox, suntque vota una omnium supplicum; mandata se facturos: tantum ipse imperet. Perfidiam, scelera, vitam anteactam, seque ipsos detestati, paenitentiam ejulatu magno spondent; Psalteria de manu Servatoris sui accipiunt; acceptant, coeuntque Fraternitatem omnes unam, ac novam, sub auspicio Jesu, et Mariae, tituloque Psalterii. Vidisses humi provolutos, infusos fletu, squalore sordidatos, ad pedes inter haustas aquas arreptare Dominici, veniam, opemque precari. 9. Nam postquam ad hanc vocem: In nomine Jesu Christi, et Mariae Matris ejus piissimae, quiesce: foris quidem facta quies erat, et securitas; at intus ipsa navi mors admissa obnotabat. Adeo prora rupta latera carinae lacera, fundus impactu scopuli disruptus, totis tot hiatibus undas hauserant exundantes; ut in navi, velut in mari, hi natarent, illi super tabulata starent. Omnes tamen super

omnia prodigia, unum istud prodigiosius obstupescebant: quod tantos inter et nubium imbres defusos, et illisos fluctuum nimbos, et ingurgitatas hiatibus aquas: solum Dominicum mador nullus attingeret siccum, et medium. Quo securiores apud talem Sanctum, et sibi de periculo navis non mergendae quasi spondebant: orare tamen opem non omittebant. Verum ex improvise, ecce divinius conspicitur cunctis spectaculum. (((p.87)))

10. Nam Augustissima Dei Virgo Mater Maria supra astitit omnes, multa manifesta in luce, et majestate admirabilis, amabilis gratia, vultu, cultuque spectabilis. Fit stupor, et horror: spe, metuque palpitant corda dum stant intenti ora, oculisque defixi: sic fatur ab alto Diva. Fortunati infortunio hoc viri: fidite: meum audistis Dominicum: me audite. Ab uno, ecce, discite virtusque viri meretur. Sic servo: quos sub Psalterii mei signa recipio. Ante soli conspiciebar, indignis occulta vobis, quod incognita, ac infensa: nunc aperta vobis, sita me dignatis, et placata: ut credatis: ut imperata paratius, ut promissa devotius, expleatis. Dixit, et in aethram recepta recessit.

11. Simul omnes, sibi velut redditi, in arena super undas eminente, se, navemque stante conspicantur: mirantur exhaustam aquis: prius ruptam, laceram, faedam, nunc undique integram, sanam, ac solidam. Dum ea in statione, et admiratione attoniti, mutique velut in porto, caelum, et pontum undique circumspectant: suggrediens snaviter placida unda navim sublevat: datque natatui.

12. Tunc S. Pater Dominicus; secreto Sponsae monitu, ad silentia alta tenentes, neque seipsos sat noscentes, sic loquitur Viri fratres: haec est mutatio dexterarum excelsi: haec gratia Salvatoris Jesu haec misericordia Matris Jesu Mariae est. Laudate Deum: glorificate Jesum: Magnificate Mariam: Salute Mariam, quae mecum laboravit in naufragio. Cantate Domino Canticum Novum Psalterii: quia mirabilia fecit. Equidem Psallam Deo meo, Divaeque quamdiu fuero. Ecce spondet Maria patrona nobis: quae vasa, quas merces, quacumque alia ex navi allevanda, jactatu facto, et jactura, projecistis; cuncta simul, et salva Britannico in littore camulata, recipietis, medias tantum fugite terras; et satis, ac ventis date vela secundis.

13. Fances, vocemque viris pavor, amor, stupor, honorque Dei, ac Divae velut obligata tenebant: altius tamen animi clamabant recitorum. Vix pauca haec reddebant omnes, actis pro se quisque gratiis: O Jesu, o Maria; ita voveo: Deus, Canticum Novum cantabo tibi: in Psalterio Decachordo Psallam Deo meo, quamdiu fuero. Et quae talia promiscue. 14. Mox, velut procul in obscuro, circum horribiles se tollunt ululatus, et ploratus cacodaemonum: Vae, vae, vociferabantur: vae nobis! Hic Dominicus nos enervat, et immortaliter enecat. Heu nostram harpagat praedam; nostra evinculat mancipia; captivos nostros in suum Psalticum: hoc nos flagro nerveo diflagellat, inque nervat vinctos; et religatos procul in tartara relegat. Vae nobis.

15. Interea cursum tenere rates, portumque propinqui in Britannicum, sese penetrabant: et cunctis ordine periculis perfuncti, felix Psalticum Celeuma cantabant. Hic, ut praedictum, ejecta reperiunt universa: ac vina etiam, quae cum vasis plurima ejecerant: nunc quam prius, pretiosora. Confraternitatem, in alios (((p.88))) mutati viros, sancte colunt: seque in Psalterio ad diversa Paenitentiae devovent instituta.

Statuta Fraternitatis Psalterii.

III. Eodem simul tempore continuo Regina Psalterii, et Patrona Fraternalitatis, hanc ipsam certis legum terminis definivit. Quas ut sancitas esse, perennesque voluit: ita S. Dominico revelatas dictavit, ista sub formula tali.

I. "Haec mea Confraternitas Psalterii, in Nomine Jesu Christi, et Virg. Mariae esse fundata debet. Fratres autem et Sorores esse quicumque ex omni statu Ecclesiae possunt: et subjectas observabunt ceremonias, sive Statuta: facta prius sui declavatione, de perseverantia in ea Fraternalitate: datoque simul nomine in Album inscribendo. Quae nomina, ut, et Defunctorum, semel in anno publice legentur."

II. "Caput hujus Fraternalitatis est, ut omnia pia cujusque, et omnium merita suique sint, ac omnibus communia."

III. "Decreta haec, seu Cerimoniae, minus observatae, nullam penitus culpam importabunt: sed privationis paenam: qua pro sola parte omissionis careant parte satisfactoriae Communicationis: idque in solo precum penso: stante interim caeterorum meritorum Communicatis participatione."

IV. "Ad receptionem, et ingressum in Fraternalitatem hanc nulla unquam pecuniae pendetur directe, vel indirecte: nisi libera sponte ad Ecclesiae ornamenta, ad luminaria, caeteraque divino cultui necessaria, pro cujusque devotione."

V. "Quilibet Sacerdos anno quolibet tres missas dicet: unam de S. Cruce: alteram de Domina: tertiam pro Defunctis in Fraternalitate, a non Sacerdote qualibet hebdomada unum dicent Psalterium: Die autem festo solemni, praeter hebdomadarium, Filio, mihi que integrum praesentabunt Psalterium. Pro Infantibus autem, infirmis, aliterve impeditis, quotidie unum Pater, et Ave, a quocumque licet, offeratur. Et tantundem pro Defunctis, qui quos dederit inscribendos, sic per modum suffragii participaturis."

VI. "Ad ingressum quisque primum rite confessus SS. Eucharistiam sumet: ipso die, aliove post tempore oportuno. Dicentque ad sui oblationem, Filio, mihi que factam, septies Pater, et Ave, contra VII. peccata capitalia pro Fratribus, ac Sororibus."

VII. “Ultra Paschalem Confessionem, ter in Anno confitebuntur, sc. in Pentecostes, S. Dominici, et Natalis Festis.”

VIII. “Pro Defuncto, vel Defuncta in Fraternitate quilibet unum Pater, et Ave dicet. Aderuntque exequiis illius: si commode poterint; sicque honorabunt se invicem, ut salventur.”

IX. “Haec Confraternitatis formula, habeatur propalam in tabula, sic, ut cuivis esse cognita possit.”

X. “Denique uti praedicta: non mando, sed moneo. 1. Qui voluerit omni die offerre Missas, Psalterium Mariae, cum CL. Ave, et 15. Pater: benefecerit. 2. Melius, qui Majus Psalterium Christi, (((p.89))) cum CL. Pater, et Ave superaddiderit. 3. Optime fecerit: qui maximum Psalterium Christi, et Mariae, cum CL. Pater, et Ave, cumque CL. Credo, Pater, et Ave. 4. Longe is optime: qui cum totidem puncturis, seu disciplinae ictibus, quorum aliquod quasi litarit. 5. Jam vero omnes is explerit numeros, qui praedictis addiderit animam velut, ac vitam, mimirum mediationem Vitae, Mortis, ac Gloruae Christi.”

“Istis post Missae Sacrificium ter Sanctissimum, haud mihi gratius quicquam est aliud. Quo certius Filii praesidium, meumque patrociniū constabit Psaltis nostris. Ego illis mater ero, Magistra, et Amica: in primis autem Filius meus Pater eis, Magister, et Amicus erit. Et sic volo de utroque sentiant, sperent, et confidant.”

Fructus Fraternitatis Psalterii.

IV. “Porro charissime Dominice: quo cordi magis sit illa tibi Fraternitas, et plus liquido cognoscant omnes ejusdem eximios Fructus, horum tibi manifesto.”

I. Psalterii. I. Quinquagena. “1. Vacare culpa avaritiae, simoniae, et sacrilegii. 2. Caelestis proximorum. 3. Pax Regnorum, Rerump. Civitatum, Villarum. 4. Communicatio orationum mutua, cum Christo, et mecum. 5. Offensarum remissio, et reconciliatio. 6. Elemosyna. 7. Recte consulere proximo. 8. Fraternalis correctio. 9. Conscientiarum puritas. 10. Satisfactio pro peccatis plenior per Communicationem.”

II. Quinquag. “11. Animarum e Purgatorio liberatio. 12. Vita magis Angelica, et Christiana. 13. Corroboratio spei certioris, ob peculiare tam multorum preces. 14. Cujusque meritorum augmentatio. 15. Consolatio afflictorum.”

III. Quinquag. “16. Religio: quod enim monastica potest inter Fratres Communicatio: idem et haec Christianitatis Christo, et Apostolis, et Ecclesiae primitivae conformior. 19. Fortitudo contra tentationes. 20. Gaudium spiritale de tam gratiosa societate.”

II. Psalterii. I. Quinquag. “21. Securitas conscientiarum quod non obliget, non gravet, sed sublevet. 22. Infantiae, pueritiae, adolescentiae formatio, et manuctio ad omnem honestatem. 23. Praesidium contra communes vitae, ac mundi calamitates, et miserias. 24. A mala morte praeservatio. 25. Excellentia hujus Fraternitatis prae aliis quibuscunque particularis alicujus instituti.”

II. Quinquag. “26. Facilitas gratuita ad eam ingrediendam. 27. Amor fratrum spiritualium, quam carnalium, major. 28. Timor Dei castior, magisque filialis. 19. Perfectio vitae activae quoad proximum, major. 30. Devotio vitae Contemplativae promptior elevatu sui, et ascensu cordis. Plurimum ipsa dies erit, et experientia magistra. Haec, et plura Sponso meo Dominico revelavi.”

Status Fraternitatis. Revelatus Sponso novello.

V. Nunc, et tu, tanti Patris fili, novelle Sponse mi, audi disciplinam (((p.90))) matris tuae. 1. Post Sponsi mei Dominici obdormitionem, grassante per orbem peste saevissima: et quam haec, saeviore alia regnante, avaritia, acediaque tam in Clero, quam populo: simul perierunt sensim Psalterium, et Conscriptio fratrum. 2. Hujus tamen prima foundationis facies, et imago per Hispaniam, et Italiam incrypta in tabulis, in parietibus, et vel in ipsis inusta vitrim passis custodita, ad posteritatis memoriam, superaverunt. 3. Quodque amplius: Ordo S. Dominici, de Paenitentia dictus, ab hisce progressus initiis existere caepit. 4. Quin et exemplo, monituque S. Dominici cuncti Fratres, et Sorores Ordinis sui infallibiter, et incessabiliter summa cum devotione mihi famulabantur, et Filio meo in hoc SS. Trinitatis Psalterio, ut minimum quisque Fratrum, velut diurnum debitum, in dies integrum Psalterium offerret. Atque ideo. 5. Quam diu duravit hoc Psalterium in tali Ordine Sancto;

tam diu scientia, sapientia, observantis, miraculis, fama, et gloria, apud Deum, et homines in immensum floruerunt. Quando vero defecit hoc Psalterium, Ordo Praedicatorum in quam plurimis defecit: ut jam parietes, picturae, et libri, et epitaphia Defunctorum produnt, etsi linguae hominum id dicere nollent. 6. Quin imo istis in primitiis spiritus, ea communis omnium erat persuasio: si quis una die Psalterium omisisset: se diem perdidisse puntabat. 7. Per idem Psalterium tot, ac tanta designata miracula, et prodigia compleverunt Hispaniam, Italiam, Franciam, et orbem pene totum: ut sua frequentia evaserint communia: et si literis mandanda forent, plura inde grandescerent volumina. 8. Per hoc Peccatorum, et Peccatricum admirandae sunt perfectae conversiones: vulgo in Templis, in angulis fletus, gemitusque ciebantur: pectorum tunsiones resonabant: fervebant Paenitentiae; etiam vel in pueris, tenerisque pnellis admirabiles; hodie incredibiles, credidisses fere de plerisque Angelos in terris versari. 9. Quid? Fidei ardor quantus adversus Haereticos optimum quemque terrebat? Pro Fide, vel vitam dispondisse lucrum, ut est, summum ducebatur.”

VI. “Simon Montfortius invictus heros, toto cum exercitu Magistro Dominico meo Psalterium condidicit, et usitare suevit: perque id hostes vicit, fudit, fugavit, extirpavit. Fidem pene hominum, et Historiarum superant, quos caelitus abstulit ab hoste triumphos. 1. Ad Albium cum quingentis, decem haereticorum millia stravit, fugavit. 2. Alias cum suis triginta trium millium victor erat. 3. Alias denique cum suis tribus millibus, Regem Aragonum ejusque plus viginti milliuni exercitum ad Tolosam internecone delevit: praelioque simul, et bello victor debellavit. 4. Contigit quandoque, ut in improvvisos, ac inermes hostes irrueret: et vi divina Psalterii, quod familiariter gerebant, erant tamen innumerabiles. 5. Imo non plures centum aliquando Monfortiani videbantur adversariis omnem pene terram inundare; verum ex Angelorum meorum assistentia. Haec vis Psalterii erat, et deprecatio Sancti Dominici, haereticorum mallei. Haec militia (((p.91))) terra, marique, in pace, inque privato domi nihilo minora, et plura.”

VII. “Psalterii fructus, et opus est plurimum. 1. reparatio, aut novorum constructio, at dotatio Templorum, Xenodochiorum, Altarium: multarum, et magnarum Revelationum, Signorum, et Prodigionum designatio: Sanctitas vitae, morum honestas, et candor animorum: mundi contemptus honor, et exaltatio Ecclesiae: Principum justitia: aequitas communitatum, pax civium, domorum disciplina. 2. Nec operarios, servitia, mercenariosque silebo. Tu vel ex uno de caeteris aestimes licet. Hi manum non prius ad opus applicassent, quam me. Filiumque in Psalterio salutassent: nec indormissent prius, ni flexis humi poplitibus in eo die Deo cultum delibassent. Multos scio, cum in lecto veniebant in mentem de sueto suo ad Psalterium penso non persoluto, vel de latere conjugis ad illud promilisse. 3. Ea Psalterium apud juxta bonos, et improbos in existimatione fuit: ut, si qui essent devotiores: sequela fieret talis: sunt Fratres Mariae de Psalterio. Qui licentior moribus, sut improhior videbatur, ex proverbio: non est de Fraternitate Psalterii, dicebatur. 4. De Ordine meo, et tuo sic habebas: si quis alia re negligentior notabatur, quam primum audiebat: Frater, aut non dicitis Psalterium Beatae Virginis, aut indevote oratis. Certe citius in choro Fratres ad Psalterium orantes reperiebantur abdit, quam in dormitorio, vel studio. 5. Audiant nunc cuncti, quanta gloria mea tunc honorabatur in isto Ordine. Videant, quanta nunc est distantia? Ubi prisca miraculorum in eo frequentia? Ubi sanctorum par copia virorum? Ubi disciplinae vigor, et rigor vitae? ubi zelus, et tot salutes animarum? Quantum Ego, et Filius amamus perfectionem, et salutem vestram; dolemus tantum nunc in Psalterio teporem, et acidiam. Dico hoc, si dolere possemus humanitus: sed nunc imber abiit, et recessit.”

Sed caveant sibi, qui sic Me, et Filium meum privabunt honore Psalterii. Studeant per me Reginam Pietatis, Misericordiae, et Praedicatorum, resurgere, et ad pristina Patrum antiquorum, ac Sororum citius, et devotius redeant Psalteria.

FINIS PARTIS SECUNDAE.

Plures sese ferent in Sermonum occasione revelationes partibus subjectis.

PARS TERTIA

B. ALANI DE RUPE

REDIVIVI.

DE SERMONIBUS S. P. N. DOMINICI

EIDEM B. ALANO REVELATIS

CAPUT I.

Sermo I. De Oratione Dominica a Christo Jesu Tolosa

revelatus S. Dominico post et novello Sponso Mariae.

I. Psalterium SS. Trinitatis scientiam confert illis, qui ipsum amant; et amando laudant Sponsam, in ipsorum tam jucundo Cantico. Unde istam in sententiam s. Hieronymus. *Grandis Dei bonitas nostris refulsit in habitaculis, cum divina majestas habitavit in Virgineis latibulis. Arctata latebat in parvulo Divinitas, cujus dein nato parvulo praedicabatur Trinitas.* Et ille, qui per Angelicam Salutationem concepitur: post modum praedicans docuit orare, non propheticam, sed Orationem in Evangelicam. Quo sanctius utraque cunctis est colenda, et usu frequentanda: ut in periculis ignorantiae tenebrarum, habeatur scientia Dei Viarum. Quippe *totus mundus in maligno positus est.* Et de hoc Novellus Mariae Sponsus ita s. Dominici sermonem accepit sihi revelatum olim Tolosae praedicaret s. Dominicus, in Majore Ecclesia.

HISTORIA

II. Praedicatorum Ordinis Patriarcha Praedicator Christi s. Dominicus, cum Albigensium zizanosum agrum, tetrasque circum late spinis, ac tribulis haereticarum maledictionis obsitas, ac horrentes obiret bonum seminando semen Christi: etsi ad praedicandum esset, et usu exercitatissimus, et facultate paratissimus, et scientiarum copia instructissimus, quam vel absque libris ad nutum, votumque promptam semper habebat, persaepe tamen de omnibus in corde suo nil capiebat sapidum, aut placitum: quod ei adlubesceret afferre in medium. Id quod Deo dilectissimis quibusque Praedicatoribus evenire assolet: nimirum ut humiliarentur, et a Deo sermonem bonum petant. Animarum namque conversio per divinam potentiam fit, non per humanam

scientiam. Illa *dat Verbum bonum Evangelizantibus in virtute multa*: ut praedicatorum, (((p.93))) cen Samsones, per mandibulam Asini Philisteos caedant, idest peccata, daemones, et appetitus inordinatos.

III. In suorum itaque laborum conatu S. Dominicus, ad unum intentus lucrum animarum, forti magis, quam ornata praedicatione eam apud familiarem sibi Servatorem animarum gratiam invenit; ut accepta ab Jesu non consolationis solum, sed et in praedicandi modo, instructionis usura gaudere mereretur. Ut cum, in caeteris, aliquando Servator apprensus ei, salutaria plus, quam subtilia, et mirifica, quam magnifica, magis aperiebat. "Dilectissime Dominice, inquiens, gaudium meum es; quod humilitate potius ardes salvare animas, quam placere hominibus. Non amo, alta appetentes, et negligentes humilia, quos admirabilia potius, quam utilia praedicare delectat. Non haec aegrorum est animorum praeparativa; ut eis esse proficua possit medicina. Ante docti, indocti, clari, obscurique ad Orationis inducendi sunt devotionem, et praesertim ad Angelicum Psalterium meum, ad quod Gabrieli meo dictavi Salutationem, et ipse docui, mandavique unam septiformem Orationem. Istud oporteret eos pro concione commendare, qui ad animarum salutem quaerunt fructificare. Quia divinae Clementiae pietas gaudet devota audientium pietate. Et haec vera est praedicationem utilitas. Me praedica, Dominice, idest, Orationem meam. Sic volo, ut humilitate, superbiam fragrans haereticorum: et pietate, duritiam pravvatorum: utroque ad me laudandum inducas. Huc ostendo tibi utilitates XV. in Oratione mea **compraehensas**. Tu auditores interrogabis, ipsoque iudices facies. Dico conscientias stringes. Accipe Modum, Locum, et Templus."

SERMO I. SANCTI DOMINICI

THEMA. Matth. 6.

Orantes nolite multum loqui, sicut Ethnici faciunt.

Sic ergo vos orabitur: Pater noster ect.

I. *Quinquagena Psalterii*. "1. Quaero Charissimi in terra deserta, ac horrida filiis parvulis, vix ambulare valentibus, numquid foret necessarium habere Patrem comitem, et eos diligentem? Novi, affirmatis. At nos ii sumus parvuli, in deserto mundi; nec valemus ambulare, nec operari quidquam ex nostra sufficientia: nam ex Deo haec tota est. Quocirca oportet arripere Dominicam Orationem, per quam habebimus Patrem nostrum praesentem, cum dicimus: *Pater nostrer*."

"2. Quaero. Si qui Viatores pertransirent rweeam, ubi a serpentibus omnes, aut draconibus icti morentur; an non hisce foret necessarius Ductor vir fortissimus, qui a bestiis laedi non posset, ac ipsas mactare valeret: quique Viatores humeris sua succolatus per flumina quaeque, et in via transportaret? Nemo negat. At nos in terra vivimus Draconum inferni, omniumque peccatorum: Christus vero Pater noster est et Ductor, idemque fortissimus, (((p.94))) et ter Maximus gygas ab alto; qui Morti mors est, et inferno morsus, et jam non moritur, mors illi ultra non dominatur. Quare nobis eum assumamus, confiteamur ei, et dicamus *Qui es, se*. Ens entium, immortalis per essentiam. *Exod 3. Qui est misit me ad vos*."

"3. Quaero. Si per tenebrosas Aegypti terras nobis ambulandum esset; an non maximopere indigeremus claritate Solis, Lunae, ac Stellarum? Assentitis haud dubie. Atqui nos jam nunc degimus in terra tenebrosa caliginis, et umbra mortis peccatorum omnium, quo magis opus nobis lumine caeli est. Quod ut spiritale mentibus nostris impetremus, saepius oremus istud *in Caelis*. Quia Christus caelum est caelorum, et caelorum omnium claritas. Ipse Sol est justitiae, et Stella ex Jacob oriunda."

“4. Quaero. Si quis degeret, ubi omnis in pec. mortali depraehensus morti continuo addiceretur, numquid illi, ne periret tunditus, fuerit necessum, vel ipsum pollere sanctitate, vel in Sanctorum stare consortio, qui a morte cum tutari, ac liberare valerent? Inficiabitur nemo. At nos tali in terra digimus. Nam simul ac anima peccaverit peccatum ad mortem, debetur morti, quo ad gratiae privationem, sempiternaeque obligatur. Feramus, teramus igitur Psalterium, in hoc oremus: *Sanctificetur*. Nimirum, ut et ipsi sanctificemur, et a Sanctis Dei adjuvemur.”

“5. Quaero. Ignoratae sibi Linguae regionem peragraturus; nonne hanc, vel condiscat oportebit, aut interprete fido utatur? Abnuit nemo. Atqui nos ii peregrini sumus super terram alienam; et futuram civitatem inquirimus; ubi lingua Angelorum loqui necesse est. Hanc ergo vel addiscito, vel extorris arcetur patria. Scholae vero duae huc apertae parent, ubi eam est discere linguam, sc. Oratio Dominica, et Salutatio Angelica. Frequentemus igitur usu continuo illud in ea *Nomen Tuum*. Hoc enim est Verbum Dei, per quod creata sunt omnia: vel assumet nomen Jesus, qui percallet linguam. Unde *Bern.* Bone Jesu, Nomen terribile, atque piissimum.”

II. *Quinquagena*. “6. Per Tyranni Regnum iter habiturus sueti, quoscumque necem abripere, an non opus ei fuerit Regiam alicubi implorare potentiam, qua tutus vim tyrannidis evaderet? Dabitur id ultro. At qui mundus hic, ille tyrannus est: ille ad servitutem, ad necem quosvis raptat cunctis ante spoliatos, solum vile relinquit linteolum, cadaveri involvendo. Nobis hic transeundus est exteris, ad patriam tendentibus: quid restat, quidque praestat, quam ut Dei ipsius potestatem imploremus supplices: Domine *Adveniat Regnum tuum?* Regnum omnium peteris Regnorum, Filii Regnum Victoris omnium. Unde *Chrys.* Regnum tuum, Jesu Christe universa. Mundi Regna devincit, et quosque fide es secure facit transmeare ad Regna superna: quoniam tu es Rex Regum, et Dominus Dominantium. *Apoc.* 19.”

“7. Per hostilem tendenti terram; a rapinis mancipationibus, ac latrocinis in famem, quid perinde necessarium, ac salvus conductus, **((p.95))** a praepotenti exoratus Imperatore? Nihil abnuit. At vero nos terrarum hostilitatibus cincti tenemur medii, ad praedam, ad servitutem, ad necem pertrahendi: ni quae vis altior Imperii nos servarit. Imperialem igitur salvum conductum nobis circumspeciamus libertatis velut libertis Domini Dominantium, cujus sola voluntas nostra esse potest securitas, et libertas. Illi oremus: *Fiat Voluntas Tua*. Enim vero summa est libertas ait s. *Aug.* divinam facere Voluntatem. Servire Deo, regnare est.”

“8. Si cui peragranda foret aquis superfusa regio, an non ille navi, aut curru, aliove opus habuerit sobvehiculo? Assentitis id mihi. Atqui nos sumus ii, qui praesentis vitae miseriis circumfundimur: quippe inquit s. *Basilius*, hic mundus non est, nisi diluvium peccatorum. Quare in caelo sit refugium nostrum, dicamus orantes: *Sicut in Caelo*: In Caelo currus est astrorum, viae latea, stella maris Maria: hanc salutem in Psalterio. E caelo in terrena labitur influxus.”

“9. Quod si autem terra peregrinationis tuae aspera montibus, et saltibus horrida foret, ac in via, seu cavernosa, aut lutosa, terraevae motibus quateretur: an non alterutrum fuerit necessarium, vel ut ultima perpressus pereas, aut quae via tibi sese ostendat, qua evades? Age nunc, teque aspice. Tali in terra tuimet corporis tua peregrinantur Anima, infirmitatibus circumdata, spinosa tribulationibus, tremores inter, rerumque vicissitudines varia, interque spem, et metum dubia. Invade igitur caelestem tramitem Dominicae Orationis, et dic. *In Terra*. Ex hac in caelos via est Oratio.”

“10. Fac ita esse: In terra sterili vitam trahas miseram, ubi mera fames, et egestas rerum sit omnium, et plurima mortis imago contabescentium; **ao** non a victo, potuque tibi providendum est? Quid ni inquis. Ah, ubi vitam vivimus? Et quam miseram? Sumus in terra deserta, ait s. *Greg.* et in loco horroris, et vastae

solitudinis, famis ac mortis: Oratio antem, ait s. *Basilii*, vitae panem, ac potum praestat. Quin arripitis igitur Psalterium, ad quo orantes petatis, *Panem Nostrum Quotidianum?*”

III. *Quinquagena*. “11. Si qui sese Principi adeo totos deditos devovissent, ut aliunde, nisi e solius ipsius manibus, nutrir non possent, is autem nulli quicquam elargiri veller alimenti nisi qui regale suum gestare insigne, tesseramque exhiberet: an non extremae foret dementiae, hanc negligere velle? Plane dubitatis nihil. Nos, sub potenti manu Domini agimus, quam is aperit, et implet omne animal, sed, si data ab ipso tessera exhibeatur. Cum ergo, juxta s. *Chrysostom*. Oratio evangelica signum sit verum divinae honitatis, et potestatis: plane par est, dicamus saepius in Psalterio: *Da Nobis Hodie*.”

“12. Qui Regi severo essent grandi obstricti debito, neque huic solvendo, sed capire luendum foret aeterna sub morte: Rex autem omnia dimittere paratum sese offerret; tantum, ut pro remissione regetur: an non demens ille, et infelix censeretur, qui (((p.96))) tantillum ipsi referre nollet submissionis, et obsequii? Omnino confitemini: Atqui nos debitores Dei facti sumus, aeternia mancipandi nexibus et catastis includendi tortoribusque tradendi: et parva istis prece evadere possumus: sio enim ait Rex ipse, si clamaverint ad me, exaudiam eos, et ero illorum Deus. Quis est igitur, quod non clamitemus saepius in Psalterio. Domine *Dimitte Nobis Debita Nostra*: Nam Oratio Dominicalis ait *Remig*. est rogatio filiorum ad patrem, ad sublevandam humanam miseriam honorum colatione, et ablatione malorum.”

“13. Qui detenti a Principe, et nexi, essent ultimo perdendi supplicio, ob immania sua facinora, ni leviusculis proximorum offensis veniam ipsi libentes dederint, hoc vero illi praefracte nollent; an non prorsus infelices ii, ac maledicti forent aestimandi? Assentimini omnes id mihi. Haec autem fit ad proximos remissio, cum orantes dicimus: *Sicut Et Nos Dimittimus Debitoribus Nostris*.”

“14. Si tentationibus daemonis, carnis ac mundi, meroribus, ac miseris agitati, ab hisce unius lapilli gestatione esse valerent immunes: ii vero velut tantillum parere aspernarentur, aut optare dedignarentur, penitus insani, et vere miseri, nec miserabiles ulli, essent habendi. Atqui gemma talis est Dominica Oratio, praeservans, ait s. *August*. a cunctis illusionibus, et nocumentis. Quocirca jure merito saepius in Psalterio orandum est: *Et Ne Nos Inducas In Tentationem*.”

“15. Si denique foret navigandum nobis, ac mare transmittendum infestum a balenis, submersis a rapibus, a vortibus, a Charybdi, a Sirenibus, a Gryphibus, et tempestatibus, ac pyratis; starent vero in portu Rex, et Regina offerentes par gemmarum, quibus inesset vis ex omnibus istis eripiendi malis, nos autem eas despiciatui duceremus, ecquis non ut vesanos plane abjiceret? At in hoc mundi freto sunt daemones, sunt publica, occultaque scelera, luxuria, gula etc. Inde Christus suam Orationem, et Salutationem suam Maria offerunt. Quin igitur acceptamus, inque Psalterio dicimus. *Sed Libera Nos a Malo?*”

HISTORIAE PROSECUTIO.

IV. *Haec talia ad S. Dominicum apparens illi* Servator Jesus: 1. Ille ergo haud mora continuo succinctus in Evangelium pacis, gaudio, spe, spirituque vir divino plenus, die postero (qui Deiparae Virgini sacer, praecipua festivitate solemniter agebatur) in Urbis Tholosanae Majori Ecclesia, frequentissimo Clero, populoque Tholosano concurrente, ceu jussus a Domino praescriptum praedicat sermonem. Fuitque tanta verbi ipsius vis, et efficacia, ut omnes pene a majore ad minimum, sic compuncti fuerint, sic ad Psalterii amoremque inarserint sub illius signo servire Deo, Deiparae plerisque fuerit decretissimum. 2. Id quod citra

moram ipso facto declaraverunt orthodoxi, tum vero et haeretici, errore suo damnate, ad Ecclesiae gremium sese transtulerent. (((p.97))) 3. Inter quos viri tres praecipui nominis, acerrimique haeretici, sese ad Catholicos palam sunt professi, ejurata haeresi: videlicet Magister Norbertus de Valle, Juris Canonici Doctor: Magister Guelrinus de Fracmo, in Artibus Philosophiae eximius: Magister Bartholomaeus de Prato, experientissimus Medicus, pariter, et Theologus profundissimus. Hi tres, praeter alios complures, de manibus S. Dominico caeperunt late circum praedicare, Institutom secuti Praedicatorum S. Dominici. 4. Ex quo tempore mirifica haeticorum est conversio consecuta, et Religionis sacrae, devotionisque srudium in coronario Dei cultu ad psalterium maximo cum fructu, et Ecclesiae incremento profecit.

CAPUT II.

Sermo II. De Salutatione Angelica, a Deipara S. Dominico

revelatus olim: nuper ab hoc iterum Novello Sponso.

I. S. Dominicus cuidam Religioso Praedicatori, sibi valde familiari, ac devoto, Mariae novello Sponso revelare dignarus est, ut aquitur.

HISTORIA

“1. Tu frater, *ajebat apparens subito S. Dominicus*, tu praedicas, sed attende tibi, et sollicite cavete; ne humanam potius laudem, gloriamque vanam **aocuperis**, quam salutem animarum secteris, ac zelos. Equidem, quid aliquando mihi contigerit, olim degenti Parisiis Lutetiarum, minime te celatum volo. Major isthinc Ecclesia, Metropolitana, est, eademque Dei Genitricis, ac intemeratae Virginis Mariae honori sacra, et dicata. In hac, pro Vocatione, praedicaturus, accurata me cura, et curiositate etiam ad dicendum me comparabam. Non ulla stimulante ad jactantiam vanitate, sed ob Auditorum facultatem dictissimorum, ob amplissimi consessus dignitatem, ob frequentiam omnis ordinis, ac status ornatissimam, et vero multo maxime ob manifestiorem, solidioremque veritatis evidentiam demonstrandam, animisque sic imprimendam, ut optatus inde fructus Deo constaret. Cum igitur, pro more meo, ante concionem, ad unius horae spatium, quodam in sacello, post Altare majus, in orationem me conjecissem, in Psalterio meo persolvendam; ecce, confestim extra me factus per raptum, manifesto in lumine contuebar me coram, Amicam meum, quam mihi quaesivi a juventute Sponsam carissimam, Dei Genitricem: haec quem manu libellum praeferebat, mihi offerens ait: Dilectissime Sponse Dominice, etsi honum est, quod praedicare disposuisti, sermonem tamen longe meliorem, mibique gratiorem ad te, affero. Aspectus me affectusque notus miro delibutum gaudio rapiebant: librum capio, lego reverenter, et constanter, neque secus, ac dixerat D. Maria comperio. Illa jactis a me gratiis, (((p.98))) quantisquam demissime valebam, a me tum quidem conspicari desiit. Jamque hora perorationis instabat habenda, adstabatque Parisiensis Univeristas tuta, Anstitutum, Procerum, Dynastarum, Sanatus, populusque frequentissimus, et celeberrimus consensus. Omnes quippe Ordines praeteritorum fama prodigiorum ad audiendum, spectandumq. excitaverat. Ea autem Lux sacra fuit S. Joannis Evangelistae festivitate solemnis. Ut igitur ambone conscenso in altum surrexi; omissa vitae historia, et eximiiis Apostoli, ac Evangelistae praecellentis, ex eo dumtaxat per paucis eum commendavi; quod tantus, tamque singularis esse custos meruerit caelorum, terrarumque Reginae Dei Matris, ac Virginis Mariae: quae quindena habuit efficacissima, cademque facillima cunctis antidota, contra universa discrimina Mundi. Tum deinde haic insistens et persistens proposito, talia praedicabam.”

SERMO II. S. DOMINICI

THEMA

Ingressus Angelus ad eam dixit: Ave gratia plena,

Dominus tecum, Benedicta tu in mulieribus etc.

I. *Quinquagena Psalterii*. “Christianissimi auditores, etc. Magistri Eximii. Hic locos, et aures vestrae eruditissimae exquisitis, elaboratissimisque orationibus assueverunt. Verum jam nunc ego, non in doctis humanae sapientiae verbis, sed in ostensione Spiritus, et virtutis, loquor. Audite me, oro, Christiana cum devotione.”

“1. Si hostilis esset terra vobis peragranda; numquid saluum **conductum** optaretis, et du eo numquid parum sollicite circumspiceretis! Novi, communem esse sensum, et consensum omnibus unum. Mihi vehementer illud assentimini. Atqui vero in mediis hostibus agimus, et Salutatio Angelica salutis est symbolum. Quid enim Ave est, nisi absque Vae omni Evae? Vox gaudii. Gaude, novum, ac primum re, et nomine est, Ave, Evangelium, hoc est bonum, felix, faustumque Nuncium. Quare hunc saluum conductum assumamus exules filii Evae illo hostilia omnia evademus liberati; quippe orbis liberatus est omnis a maledictione Evae per Ave.”

“2. Si eundum fuerit per cavernarum fances, obscuraque **locotum** antra? Nonne lucernam quarimus, praeferimus? Et vero anxia cum circumspeditione, inquitis. Recte. At omnes nos per humanae mortalitatis latebrosas tendimus umbras, atque cavernas serpentinis. Quid ni igitur properamus dictam, Maria, Lucernam comparare nobis? Hanc in Salutatione Angelica pie repetita igne devotionis scendamus, et illuminabimur. Ipsa est Stella maris, et Illiminatrix Maria.”

“3. Fac ita esse. Regem Franciae diris facinoribus tuis habeas, offensissimum; an non summopere gratia Reginae gauderes Regis ad offensam restringendam? Mecum, scio, sentitis omnes. **((p.99))** Nos vero **nmus**, qui in multis offendimus omnes Deum. Nuno Regina caeli, cor Misericordiae valet, et vult placare nobis: Tantum illius a nobis in Psalterio saepius recolatur *Gratia*, et debite honoretur. Vebementer saudeo, vel hodie arripiatis Psalterium: crastinum forte non omnes supervivetis.”

EXEMPLUM.

III. “Vocem ecce propheticam, cogitationum perspectricem. Nam hand secus, ac dictum evenit. Artium studiosi quatuor moribus sat improbis, Virum Dei, ut peroravit, despiciatui habentes ajebant: magna quaedam expectabamus: et ecce, lectionem puerorum audivimus. Nocte, proxima perpotant iidem, atque scortantur. In ipsis amplexibus scorti iram extimulante libidine, ad rixam, ad arma ruunt: duo interneccione occiduntur; aliis duobus ad mortem vulneratis. Ab vigiliis hi ambo in carceres retrusi, post pauxillum ibidem inter blasphemias animam exhalant obscaenam, et infelicem.”

“4. Qui iter cogitant per loca sola, per incultas terras, et humani victus egentes: nunquid plane censebunt necessarium, ut aliunde sibi plene de commeata circumspiciant? Id nemo sanus mihi inficias, iverit. Nostrae haec peregrinationis terra deserta, invia, et inaquosa, caelestium inops honorum est, inanis, et vacua. Quid

gessamus igitur, quid restitamus, quin protinus de illius plenitudine accipiamus omnes, que est Plena? Da illi tu in Psalterio vocem hanc, remque recipe.”

“5. Turbat hellis terra ferocibus, aut infestam habent lutrunculi, ut nulla sit usquam tuta salus, praeterquam uno in Castro inexpugnabili: ad hoc quis, nisi contemptor vitae, non confugerit? At terra talis est in qua mortales agimus, et Dominus est refugium nostrum. Et quid est igitur, quod minus frequenter, et ardentem eum in Angelica Salutatione appellemur? Qui in ea ad Psalterium persaepe dicere dubitamus: *Dominus?*”

IV. Hic Sanctus Dominicus apud Novellum Mariae Sponsum facti narrationem interponit ad Exemplum. “Haec cum ptaedicarem, Alma Patrona Maria continuo lateri haerebat meo assistrix: ipsa, velut ex libro, verba mihi singula prelegens suggerebat dictatrix: ipsa vires, animumque, spiritumque sufficiebat confortatrix, et voci dabat vocem virtutis. Neque aliter dicta cadebant ad aures, ac animos auditorum, velut ignea tela. Sentiebant plerique carbones vastatores scelerum in conscientiis suis, et hasce epigniri intus, ac gliscere flammam ad Dei timorem iuxta, et amorem. Demum velut epilologicans primam dictionis partem ita finiebam: praeclare nobis est perspectum, decem mandatorum Dei reverentiam, ac obedientiam ab humana, seu improbitate, seu fragilitate desuesse, heu temerarii: id quod a nobis avertat Deus. Unum quodque autem de periculis quinque jam enumeratis, per omnia Decalogi capita cum scelere versari, et animae mortem pergrassari potest. Quo circa, ad quinquiesdena deprecanda mala, prohibendaque, certissimum et coivis paratissimum est rimedium ((p.100)) Psalterii Quinquagena prima: quae totidem praesidorum quaedam est veluti panoplia, Corona Mariae.”

II. *Quinquagena*. “V. 6. Sit necessitas snbita, quae vel intempesta nocte quem exturbet in iter, idque ab trucibus infessum feris, faedisque monstris infestum: quid illi perinde foret, atque armati, cordatique comites propugnatores ejus? Negabit nemo. Nos sumus in mundi tenebras extrusi, et fera hominumque viriorumque monstra tendimus iter iniquam: offendimus omnes, et egemus gratia. Vae soli: Ductoris egemus, et assume eam *Tecum*. Tua caetera Angelicae Salutationis comitiva, quae quanta in Psalterio?”

“7. Sit casus, qui compellat inire domos, aut loca, quae obscena scelerum omnium infamia notavit insignis: num quisquam honesti amans nominis solus pedem intulerit? Dubio procul testes, comitesque plures Viros Sanctos, vitaeq. famaeque integros abducat secum. Locus nullus prae mundo hoc est insigniori infamia: et permeandus est omnibus: Felix e tergo quem nulla ciconia pinsit, qui sequacem trahit infamiam nullam. Nullam ex omnibus traxit, quae sola *Benedicta* est per excellentiam: haec qui comes ierit, tutus honoris erit. At iis sese ultro associat, a quibus in Psalterio familiariter *Benedicta* consulutari gaudet. Haec vitae, famaeque testis, et fidissima custos est.”

“8. Si quam in scholam vestra vos ingenua enjuspian artis combibendae cupiditas inclusisset, ac ea scientia lingua peregrina traderetur quid honestissimae cupiditatis vestrae ardori foret perinde necessarium, atque Magister linguae? Quis hic? Quaesitaretis omnes, et amamibus eum? Demonstraretur autem, quis ita ad sese abierit, qui ipsum non adierit, audierit? Nos hic talem terimus ludum, cupidi caelestis condiscendae artis, ignari sed linguae. Quem magistrum quaerimus? Ecce ipse adest, solo verbo docere potens. Angelica eum demonstrat Salutatatio Psaltis in vocula *Tu* demonstrante. In ea Spiritus inest Deiparae Theodidascalus. Ipsum tute precibus require. Maria eum tibi conciliabit.”

“9. Ponamus ita esse: simus nationem ingressi, in quam nulli quicquam inferre, nec afferre liceat: in qua, et mera stipe corroganda sit victitandum, in qua immites viri calybem circa praecordia, barbariae rigentia gerant: at mulierum tanto sit mitior at benigne faciendum natura: illud sane studium esset omnium nostrum, ut de mulierum nobis misericordia demeranda laboraremus. Atqui Diva Maria est Mater Misericordiae, et Ss.

Angeli, Divique omnes per nostra in Deum peccata, alieni a nobis forent, ac adamantini: illa tamen numquam nisi bona Mater est. Quare eam jure suo meritissimo benedicamus. *In Mulieribus.*”

“10. Cum, teste s. Gregorio, ipsaque experientia, quotidie ambulemus vias mundi amaritudine plenas, an non gratissimus is comes fuerit nobis, qui a consolatione suavissimus? Atqui hic is est, adesseque nobis optat; cui orantes dicimus: Benedictus. Quin igitur eum devincire nobis studemus in Psalterio? Quapropter cum per **((p.101))** dicta jam quina pericula, in salutis nostrae perditionem, grassentur immane dire decem Capitalia septem cum Perfidia, Praesumptione, ac Desperatione: equidem ita existimo, neminem sibi tam inimicum repetiri, qui ista cognoverit certa salutis praesidia, sit ea despecturus. Sin; nemo talem non aut insanum, aut desperatione deploratum dixerit. Quare adversum quinquies dena ea pessima monstra, vestrum vobis placeat asyllum in Psalterii altera Quinquagena.”

III. Quinquagena. “VI. 11. Porro: quid in itinere positus, labore fessis, fame, sitique exhaustis, sui que subsidio recreandi destitutis, quid inquam his evenire gratius queat, quam ut in felicem Arborem, optimus plenam fructibus, et manantem sub ea frigidae fontem, contingat. Arbor ter benedicti *Fructus*, eum fonte vitae: Fructum igitur, Arboremque pariter in Psalterio consalutemus.”

“12. Fingamus: quid obstat? Ex nobis unum aliquem illi Regno dandum esse Regem, in quo steriles universi degerunt, nemo pater, Mater nemo fieri posset: Gemma tamen Regi novo demonstraretur, cui vis inesset omnes faecundanti. Num eam, si quidem sapuerit, aspernabitur? Melius ille Regnum amabit suum, At in suo quisque corporis Regno Rex est. Sed id in terra situm maledictionis est, et spinarum, ubi infelix dominatur sterilitas, hac pulsa Regnum felicitare potest, et faecundare, quisquis illam in caeteris Angelicae Salutationis Gemmam *Ventris* dictam, pie usurpabit: adeo certe faecunditatis est ex obumbrante Spiritu sancto. Qua enim Virgo Parens omnem ab orbe spiritus abstulit sterilitatem, quo amplius carnis restituet faecunditatem eadem rite invocata?

“13. Dictum nobis haud ignoramus: Negotiamini, donec veniam. Sed dicere quisque potest, mendicus, et pauper sum ego, aurum, et argentum non est mihi: unde igitur megotiabor? Sit igitur Regina potens, quae te copiose donare velit pecuniis; Non illius omni via ambires gratiam? Maria est, cujus proprium illud est possessivum, *Tui*: Tua, O Virgo, tua totius orbis utriusque, superi, jacentisque medii, possessio: verum tibi illa possidet: tu tantum illi in Psalterio famulare.”

“14. Si quis nexus vinculis, et tetro carcere clausus detineretur; oblatamque nollet Clavim, qua resolvente manicas, pedicasque, et carceris fores omnes reserante, evadere licite, glorioseque valeret, cum is demens, tum in sese foret iniquus. Et nos vincti sedemus in mendicitate; et ferro. Quin ergo Clavim David arripimus; qui est *Jesus*? Hic vero per quam fuit conceptus, per eandem Salutationem, et accipitur. Et arripere, orare, gestare, exoculari, plane venerari Psalterium, salutationis Palatium, omittemus?”

“15. Degenti super terram pestilentem, et tabificam, quid perinde censebitur necessarium, ac certum Antidotum unguentarium, **((p.102))** quod omnem adversus lucem praestare valeret? Miseri nos mortis filii hac in mundi pestilentia auram, animamque trahimus, et id, quod vivimus, morimur ad certam tamen immortalitatem conditi: quam quidem hausta hic pestis aeternum infelicitare potest. Quin amuleti? Quod balsamum superest? Unguentum suppetit Christianis *Christus* id est, unctus, cuique sicut unguentum effusum Nomen est: hujus pigmentaria est Maria, quae Christum debet dedit orbi pestifero: dabit, et tibi, tantum Angelica Salutatione ipsam rite venerare.”

“Quid tot inter funera, praesentemque mortem, vitae capessere tardamaus remedium? Ecce pericula quinque proxima, dire venenata, et venenantia, atque ea ipso cum spiritu haurimus. Quia igitur per sensus denos, quinque scilicet exteriores, interioresque totidem sorbere pestem tam est pronum, quam periculosum: saluberrimam agimus rem, medicinamque paramus nobis, ad Psalteriam quinques denas repetendo Salutationes Angelicas.”

HISTORIAE CONTINUATIO.

“VII. Ista mi filii (*ad Sponsum novellum inquit S. Dominicus*) praedicabam tuoc, ceu Divarum Maxima Diva jusserat Maria nostra eoque sermone, velut injecto reti retiarius, pene totam Urbem Parisiensem comprehendebam, tanto cum fructu, ut permagnae sint animorum consecutae mutationes apud incolas, et exteros, usus, cultus, veneratioque Psalterii passim omni Regno crebescere caeperit, perque singulas pene populi familias, ac domus pervulgari. Imprimis autem lectissimam studiosae juventutis florem illius fervor praedicationis ite mature fecit, ut flante Spiritu Dei ad altiora novi Instituti Praedicatorii evolaret. Itaque abdicato saeculo juvenus plurima Ordini se dicavit: s. Dominicum secuta vitae Magistrum. Quo simul tempore Conventus ibidem nostri Parisiensis fundamenta jaci prius caepta; eam in molem excreverunt, quam hodieque videre est: Episcopo, Rege, Urbe, inprimis autem academia tota huc me, secundum Deum, ac Deiparam, plurimum adjuvante.”

CAPUT III.

Psalterium servat a succubis, ut revelat Sponso Maria.

I. Exemplum legitur: quod etiam Beatissima Virgo Maria cuidam devoto sibi novello Sponso mirifice revelare dignata est.

“1. Carissimus Sponsus meus (*inquit Sponsa Dei Maria*). S. Dominicus ex Orbe, per Germaniam iter Parisios instituerat, Fratribus sex aliis, ejusdem secum Instituti, ipsum comitantibus: et ubicumque divertebat, praesentim in Monasteriis, et Collegiis, praesepe vero etiam ad populare, exhortationes, concionesque habere consuevit. Ac tametsi per interpretem ut plurimum ad exteras nationes praedicaret, frequenter tamen etiam Hispanice loquens, ((p.103)) hujusce ignaris linguae sua patria loqui visus, recte intelligebatur. 2. Demum illud peculiare ipsi donum a Deo gratis fuit concessum, ut loqui nosset, ac posset omnem linguam cujuscumque nationis. Quod quidem Donum Linguarum singulariter ipsi conveniebat impendi; tum quod viri virtus, spiritusque divinus, in salutem orbis infusus illi, et erumpere gestiens, constringi nequaquam debebat, et quem operari fructum datus fuerat, ab eo per ullius linguae ignorantiam retardari. Tum, quod ipse Dux primus erat, a quo per omnes orbis oras, gentiumque nationes destinari Praedicatores volebat Deus. 3. Neque vero ex mero, soloque dono solius Dei linguas loquebatur peregrinas; verum etiam ex aliquo ipsius quandoque merito: ut cum spiritus impulsu singulatim ea pro gratia Deum impensios orasset. Sicut quando in Francia cum quihusdam **Alemanois** bene multos per dies Alemannica sermones miscebat. 4. Ego tamen Sponso meo, mea apud Filium gratia potissimum eam facultatem impetravi, qua tum uti libere valebat, eum ad salutem animae, aut plurimum, intererat. Hinc in quamcumque exteram nationem inferebat pedem, gratia praedicandi, ejusdem continuo gentis lingua callebat. Et merito: nunquam enim sese conferebat, nisi ut Apostolus Domini: quo eum spiritus agebat. Missus fuerat, velut ad mundum jam refrigescente caritate moribundum, ut ipsum resuscitaret.”

“11. Nunc vero audi Historiam facti, ipsa sui singularitate memorabilem. Est in Alemaniae terra castrum natura loci, et arte, manuque munitissimum, quod miles quidam habitabat bello, et armis potens; cui similes sui erant quatuor supra denos tribuni, manu prompti, robusti viribus, et praeliis exercitati; insuetique praedis. Quo atrocior spiritus singulorum pectora quandam ad barbaram immanitatem efferarat; ut actis quotidie

praedis per nefas, plus delectarentur, quam justo Marte quaesitis. Nec raro per latrocinia mixtas sanguine praedas cruentare, floci pendebant. Impia virorum erat immanitas. Dicti quatuordicem uno sub Principe singuli, plures ductabant sub signis, non tam militari dicto sacramento devotes, quam scelerum societate facinorosa cunjuratos. Hi longe late, per omnes circum terras excursionibus factis, rapinis, praedis, caedibusque omnia infestabant: innumera caesorum corpora transcurrenti data flumini, (Rhenus id fuerit, aut Danubius) demergentes. 1. Cum igitur ad infame illud a praedonibus castrum non procol adesset s. Dominicus, et mane primo ante Divinis operaretur ad aram, quam pergerat iter; ecce sub Missae Sacrum sua ipsi familiaris Beatissima Deipara me spectabilem soli dabam, talibusque Monitis informabam. 2. Age disce: quid facto opus. Ubi captus a feris traberis; eorum Principi te sisti postulabis: habere te, quae nosse ipsum: cujusque Primipilos, saluta omnium intersit: dictaque factis continuo probatum **((p.104))** iri: adeoque ipsorum tibi manus injicientium capita in praesenti futura discrimine: ni tuis fuerit monitis consultum. Adde: visuros, auditurosque ipsemet: quae in vivis nunquam vel fando cognovissent. Dabunt it barbari tibi. 3. Istud autem babeo certum in dicto castrum quindecim incolunt mulieres eximis corporis forma, habitu, cultuque spectabiles, et vero elegantia vultus ad miracolum visendae carnalibus. Hae Principem, Tribunusque ejus militares dominantur armatis; neque enim homines sunt mortales, nisi ementiti: sed ex orco ipso cacodaemones veri: et quidem vah succubi. Ita autem quindecim viris iis persuasissimum est: ipsas esse Deas, quas Fatales vulgo placet vocitari. Earum familiaritas, creditur in rebus gerendis certa esse prosperitas: consilia, putantur oracula. Pro! Quantis hisce refertus est orbis? Dulces sunt furiae: inescant melle: vipereo saepius felle necant. Prorsus versant, miscentque orbem. 4. Quare istud age. Hinc in viam tecum adsumet sacrosanctam Dominici Corporis particulam: sic usum posciturum: nec absque Stola, quam Sacerdotali ritu propalam gestabis. Tuis eventus respondebit casum Fratribus. Nam praeda factus prius ipse praedonibus: hosce dein omnes in piam eo Deo praedam habiturus: captivos quoque triumphaturus daemones; qui infelices modo praemiatore captivos ducunt. 5. Tu porro captus ubi ad latruncolorum Principem admissus steteris: accerseri posce cunctam domus familiam: sua iis scelera nefanda cordateingere: intenta pericula, ipso illo die per quas cunctos ad evadendi ab hisce viam aperi, praedicato viris Psalterio. Animarum auferes lucrum. Pretium hoc, praemiumque periculi est. Dixit, et abscessit.”

III. “Ex ordine, et praedicta, jussaque, se, et dant omnia, et geruntur a s. Dominico. 1. Viam sic ille capessit, comitesque fratres pariter. Ad castrum, ut propius ventum: locum de nomine appellare non audeo: neu quam in praesentiarum incolam notam infamiae sibi intorqueri cunquerantur: nam etiamnum ibidem forte nefanda geruntur, jam in eo erat; ut eruptione facta prenderentur. Ecce rursum adest Deipara soli manifesta suo Dominico, dicens: *Ecce mitto te ad gentem peccatricem: nec enim ab annis retro triginta eorum plerique, vel scelera confessi expiarunt, aut ulla audire divina voluerunt. Magi omnes, daemonibusque devoti. Insta, Psalterium praedica; Dona quindecim, seu medicinas adversus peccata totidem ex diametro commonstra. Vinces cum Deo.* 2. Illi dum carpunt iter ecce advolat furiosa manus; prensos, nexosque raptant, versant, plagisque mulcant; et Sanctum Dominicum caeteris immanius daemonis in sanctum eis furor erat jam diu perosum. Ad castrum ducunt captos, certi dira caede mactandos; ni Deus probibuisset. Vir sanctus, secretos petit affatus Principis. Admissus vix pauca futur; jam animo Dynastiae illansus eum ad miriora flexerat. Itan interiora insi ad aurem **((p.105)) foli** sua revelat, quae monstra domo foveat, edocet, promittit facturum sese, ut bestias tartareas oculis contueatur. 3. Pavore **conterritus** hae-mabat Princeps: tribunos accersit, quibus **corane** ex Sancto percunetatur: eccunde talva nosset, quae monstra loquebatur? Quid facto opus, ne in perniciem ruerent ipso die illo paratam? Cui Sanctus: *Agite, factis Inquar magis, quam verbis: auribus simut, et oculis dicta dabo: tantum, Princeps, jube accersivi huc cunctos, adesseque corum, quos castrum hoc tuo contines.* Dictum, factum: Adstant omnes, solas praeter Domicellas: quae nimias **excusabant** occupapationes **suas**, quas fingebant. Vocantur: rennunt. Tunc *Ite*, dicit Dominicus *in Nomine Sanctissimae Trinitatis; perque ipsius virtutem Psalterii, quod praedico, sic mando cunctis, ut huc se protinus sistant.* Interim coronae circumstantium inquit: *Sed vos stati viri; S. Crucis signo frontem muniatis, et pectus: Credite, horrida Orci monstra spectabilis.* 4. Et jam excussus fertur ad aures clamor ejulantium, seque in alia omnia vertentium nequiquam: vi occulta trabebantur, **dsunt**: Deum Jesum, Deiparam, Caelitesque dire execratae blasphemant, limphatis similes furiae. Imperato larvis silentio; rursum ad caeteros ait: *Signo se quisque Crucis obarmet.* Parent cuncti; at illae nequaquam: quin averse magis saeviebant.

IV. Hic vir Dei ter SS. Hostiam de sinu producit manifestam; et sic inquit. 1. *Adjuro vos oblarvatas Furias inferni per Istum, quem cernitis coram, hisce in manibus: Palam edicite, et confestim; que, unde, cur huc adestis: tuque nominatim prima harum, superbissima bestia, eloquere.* Illa furens, ineffabiles iras vultu, minasq. spirans, truces in diversa oculos distorquet, dirumques infrendens vociferatur: *Maledicta dies, quae huc te stetit. Maledicta sit illa cum Filio; quae huc emisit. Sic, heu, una hora tot annorum conatus nostros*

corrumpet? Cogor, heu, heu, prodere secretum cogor vestrum, o mundi Principes; Nos infandi cacodaemones sumus: hosce astites annis jam plurimis dementavimus; castiteam late, caedesque per eos fecimus: et heu; hoc ipso die hos in aquas praecipitaturae fueramus, in Orco nobiscum caenatuos. Sciunt stant paratae naves, ad oppositam eis aquas terram hostiliter a quingentis istis depopulandam. At hodie nostri erant, deditique nobis, mediis in undis submergenti. 2. Cur, quaerit Sanctus, non id citius patrastis? Et illa: Facultas, heu, non voluntas deficiebat. Sciscitanti: Ecquid ita? Subjecit. Sat audisti: quid nos torques amplius? Cui volo, inquit, et jubeo per Virtutem Christi: edicito. Furia, heu, heu, ejulabat: Falsa illa Cantilena Mariae Mulieris Judaicae semper hoc impedivit: Hi enim omnes, justu Principis omni die salutabant illam. Et Sanctus: Quantum orabant? Illa: Quantum tu praedicas Psalterium inimicae nostrae. 3. Instanti S. Dominico: unde istud didicerant? Responsat: Nosti. Quid quaeritas? Heu, per id antiquum est oraculum, orbe toto receptum olim: at arte nostra pene sopitum. Tu nunc in pernicem id nostram instauras. Portant **((p.106))** id quidem, hodieque ex antiquo gestant, et demussitant multie verum quid faciant, ignorant. Parens istius Prinsipis, inimicus noster, cum a puero garrere ed coegit. unde illi insuevit; quantisvis sese facinoribus obstringeret: nec ullum voluit commilitonem, qui non idem portaret secum, et oraret. Hodie vero, ob apparatus in procinctu necessarium, orare nondum valuerunt. Sic nobis patebat inermes: Haustu uno, hic undae, flammae isthic, perissent. Ad quae s. Dominicus: Exorta haec veritas est. Securi credite viri: ego affirmo. Sed advertite: Si vis ea Psalterii fuit apud sceleratos: quanta apud justos pollere Psalterium existimandum est? 4. Illae multa frementes, ac quiritantes contendunt, ut dictis contentus hinc eas facessere sinat: simul genua humi demissa ponunt, abitum precatas. Neque tamen adhuc muliebris formae larvas, adusque miraculum formosissimas, posuerant: nisi quod cedere compulsae tam miserundum induissent vultum; ut aspectu, gesto, mistoque gemitibus planctu, quoque emollirent. Hi enim ipsi ad terram supplices s. Dominico facti deprecantur: eas sacra Numinis praesentia tam immaniter cruciatas, paenis absolveret, abscedere permissas. Sunt tamen, ajebant, res bonae, et valde amabiles: et viris supra humanam aestimationem solatiosae, et obsequiosae.

V. Hisce vero s. Dominicus mimium quanto Dei zelo succensus excòamat: O vos insensatos, et stultos corde ad credendum, Parumne adhuc pericula agnoscitis vestra? Parum adeo scelerum vos paenitet vestrorum, pudetque: ut criminum, et discriminum tantorum machinatrices paessimas nondum Diris dirus excremini? Ego foxim cum Deo, ut continuo vester ille adversum eas amor, animusque in vobis stirpitus elidatur. Quapropter vobis in Nomine Jesu, ejusque Matris Psalterio praecipio; state viri, nec cedite loco, dum conspecta oculis horum immani monstrotum obscenitate, sortem ipsi vestram miseremini. Vos autem tartarea portenta, ferae pessimae, larvis ocyus positis in sua quaeque figura, hisce, quales estis malitia, vos aspectabiles exhibete. Ita, inquam vobis in virtute Domini nostri Jesu Christi praesentis, et Psalterii sui, praecipio. 2. Et ecce; dicto citius adstant bestiarum monstra, orco ipso tetriora. Ac nisi divina virtus singularis spectantibus robur suffecisset; prae horrore spectrorum, clamore, ac faetore exanimes corruissent, nunc urgebat vir divinus: Dicite, jubeo, eccur, et quaenam estis quindenae? Tuque princeps superbissima bestiarum edic prima. Illa rugitu immani excusso, tantum non animas e corporibus pene evulsisset: Nos, erugit, heu; sumus quindecim inferni Reginae, Orbis seductrices: et hujus imprimis insidiatrices Principis: ut qui sanguinis est Regis vir, ac Imperialis: opportunum nostris conatibus instrementum, ad gentes plures nostram in nassam perfrabendas: fidei Christianae diminuendae. Neque infeliciter. sed hactenus. Ipsis tamer. Magis, eorumque similibus praestigiatoribus **((p.107))** imperitamus. Neque Astrologi nos ignorant; ea nostris ab illusionibus comminiscuntur. Multaque effutiebant alia, quibus fascinent Principes, bella serant, malaque aexcenta machinentur. 3. Stabant interim caeterae tales forma, quales malitia, scelerum magistrae. Ad quas s. Dominicus: Auferte vos hinc protinus, inque ima ruite tartara. Illae in fumum, inque tetrum abiere faetorem, incitae ocyus: simul arreptas a statione naves cum hauriunt: reliquarum exercitu copiarum illuc adstante, ad spectaculum prope expectorato.

VI. 1. Dux autem ipse, omissa excursionis faciendae cura, ictus horrore, una cum praedonum manu (qui plures quingentis aderant) Sancto accidunt supplices, sibi, quaeque vellet, imperari orant, adderetque monita salutis; et caepta firmaret: imperata sese facturos omnia. 2. Verum ille hoc tantum: Sacra vos ex homologesi expiate viri: male suetis abstinite flagitiis, assuescite bonis. Caeterum laudate Dominum Jesum, et Matrem ejus Virginem, ipsorum in Psalterio. Sique conversos reliquo diei respirare permisit. Stabant enim attoniti, tremefactique omnes, nec animi, vel corporis sat potentes. Et sat erat Dominico, tantum uno vidisse die, audisse reos, ac peregissee Deum. 3. Die posteri rursus convocati adsunt frequentissimi ad s. Dominicum, qui sermone longo, spectatorum Inferni monstrorum species, partes, ac attestata visio.

CAPUT IV.

De XV. Lacunis, seu Bestiis inferni, ac vitiis: cum

attestatione Visionis.

SERMO III. S. DOMINICI

THEMA. Psalm. CL

Laudate Deum in Psalterio, etc.

Filii Dei bellatores mundi: **hen**, diu filii diaboli, velut luce clarius oculis vestris conspicati fuistis. Sed vestre ii voluntate, fraudeque daemonum extitistis: natura tamen, et Creatione; Redemprione, et Conservatione, filii Dei. Date nunc aures mihi, animosque precor: qui nescientes Principi vestro obedistis, ad Psalterium Deiparae Virginis quotidie persolvendum, et me nunc, in nomine SS. Trinitatis, ac Mariae ad vos informandos hoc misso, discite: quemadmodum, et quibus malis deprecandis, idem vite peroretis. Hoc primum scitote velim: summa scelerum esse omnium capita quindena: quibus adhuc mancipati servistis. Nunc vero, (quae Dei miserentis est gratia) per Mariae Psalterium, ex iis vos ejecistis; de caetero, si volueritis, immunes futuri. **((p.108))** Atque ea quidem, ut quindecim sunt numero: ita quindenis quoque Fontibus Gratiae, ex Angelica Salutatione promanantibus, adversantur. Ter quinas ordine terno proponam, et exequar, cum Deo.

I. QUINQUAGENA IN PSALTERIO

1. LACUNAE BESTIA, LEO SUPERBIAE EST.

In hac oberrat mundus per Arrogantiam. Vanamgloriam et excellenti appetitum, mente, voce, et operatione. Contrarius illi Fons gratiae Psalticus in Angelicae Salutationis consistit voce: Ave Superbi enim sunt maximo cum Vae Maledictionis. Quae si in Crelitum quenquam cadere posset: de caelo eos continuo proturbaret in Orcum. Cui si vel pars minima turpitudinis, ac immanitatis cerni oculis posset: horrorem inquam, quin praesentem mortem cuivis, orbique toti inferre valeret.

Bestia Lacunae hujus, daemon est Superbiae. Quam Leonis igniti sperie estis conspicati: fiammas oculis spirantem **sulphureas**. Dentibus, ac Unguibus ferreis saeviter armatam. Alas ea vibrat serpentinas, ut cujus pennae singulae singuli serpentes essent virulenti, et igniti. Pennarum autem flocci quilibet lacertae essent totidem, tam acris veneni, ut in solo visu, quamvis procul videntem enecarent. Halitus ejus scintillas cum sulphure proflabat: quarum singulae tales, ac tantae: ut quaevis correptam provinciam totam miscere flammis, et hanrire posset. Nemo videt eam, et vivit: nisi quae Dei ipsum virtus tuetur. Experti nostis: Neque tamen est, vel pervidistis monstrum hoc. Et vero quis poteus est? Nam, Augustino teste, mortale crimen minimum, quodumque supplicium temporale excedit in immensum. Nimirum quanto corporea spiritualibus superantur universa. Quare laudate Deum in Psalterio, ut ab ista superbia liberi vivatis Deo, humilibus consentientes.

II. LACUNAE, CANIS INVIDIAE EST.

Haec per Odis, sussurrations, detractiones, de alieno danno gaudium, tristitiam de bono ec. mundum inficit univsum. Hanc contra Fons patet secundus in Angelica Salutatione, dictus *Maria*. Haec enim, teste s. Maximo. *Charitatis Mater est, et Domina: fons, et ignis amoris, illuminans pariter, et accedens*. Ipsa est Seraphin maximus. At Invidis tenebrae insunt quantiae item maximae. Quarum si vel pars minima in orbe hoc corporaliter existere posset, solem, et astra ablata oculis prorsus obtenebraret: nihil ad eas Aegyptiae tenebrae, seu Cymmeriae. Illa est, quae Tartaro noctem affert, sempiternam.

Bestia Lacunae hujus, Daemon est invidiae, quae speciosissima diu prius mentita puella, postea vobis apparuit instar montis canis atterimus: Lingua furva nimis, putrisque termibus scatebat, ob ebullientes diffamationes: Dentes vero praeacuti, ob improbam mordacitatem. Posteriora a faetore, et obscaenitate abominabilis: **((p.109))** hic pars impili glabrie nuda, isthie pilis obsita spinosis: aculeata omnia. His lacerat, faedatque famam insontem. Crines ejus setosos spectastis: singulos ad instar gladii. His o quot, quamque acerbas mortes clam palausque vulgatq; omniaque funestat? Cauda rursus arenata intorquebatur: et ejus pili singuli sagittae visebantur: sc. *ad sagittandam in obscuro rectos corde*. Pedes ipsa immanitate immaniores, ac perinde ab Unguibus horribiles erant, **quorua** quilibet gerebat balistam; in obvium quemque percuti paratam. Bene Ambrosius: Gressus invidorum sunt ad interficiendum corpora, et mentes, ad Deum, Sanctosque maledicendum, Quare ut ab hac **bedua** liberemini. *Laudate Deum in Psalterio*.

III. LACUNAE, SUS ACEDIAE EST.

Haec, in Divinis est tristitia; qua mundus ad Dei jussa tardus, in orando incestus, esse detestatur ipsum, fugitans mysteria salutis. 1. Hanc contra Fons gratiae tertius est *Gratia*, dictus. Gratia enim, s. Fulgentio teste, homines in Divinis laetos reddit, ac promptos. Servire **urasque** Deo regnare est; ait s. Greg. 2. Quae vero quantorumumque servitia Regum nobis prae uno Dei esse deberent obsequio? Ad hunc obsistit Acedia: cujus tabe corruptus jacet, torpetque mundus totus ad usque mortem. Neque vita vivere quisquam in orbe posset; si vel pars minima tristitiae, et gravedinis **acediase** in corporalem versa qualitatem, usquam in mundo existeret. Nec **mirura**: quippe aeterna, infinitaque debetur. Acediae tristitia paenae. 3. Bestia itaque Lacunae hujus visa fuit ut sus immanis, in abyssali caeno consistens. Aures gerebat arrectas, enormi latitudine patulas: ad Vana quaeque captanda. Setae videbantur ardentes laureae, queis pigri Deum, caelitesque lucerant: restrum praelongum, ut hians, cum ordine dentium triplice ferreorum, quod acediam bona triplicia, Gratiae, naturae, et Fortunae devorare docent s. Crysost. Caterum sus ille obsitus pilis erat, qui singuis singulos Aethiopes, faede monstruosos, referebant, nimirum, quod, s. Basilio teste, otium pulvinar sit diabuli, et piger daemonum locus, ac receptus proprius. Caudae denique obscaenae, Pdi ardentiam instar titonium erant: inter quos e posterioribus flummam faetidissimam exprimi ceruebatis: Acedia enim genitrix est Luxuriae. Quare ut ab hac belua vivatis immunes *Laudate Deum in Psalterio*.

IV. LACUNAE, DRACO EST IRAE.

Hac innumeri tumores gerunt, rixas, exercent. 1. Contrarius ei fons quartus est Patientiae in Angelica Salutatione, dictus, *Plens*. Nam ut bene s. Gregorius, plenitudo virtutum est plenitudo patientiae; quae opus perfectum operatur: neque est dignitate minor multum martyrio. Hanc s. Maria tenuis elam in omni vita: tum in Filii Passione vel maxime. 2. Hujus vero lacunae tantus flagrat incendium: ut qui minimum quid de mortalis ira: flamma certueret, et viso tamen superviveret; **((p.110))** majus foret miraculum, quam si in orbe deflagrante solus remansisset intactus, et superstes Quia, s. Hieronymo teste, incensium culpa citra comparisonem gravius est quovis corporeo, naturalique detrimento. 3. Bestia idecirco visa his quarta fuit Draco, et is flammeus tantus quantus. Hujus vastitatem cernebatis immensam: ut qui terras, montesque intra se complecti videretur. Verum hoc tamen scitote: loci spatiolo in se parvulo monstrum id circumscriberetur quidem, oculis autem vestris immensa locorum spatia videbatur occupare.

Visio ea non erat pure naturalis; sed me rogante, divinae adfuit potentiae moderatio. Sicut enim basiliscus est corpore pusillus; at veneni vi, et penetratione potens est, lateque fundit virus ad et inficiendum, et

interficiendum. Ita Draco is loco, molesque parvus, at volente sic Matre Dei, vastitatis immensae belva cernebatur. Et quidem Flaminomus qui ira, testante s. Basilio, merus sit ignis inferni. Dentis ejus plurimi, et praeacuti quod ut Aug. inquit, ira gladius est furiosus. Ore Faetorum, vah, quanta memphitis exbalata procul omnia corruppebat. Ita quippe, sit s. Ambros. venenatas fert secum contumelias in proximum, et in Deum blasphemias. Caudam trabeat qua longissimam, qua horribilissimam. Adeo, sit Chrysost. iracundorum lousus, et terribilis ardet appetitus vindictae, cuncta vel semen in ruinam involvere eandem concupiscens. Alas sine modo vibrabit, sic enim ira volatque, furitq. vaga per orbem. Principibus, terrarumque, rerumque Dominis, vel maxime dominata, vocat in arma viros, et flammis furiarum omnia miscet. Alas horrificabant inspicati Unci igniti, tridentesque praelongi quia haec talia furor arma ministrat. At Sibilo suo fumicrepto tantis vos tartarum prolapsi, exhorresceretis. Et vero animas reddidissetis, nisi vis Dei vos tutos praestitisset. Oculi helvae, proh succens instar fornacis globus flammaram voluebant, cui ab horrore simile vix aliud extat. Eo inquit s. Ambros. quod in oculis ira sedens efflagret, omnium appetens exitii. Pedes ipsi innumerabiles. Tot vias ira capit, ut vincictam consciscat. Ungues pedales lanceis militaribus similes videbantur cruorem sitiientes, tabeque manantes. Heu, qualis homo est, ab tali invasus belva? Aqua ut sitis immunes: *Laudate Deum in Psalterio.*

V. LACUNAE, BUFO AVARITIAE EST.

Haec furtis, rapinis, usuris, simoniis, sacrilegiis haurit universa. 1. Fons gratiae contrarius illi Angelica in salutatione dictus est. *Dominus*, Nam ut s. Hieron. inquit, Avarus est divitiarum servus, at qui liberalissima misericors Dominus est qualis, et Maria Misericordiae Regina est. 2. Haec Lacuna vere abissus est, fundoque caret, mergens suo, et immergens omnia barathro. Quoniam, ait s. Greg. Nis. avarus non impletur, nec **((p.111))** satiatur pecunia. Istia voragini parum est Regna tota, quin plures si forent, mundos, absorberet, numquam terra exsatiatur. Opplato licet ventre, appetito tamen, ut inani metuit naturaliter unum hoc, neu quando sibi terra deficiat. Coronam in gerebat, maledictionis sc. ambitionem. Semper enim coronas ambitionis sectatur avarus. Amplitudo coronae montium, praeferebat speciem; quorum inter valles profundas, ceu in habitaculis, avari tenebantur conclusi, justisque inibi paenis addicti. Quae quidem non omnia sic in speciem imaginari; sed vere poterant exhiberi, et videri: Infernum quippe serum quoquo versus fert Daemon; itemque avarus, quilibetque damnatus, s. Greg. teste. Pedes uncatis immaniter unguibus ferreis tibi videbantur, et habere cupita, et tamen egere: Ita, ait s. Ambr. Quod habet avarus, non habet, et semper eget. Solam semper cupiditatem habet, et hanc avidam. Os bufonis tam lato faucium rictu hiabat: ut castra, templa, fundos, regnaque solida hanrire valisset.. Quo rectius s. Aug. Avaritiam ori gehennae comparat, quod numquam dicit: sufficit. Alae ei, ad modum vespertilionum, erant subtiles: ob subtilissimas cupidorum cautiones, ac frandes: quibus in avaritiae nocte vario pervagantur volatu. Talis omnis avaros est.

Epilogus I. Quinquagenae. Ecce vobis jam monstra quina: tototidemque Lacunas, in quibus mancipali belius infelicissimo sordescebatis servitio. Ecce, quae coluistis: qualis vestras in animas inromissa circumferebatis ignari. Jam nunc vero sic habetote. In lacunis istis quinque volutati: cum beluis hisce quinque conversati, Decalogum Dei mandatorum flagitiose violastis: Numen iratum in vestram concitastis perniciem: perrisetisque nisi fuisset misericordia Dei praestabilis super omnia.

Quapropter ad quinque Fontes Gratiae in Salutatione patentes Angelica peccatoribus cunctis perinde, ac justis festini adproperate. Ex quolibet decies haurire licet, et admissa in Decalogum scelera eluere, consanare vulnera: animae deliquia ad robur pietatis, ac sanctimoniae reparare. Atque ita primam Psalterii **Mariaai** Quinquagenam Deo, Deiparaeque rite, et ordine Itaveritis. Laudate ergo omnes Mariam in Psalterio suo. Nec dubitate; quod si vos in tanta positus malitia, Psalterii usus saluti reservavit: quanto magis in gratia repositos, et in hac conservabit: et ex hac ad gloriam prevehet certam, ac sempiternam? Hic cursum orationis incidebat audientium eruptos, imo pectore singultus, et **mitus** cum fletu planctus, ejulatusque virum: cum de peccatis contritorum; tum gaudentium de sua periculorum, malorumque tantorum evasione. Dei dono, Deiparae beneficio, et Psalterio adjurante, efficaciter procurata. Feliciter.

II. QUINQUAGENA.

VI. LACUNAE, LUPUS GULAE EST.

Haec ventrem ingurgitat, corporisque curam accurat. 1. Contrarius (((p.112))) illi Fons in Salutatione est isthoc. *Tecum*. Quia Dominus cum sobriis est, ait s. Ambr. cum gulosis Diabolus. At B. V. Maria sua abstinentia abstinentium esse regina promeruit. Cujus quidem abstinentiae quanta honitas, tanta gulae est immanitas. Quam si corporali specie Deus in rerum existere natura faceret: sola, et res animatas exanimaret omnes, et inanima devoraret, ipsumque adeo mundum absorbere valeret. In hac lacuna, heu! Quoties animas submeristis, et obrustis corpora, et ejus in vos belnam receptatis? Quam? Qualem? Vidistis. Lupus erat vorax, et ventrem abdontinosus: hiebat fame, ore spumante cruorem cum tabo commasticabat. Dentium in ore septa quino stabant ordine: ob gulae species quinque: et ii bastilium longitudine calibei. Quid enim non gula vorat? Vox vasta sic, ut orbis ab ea remugiens intremisceret. Quid enim clamosius gula est?

Faetor faucium plusquam ponticus: qui terrarum oras omnes inficere, cunctaque interficere, valuisset. Pilis sub villosis, perticarum ferrearum similibus, gulosorum nidi, et coenacula condebantur, quae vertebant eis in officinas poenarum, heu quantarum Genitalium testes retro binorum instar nonticolorum extuberantes propendebant, aestuantibus circum flammis sulphureis, cum intollerabili faetore. Talis luxuria est, gulae filia: quae, quibus peccat iisdem, et punitor. At Cauda recurva sursum medabat obsceno spectaculo nates: tanto cum aspicientium horrore, quanto maximo. Vah monstrum infandum. Cujus ut rabiem effugiatis: *Laudate Deum in Psalterio*.

VII. LACUNAE, HIRCUS EST LUXURIAE.

Hic fornicationes sunt, et adulteria, incestus, stupra, raptus, sodomiae, et infanda talia. 1. Contrarius illi fons in Salutationis est vocabulo *Benedicta*. Quia ut Maria Virginum virgo est: sic et Luxuriae faeditas scelerum parens caeterorum est: ineffabilis utraque. 2. Ex simili aestimate. Si faetorem spiritalem luxuriae in corporalem verteret Deus, momento suffocaret omnia, et inanima corrumpere. Neque mirum. Quia, inquit s. Aug. oh luxuriae faetorum omnis inferno debetur faetor, et is aeviternus. Nec in coelis beatorum quisquam est, qui non perpeti mallet inferni cruciatus, quam luxuriae tolerare memphitum.

3. Hircus idcirco eam representabat, immaniter furvus et vastus. Qui innumeros gerebat propendula in alvo damnatos. Cornua surrecta praeferebat decem, arboreae singula magnitudinis, aliis innumeris ramosa corniculis: quorum quodque par esse quibat orbi devastando. Adeo nimium potens est luxuria ad Decem praecepta Dei contemnenda. Lanita videbatis singula. Nam, ut ait s. Greg. Ignis origo libidinis est. Pili ejus singuli sibilantes erant angues, et saevi tactu, visuque mortiferi. Ocnitalium obscenitas ipsi: et horrore perissetis in momento, absque Dei adjumento. Bene s. Ambr. Horrore luxuriae quid faedius: quidve horribilius? Toriens ignitus (((p.113))) et suplhureus, de genitalibus sese prorumpens, fumo totum orbem tenebrat. Rictus late hians prope cunctas orci paenas gerebat, flammam, fumosque proflans: quae turpiloquia referebant. Et hanc extreman infelicitatem in vos toties recepistis: quoties libidine vos contaminastis. Ut fugiatis porro: *Laudate Deum in Psalterio*.

VIII. LACUNAE, URSUS EST INFIDELITATIS.

Haec orbem infestarat per sortilegia, divinationes, magias, haereses, et errores. 1. Contrarius ei Fons Fidei salit in voce, *Tu* mire emphatica, et ad demonstrandum energica. Non illa fidem in Christum demonstrari mereretur: quae Virginis Matris fidem integram monstrat? Ab hac sola maximum, planeque singulare B. Maria extitit miraculum. Sic Spiritus eam elisabethae monstrarat, cum dicebat: *Beata, quae credidisti*. Ubi s. Hieronym. *O Maria, magna est fides tua! Tu enim mundo fidem monstrasti. Tu Verbum Dei ad nos deferens, Ecclesiam in montibus sanctis fundasti per Filium. Et sic qualem universi ex te fidem accipiunt; per quam*

Domino placens promeruisti, ut mater Dei fieres. 2. Istius infidelitatis malitia praecedentium malitia omnem longe superabat.

Ursus idcirco illius imag fuit, caeteris monstris, et mole vastior, et immanitate saevior, et voracior. Quia, ait Aug. Infidelitas est maximum peccatum. Os ejus, inferni porta est, de qua dicitur: *A porta inferi erue Domine animas eorum.* Dentium in ore trabalium ordines duodecim stabant: et hi praecuti: ob subtiles, ut sibi videntur, rationes errantium contra duod. artic. Fidei. Sub ursi alvo innumerae furebant belvae, animarum carnificorum. Clamor ore tonabat labefactans orbem. Quid, enim blasphemia immanius? Et clamor cum torrente flammaram ruebat, omnia obruens improvise. Pedes ut maximi, sic tantis ab Unguibus erant horridi, quanti dentes: et tabo utrique spumabant: indices infidelium saevitiae. Alae vultureae plumas ex colubris ignitis gerebant. Ait enim s. Fulgentius in serm. *Infideles per scientias falsas dum volitant, orbem venenant.* Huic vos belvae in se quisque domicilium posuistis. Ut porro eam affugiatis: *Laudate Deum in Psalterio.*

IX. LACUNAE, BALENA EST DESPERATIONIS

Haec deserto Deo: praesentibus, ut potest, fruitur mundi solatiolis. 1. Contrarius ei Fons Bonae Spei in Salutatione hic statuitur: *In Mulieribus.* Nam *Beata Maria*, inquit Sanctus Hieronymus *Mater spei est.* Quae ipsa in speciem, passa repulsam istis: *Mulier, quid mihi, et tibi: nondum etc.* a spe tamen nihil excidit quin erecta certior stetit, jubens ministris: *quod dixerit, facite.*

2. Est autem desperationis mors tanta, ut si omnium viventium (((p.114))) mortes in unam convenirent, hanc tamen illius pars minima universas anteiret. Adeo ictu certo vitam aeternam praescindit, ut asserit s. Remigius.

3. Balena idcirco eam referebat; caeteris jum dictis immanior mole, saevitia, et aspectu. Quia desperatio est peccatorum praedictorum ultimum apex, ac supremus: Draco maris, seu Leviathan dictus apud Job. In ore ejus quasi innumeri Dentium ordines fredebant, caeterarum dentibus bestiarum tanto majores, quanto ipsi Caete major erat cunctis. His Caelum, terras, creataque omnia perturbabat. Quia desperatio dum, ut inimicum sibi, Deum fingunt, quam esse, Deum non esse **mallet**, id quod rerum Universo, quam maxime adversatur. Os ejus adinstar Charybdis erat, absorbens omnia. In ore Carcer frenabat vinculis desperatos. Heu! Quae hic furiae. Oculis scintillae, quanti montes sunt, et flammae obsistebant evibratae, par flumen ore vomebatur cum faetore sulphureo. Talia enim desperantium verba, sunt, et voces, quibus, ait Haymo, verba salutis aversantur: ut viventes sint mortui; velut alter infernus. Hanc igitur ut de caetero arceatis: *Laudate Deum in Psalterio.*

X. LACUNAE, GRYPUS PRAESUMPTIONIS.

Haec e contrario desperationis peccat in excessu adversus Spiritum Sanctum, super Dei misericordia sola citra paenitentiam consequenda. 1. Contrarius ei Fons gratiae in Salutatione se dat ibi: *Et Benedictus.* Nam ait Ansel. Filius Dei benedictionem dedit mundo, sed cum sua ineffabili paena pro mundo: docens, nos quoque pariter agere paenitentiam. 2. Illius tanta gravitas sceleris est, quanta non satis in aestimationem, taceo comparisonem, venire potest. Quod enim finitum cum infiniti minimo, si dari posset, contenderit? Quae mortes corporum uni pares sint morti rationalis animae? Cum hujus unius vita omnium corporum vitis sit potior? Idque etiam vel secundum esse naturale: taceo illud gratiae supra naturam. Ex eo vos ipsi aestimatote, quod oculis usurpastis, quando, licet corporibus in castro hic aderatis, at mente tamen in tartaro versabamini.

3. Gryps a vobis cernebatur, qui ante Harpya, ob volutam praefidentiae, et ob superbiam videbatur: retro Leo erat, vastitate corporis, et immanitate feritatis par, solique sibi simile monstrum, nec alteri. Ideo ait S. Greg. Nis. *praesumptio plus cunctis peccatis, Dei justitiam violat, eam, ut invisam, aspernando.* Rostrum ejus aduncum, e ferro candenti, hiabat in praedam, halitu fulmineo plurimos afflans. Sic consuetudo, inquit s.

Maximus, peccatum hoc pervulgavit. Vox ejus turbabat omnes orbis oras. Quia praesumptuosorum voces elevant, vilique pendunt Dei, et Scripturae minas, justitiam enervant, Ecclesiam increpantem vitia, non audiunt, experientia teste. Venter beluae vastarum plenus fornacium erat, ubi in una colliquefacti, in aliam, atque aliam traviciebantur et alias ad naenas usane renovabantur, morsibus (((p.115))) infinitis mortui simul, et redivivi, et semper morientes. Idque ob vanissimam praesumptionis praefidentiam. Alas in monstro obstupuistis innumeras, grandes minutulis remistas, indices eae sunt phantasiarum, quas volatiles habent temerarii illi, vagas, et varias; quo sese in peccatis excusent, ac confirmant, de misericordia Dei sibi blandientes. Hae alae motu suo ventus ciebant, quibus infernum succendebant, quo omnium damnatorum maledictiones in praesumptuosos, atque ut ipsa comminuebant; eo, quod se invicem confirmarint in impaenitentia, et reformationes aliorum quoque impeduissent.

Consistebat vero bestia super gelidum flumen, quod scatebat praesumptuosis; quae, ut Job ait, *transibunt de aquis nivium ad calorem bestiae nimium*. In hoc colliquefactae, et alias iterum, iterumque in formas transfusae, demum per beluae posteriora ad modum ardentis fluminis rapidi in gelium subjectum exonerabantur, humanam in formam reparatae. Rursum ab Gryphe unguibus corrastratae, cumulate, contritaeque vorabantur. Hic Infernus ille est, qui numquam dicit? *Sufficit*. Plerique hic Potentes, aut Clerici visebantur a vobis, opulenti, quoque, robusti, juvenes, inaniter praefisi in nobilitate, potentia, opibus, robore, aetate ec. Vidistis haec, et optastis medio in viso, numquam vos natos apparuisse, pluraque, et immaniora quam effari fas sit, conspexistis. Et quidem corporibus in castro degebatis isto, verum eculo mentis, et imaginationis, divina rapti, et protecti virtute, ipsi tartaro consistebatis. Est tamen naturale quid, ex quo aestimare de spectro potestis. Nam cujusvis est, ob oculos visu naturali posse bestiam intueri, uti est; at pene insities majorem eandem sibi fingere in imaginatione valet. Ita vobis accidit divinitus. Tales portentosas in sese recipiunt beluas, qui dicta suscipiunt facinorosa delicta, adeoque ipsi in earum monstruosas formas induuntur, ut necessario dicere olim Judex eis debeat: *Nescio vos*. Quas ut evadis securi beluas, agite: *Laudate Deum in Psalterio*.

Epilogus in praedicta. Quapropter cum divini tam fontes dicti quintuplicis gratiae, una in Angelica Salutatione salientes, fidelibus int apertae, qui sedulo eos frequentarint, ac digne, vitam haurient sempiternam. Permeant autem, atque dimanant eorum haustae aquae denos per sunsus, externos quinque, internosque totidem, simul eosdem ab omni praedicta noxia eluunt, et expiant; et sua eos beatitate perbeant. Quem in finem quinquies denas Salutationes in altera Psalteri Quinquagena libare sancte Deo, Deiparaeque studeatis.

III. QUINQUAGENA

XI. LACUNAE, MONOCEROS EST ODI.

Hoc detestatur Deum, vel in seipso, vel in potentia, aut providentia: Fide, Sacramentis, aut aliis in operibus divinis. Quae divina omnia ideo parvi aestimant, raroque usurpant osores Dei, (((p.116))) rerum pereuntium, snique tanto ardentiores amatores. Tam scelus immaniter malum est, quam suinme Bonus Deus est, quem odit in se, vel in aliis. 1. Fons Charitatis illi contrarius in Angel. Salutationis voce, Fructus, consistit. Inter fructus enim Spiritus Sancti princeps est jugiter ex eo manans charitas. Et vero eum suo cum Fructu ventris Deipara dedit. 2. Efferrata odii enormitas, et informitas tanta est, ut si cadaverum universorum abominandissima faeditas in unam congesta cerni posset, nec tamen vel minimi odii particulam adumbrare posset. Malitiae causam infinitae accipite liquidam. Mortale crimen eo tale est, non quod naturam occidat, sed animam aeterna nece mactet, in anima vero, quae Dei est imago, quantum in se est Deum ipsum occidere velle censetur. Hinc relevavit non semel Deus; malle se fieri, si posset, morte temporali interimi, quam letali peccato, vel tantillum favere.

3. Monoceros proinde scelus odii repraesentabat, quod is omnium brutorum, ac belluarum commune sit odium, oderitque omnia immanius, ut nec suae speciei parcere norit. Est ei unico in cornu vis tam valida, ut in cursu facto vastos arborum truncos, ut muros penetrare queat, quo facilius quicquid beluarum attigerit, ictu levi, transadigit astu solius, et arte virginis, decipitur, et capillevi, transadigit astu solius, et arte virginis, decipitur, et capitur. Pariter odium, ait s. Gregor. Nazian. et habet, et habetur, odio, soloque trucidat cogitatu. Sed ipsum Deiparae Virginis arte in Aug. Salutatione charitatis, plena vinci, vincirique potest.

Vidistis hujus belluae vim sese longius porrigere, quam cujusquam aliarum, atque subtilius latissime se citissimeque diflundere.

Par vis odii est mentalis. Quod si enim naturae vel maxime est conforme, amare Deum, et similem sui hominem, necesse est eidem maxime repugnare naturae odisse Deum, et proximum. Ita odium ipsam transfodit naturam, et ipsummet Deum petit.

Cornu portenti erat, quantum vix emetiri visu poteratis: seque in ramos ignitos, et harpagatos spargebat latius, ut sylvae speciem densitate referret. Sanie omnia, cruore, taboque faedata horrebant, et mortibus sese mutis immanissime confodiebant. Eae odientium sunt furiae. Os illi rictu deductum immenso patescebat quo urbes, et agros vorare defacili quivisset. Quia odium, ait Orosius, omnium janua malorum est. Venter intus innumeris scatebat scelerum formis, sese corrodentibus, ac imorum, summorumque rotatu velentibus. Monstrum vero continue; magis, magisque et juvenescebat, et augescebat: sicut odia sese in dies renovare assolent, et gliscere. Quia autem toto orco nusquam pari cum diritate jactatae audiebantur tot in Deum blasphemiae, atque in hac una bestia; idcirco inferis nominatur, mors Dei. Pedes, et dorsum cornibus, ad modum ericii, horrebant, singulis cornibus ramosis plurimi insidebant tyranni, justorum, et Ecclesiae persecutores, sed alius alio corporis membro fixus inter corona haerens, undique lacerabatur, dispunctusque cruciabatur: dum ex acie suprema subjectum in ferae dorsum delapsus, a crinibus exciperetur: qui surrecti, velut lancea flammicantes, stabant. In hisce alias ad **((p.117))** paenas renovati truciores; rursus a cornuum harpagonibus rapti, ultro, citroque trajecti sus deque volutati, jam exenterati, mox tormentis ingestis sufflati, iterumque eviscerati infelicissime frendebant, nulla usquam requie data.

Nostis, me vix umbram eorum, quae vidistis, exprimere verbis. Quo infeliciores estis, qui dicto immaniores in vobis fovetis bestiis, dum odiis omnia, vosque ipsos, nec vixisse maletis, quara ut cum delicta expietis, tum detestantes vetera caveatis: *Laudate Deum in Psalterio*.

XII. LACUNAE, CORVUS EST CONUETUDINIS.

Haec juxta Theologos, non est certum genere, vel specie, aut numero peccatum aliquod, sed conditio peccatorum, qua recidive, (ut corvus suum *cras*), frequentatur irremisse: quae est in peccatis perseverantia, seu impaenitentia.

1. Fons ei contrarius in Salutatione Angelica in voce *Ventris* continetur. Nam suis quisque fere moribus a natura fictus, formatusque nascitur, tum quod mores, plerorumque sint, quales corporum humores, quorum affectionibus, animorum fere pares solent affectiones respondere; tum quod quidam liberis sint mores velut a parentibus haereditarii, ut truces trucibus generentur, mites a mitibus, a tardis tardi, morbidi a morbidis. Unde diversim: Lupi omnes ululant, latrant canes ec. Et Patrem sequitur sua proles, Deipara vero pravam ventris Evae consuetudinem sua benedictione correxit, vertitque in contraria omnia.

2. Consuetudinis autem pravae ea est malitia, ut nullis, quae unquam extiterunt, linguis queat explicari. Nihil enim corporeum, et temporaneum potest, aequare dicam? Nedum vel attingere spiritale sive honum illud, sive malum fuerit.

3. Avis eam vobis in visione representavit; non certa quidem aliqua: quod similes extet nulla, attamen visa, tartareis vocari assolet Corvus Inferni. Molis suae vastitate caeteras bestias longe superabat: quia, inquit s. Hieron. cujus hodie celebratur octava peccandi consuetudo malum est omnium jam dictorum peccatorum maximum, ut quod quantisvis sceleribus superadditum ea in suam trabat parem magnitudinem. O malum, ut minus in culpa, at in sequela, maximum. Nutrix ea malorum, et propagatrix infernum complet. Malum Jurisperitis per quam familiare. In ventre Corvi clamitabant aves aliae carnivorae, et rapaces, ibi autem animarum voraces, et eae ventricosae in immensum. Rostro animas dilaniabat, rictibus vero hiantibus plurimis multa pandebat in sese guttura avida, etsi animabus referta. Per singula cuique transeundem erat animae, aliis atque aliis affectae paenis: trajectae in ventrem denique in fera bruta vertebantur, aviumque formas omnium, mox rursus e ventre imo eructatae reddebantur ad guttura **((p.118))** srocitantis, *eras*, *eras*, clamoribus horrificis, mox iterum in ventrem resorbentur: sicque in orbem eadem orbita

torquebantur: ad ritum consuetudinis perpetuatae. Quare qui peccandi consuetudinem mordicus tenuistis adhuc, ea damnata, corvum ex vobis excutite: *Laudate Deum in Psalterio*.

XIII. LACUNAE, MERETRIX EST APOSTASIAE.

Hac violatur Fides Ecclesiae, aut Professionis, aut concordiae ab horum aliquo descidendo, dum quisque quaerit, quae sua sunt.

1. Fons ei contrarius in Salutatione Angelica voce: *Tue* salit. Tuus enim tunc maxime es, ait s. Hieron. cum Dei es, reddens Deo, quae Dei, et Ecclesiae, Caesari, et suum cuique: et quidem Dei Virgo Maria sic tota fuit sua. Qui autem, ait Petr. Damian, bene est suus, omnia alia ipsius sunt: et in eos inter numerandus est, qui sunt nihil habentes, et omnia possidentes. Enormitas Apostasiae jam dictae fare omnia superat, non apostantis solum, sed ed eorum, qui favent apostatis, vos ii estis, qui nulli non favistis impietati. Et adhuc vestrum quidam non desinunt obstinati. Hoc dicebat ob eos, qui attriti erant timores, sed nondum contriti amore charitatis.

Mulier idem retulit Apostasiae, sed immanis gigantaea, ut capite inter nubila surgeret. Quia Sanct. Greg. Ait, Apostasia magnitudine sua peccata omnia transcendit, latitudine, sed ad maligna quaeque extendit. *Mulieres* autem, ait sapiens, apostatare faciunt sapientes. Proinde sicut Mulier est omne malum, ait s. Hieronym, sic et Apostasia, est Aquilo exsiccans gratiam Dei, evellens arbores: nam ab Aquilone panditur omne malum. Tolle, dicitur, mulieres, et sanctae manebunt divinae Leges. Recte igitur dicitur, illa Mater inferni. Apostasia enim a Deo, fecit daemones, et Infernum. Capita erant ei plus mille, et singula quovis monte majora, oris rictus immensum barathrum videbatur, ad tantas adeo blasphemias hiabat, et perjuria. Dentes plusquam baleares erant, aut trabales, ut quisque tres alios in se dentium ordines contineret. Hi animas laniabant, conterebant, masticabant per vices, cum saeviore usque cruciatu. Quia Apostasia fidei discessit a Fide, Spe, et Charitate: professionis, a votis tribus. Immane quanta hic tormenta in apostatas exercentur? Quos Dira devorarat, intus inconsumptos consumpserat, revomitos torserat, ac retorbuerat; eos per utrumque meatum effusos ad majores cruciatus retrabebat, ut mater osculis, amplexibus, uberibus, inque sina cruciabilissime fovebat saepius regenerati renascebantur ex eadem. A qua ut liberati servemini. *Laudate Deum Psalterio*.

XIV. LACUNAE, MONSTRUM EST BELLI.

Bellum, ait s. Maximus, est omne malum: ab eo nullum abest peccatum; bello favere, vix absque salutis periculo potest consistere: nulla salus bello.

1. Fons ei contrarius est in Salut. Angel. Jesus qui Rex est **((p.119))** pacificus, qui sese propugnaturus Petro dixit: *Mitte gladium tuum in vaginam. Omnis enim gladio occiderit, gladio peribit*. Ubi Glosa: gladio temporali; aut damnationis, ant utroque. Istum orbi fontem reseravit Maria; quae, ut ait August. nobis pacem genuit: Deo mundum reconciliavit, et fecit utrasque unum.

2. Quo, et damnosior, et damnabilior eorum est infelicitas: quo potius imitandos sibi proponunt damnatos Hectores, Achilles, Julios Caesares, Alexandros Magnos, horumque similes, quam Jesum pacificum: Non bellum justificat victoria, sed causa. Non quaesiti gloria nominis bellatorem commendat, sed justitiae Religionis propugnatio. Faman quaeris? Istam Angelorum ama: *In terra **pare** hominibus bonae voluntatis: non bellicosae*. Ita Rex pacificus est magnificatus super omnes Reges terrae. *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus*.

1. Quam igitur Pax pulchra, grata salus: tam abominandum est bellum, non maxime necessarium: tam inimicum Deo; et perditissima perditio. 2. Fac illius esse penicille pictorio adumbrandam abominationem, convenerint pictores, quod unquam extitere celebratissimi, aliusque super alium addat aliam, atque aliam abominationis turpitudinem picturae, non tamen unquam valebunt, vel umbram reddere abominationis, quae

bello inest injusto, ejusdemque sectatorum animabus. Nam corporalium, finitorumque ad spiritalia, et infinita esse, nulla comparatio potest, etsi aliqua procul declaratio. 3. Unde Pithagorae tales sunt monstra hominum; Dydimio sunt Daemones, non homines. Nam Daemones non nisi volentibus nocent; isti invitis; illi post mortem, hi ante diem mortis ad orcum innumeros praecipitant. Illi suggerendo clam tentant. Hi vim inferendo cogunt. 4. Ferae sui similibus parcunt nec lupus lupum devorat etc. at in bello homini homo plusquam lupus est. 5. Infames censentur carnifices; at justitia administri sunt, quid de cruentis belli sequacibus injusti censendum erit? Quae apud Divos in caelis erit sub extremum judicium futura eorum infamia? Vae apud Dominum sic diffamandis nequam servis, manus, pedesque vineti in tenebras exteriores projicientur; qui per nefas gloriam mundi praeosuerunt gloriae, et justitiae divinae. Nimirum hoc erat, quod vos prorsus exanimasset, oblato belli monstro vestris obtutibus; ni virtus Dei vos sustentasset. Exhorruistis visn, nunc auditu quid fiet?

Monstrum vobis erat visum specie varium, ut nomen sortiri nequeat. Quaecumque enim usquam scelerum sunt informes formae, omnes in eo visebantur permistae. Unde Infernus Inferorum recte dicitur nobis, inferis autem Paradisus Mundi appellatur; quod multi bellum esse Paradisum suum putant. Idem opinor; sed pes antiphrasim. Sicut s. Hieron. Ait, Bellum ironice dictum pulchrum, quasi minime bellum; cum orbis nil viderit monstruosius. Molis tantae monstrum vobis est visum, quasi hoc mundo majus: nec abs re, cuncta enim mala in se mundi continet; quo caetera vincit mala, quantum prae partibus totum est; mors prae morbis. **((p.120))** Paenarum igitur ejus quarita moles fuerit, et congeries, malorumque summorum colluvies? Quis explicet fando? Quis cogitatu complectetur? Recte iis, qui divinitatem mente comprehendere contendebant, dictum; *Et mentita est iniquitas sibi*; Mentietur, quisquis hujus monstri monstruosas paenas sese explicare posse confidet. Ecquid enim bellantes sunt, nisi beluantes ferarum ritu: furentes in genus humanum, cum Deum attingere non queant, per Theomachiam, ut de gigantibus fingitur, caelum expugnare cenantibus.

Spectastis in Monstro quemadmodum, et quae in arma induebantur Cain, Nembroth, Saul, Holofernes, Daecius etc. Vae, vae? Dicent. Bellut sequimur. 1. Pro justa causa. 2. Ad Minorum Imperium. 3. Pro bono communi. Quid? 1. Nunquam est justa belli causa; ubi se homo pro temporali bono, mortali exponit vel peccandi periculo. 2. Obedire plus oportet Deo, quam hominibus, et excidere gratia terreni, quam caelestis Domini praestat; maxime ubi vertitur Ecclesiae vastitas. 3. Bonum commune polyticum solum raro tantum est in sese vere; ut animarum damno sit par illi, quod plerumque ad caedes praeliorum consequitur. Dein opinione est saepe, et affectu plusquam rei ipsius veritate bonum.

Quia vero ad bellicosos mihi est oratio; audire desiderabitis Ecquod justum sit bellum censendum? Illud inquam. 1. Si autor belli justa polleat autoritate. 2. Si alia via nulla obtineri pax queat. 3. Si fuerit ex causa justa defensivum; non offensivum. 4. Si non ob privatum bonum vis inferatur communi. Majori, ob minus. 5. Si malum armis propulsandum liquido majus fuerit sanguine Christiano profudendo. Cum enim homo inter naturae bona sit nobilissimum; sane mors ejusdem violenta majus esse malum naturae causeri debet; quam illa sint bona fortunae. Cujus enim facinoris fuerit, pro ranis, ac bufonibus filios Regis parricidio sustulisse; at homo Dei est filius, ut minus gratia, certe natura. 6. Si fuerit pro Ecclesia bellum, pro fide, pro justitia, aut alia virtute etc. Ordine charitatis observato, graduque, bonorum; hoc est, pro meliore bono. Quae quia raro in bellum conveniunt; et paucissimi quique animas rite comparant ad incertos eventus; hinc Sanctus quidam divina revelatione cognovit, quodam in bello; non praelio, inquam, circiter quadraginta hominum millia fuisse desiderata, atque ex iis non plures, quam sex damnationem aeternam evasisse. 7. Cuique nomen militiae danti necesse est, nosse, quod a justa stet causa. Quae nisi manifesta fuerit, de plano plus obedire oportet Deo, quam suo etiam Principi. Nam hujus potentia non attingit forum divini judicii, et conscientiae certe Neque etiam ob incertum bonum, adiri certum belli malum oportet. 9. Si liquida fuerit belli causa; tum quisquis Sacramentum dixerit Sacra Confessione animam expiare studeat; ne temere se periculis objectet. 10. Omnibus recte, et ordine constitutis, edicto etc. injustas rapinas aliaque scelera probiberi necesse est. Et illa sic cujusque mens ad Deum, et oratio actu saepe, semper **((p.121))** habitu; in te Domine speravi non confundar in aeternum; in justitia tua libera me, et eripe me. Capessendi igitur belli consilia a Theologis, virisque opinione sanctis, ac justis capessi oportet. Causa enim justa belli, et pro fide, et charitate defendenda, proferendaque hanc autem ex omni parte cognoscere, non tam est Principum, aut saecularium, quam alta scientia, et divina discretionem pollentium virorum. Quare o viri bellicosi, *Laudate Deo in Psalterio*.

XV. LACUNAE, DRACO EST SACRILEGO.

Hoc universe, est omne, quod ad fidei sacrae designatur irreverentiam; sub triplici tamen specierum differentia, juxta triplicem rationem sanctitatis, scilicet Personarum, Locorum, Rerum Sacrarum; ut sunt Sacramenta, et Sacramentalia, sive ad horum ministerium consecrata, vel applicata; huc spectant Simoniae apertae, at palliatae, Ecclesiasticae libertatis violationes. 1. Fons ei in Salutatione Angelica contrarius est vox *Christus*, id est. Unctus; ex quo vis omnis, sanctitasque Sacramentorum dimanat, sed per Deiparam, ceu canalem. Haec ait s. Anselm. *tantorum est Thesauraria Misteriorum*. 2. Vae! Quos hac in re Alchimos, Jadeo, Menelaos, Antiochos esse delectat; hoc infandum nefas adeo in caelum atrociter clamat; ut per infinitos tonare mundos posset. Deo scelus tam est amarum; ut si ex infinitis tonare mundos posset. Deo scelum tam est amarum; ut si ex infinitis mundis (si essent) amarissima omnia naturalia in unum coissent; et ad illius minimam amaritiam longissime non aspirarent. Deo malum tam est rabidum, ut omnis omnium rabidorum rabies, ad istius malitiae rabiem nihili ducenda sit. Vertantur licet a Deo creaturae omnes in Dracones; Sacrilegii, et blasphemiae tamen virulentia minutula protulerunt inferiores: 3. Draco idcirco nefastum scelus hoc representabat vobis; simile Apocalyptico; *habens capita septem*, contraria Septem Sacramentis; *et cornua decem*, contra Decalogum. 4. Trabebat autem tertiam partem stellarum caeli; tot sacrilege abutuntur Sacramentis. 5. Et Draco iste faciebat bellum contra B. V. Mariam, et Filium ejus; tot se offerunt, ingeruntq. Simoniaci etc. aut vivunt scandalose. 6. Et mittebat Draco flumen sulphureum post matrem, et Filium; illud sunt faetulentae orationes, indignae celebrationes Clericorum, et Religiosorum, aut laicorum: velut istis Justitiam Dei vindicem demersuri. 7. Verum terra flumen absordebat, idest, orcus, non caelum. Quia opera eorum omnia sunt terrena. Vae, qui Divina sic pessundant, ac in terrena convertunt, et profana. 8. Faciunt bellum contra Michaellem, et Angelos ejus; quia malignantur adversum bonos, et rectos. Oculi solo necabant aspectu; ita scandalo sacrilegium. Oris fames plus mille dentium ordines habebant; quia Sacrilegi maxime ore **polluto** Divina percipiunt. Ora septem. Plusquam septies millena exercere in sacrilegos tormentorum genera distincta, audistis, et alia plura praeter superius adumbrata. Ventres quoque (((p.122))) septem Dracones, item cornua decem innumeros cruciatus ingerebant, et repetitos aeternant. *Quod a nobis avertat Deus. Ideo laudate Deum in Psalterio.*

NOTA.

EXAMEN THEOLOGICUM VISIONIS EXPLICATAE.

XVI. *Quaeritis*. Ecquo potuerunt ista sic videri, cum nullae insint inferni daemonia sic apparent animabus discruciantis, visione nunc mentali, alias imaginaria, alias in assumpta specie; praesertim vero specie corporeae tali daemonia per divinam Potentiam sunt alligata; tum ut solo spectaculo plus torqueantur animae; tum ut ipsi cacodaemones, ea coactione assumptionis, dirius patiantur aeternum; denique ut animae, quibus peccaverunt, his, et torqueantur; ea autem hisce in formarum larvis belle animabus damnatis representantur. 2. Porro *quaeritis*. Quomodo sic ligantur? *Resp.* Divina potentia, et infinita justitia sua, vim, et speciem intelligibilem mentibus damnatorum impressit; neque daemones, ad eum alligati, aliter possint. Quanto autem vis spiritalis, quam corporalis, est major tanto et pena est gravior; quam si esset res vere naturalis; unde animae patiuntur supernaturali passione. Quam ut evadatis salvi. *Laudate Deum in Psalterio.*

HISTORIAE CONTINUATIO.

XVII. Ad exetremum nunc ego quaero? Aliterne vidistis: atque dicendo exposui: et omnium vox una fuit; *Domine, nil verius scivimus unquam*; iterum s. Dominicus. Et vero vos omnes, nondum vere contriti, sed timore solo conterriti; bestias, ut vidistis, sic vestris in animabus adhuc circumfertis. Ad quod eorum multi; *O Pater, hoc videtur impossibile*. Et ille; *O tardi corde ad credendum in omnibus, quae vidistis, et audistis? Iterato conspicietis*. Simul ad SS. versus Hostiam orabat clare. *Bone Jesu; hoc verum esse, rursus eis ostende, ut perspectam suorum scelerum immanitatem agnoscant*. Et vox ad eum superne accidit; *Visum, satis, ut credant*. Ac rursus s. Dominicus. *Domine, satis quidem pro justitia tua, at tua pro misericordia, et horum peccatorum miseria ecce nondum satis*.

Ecce protinus quisque in se, et aliis eadem XV. monstra tanto conspicabantur horribiliora, quanto coelum a terra abest distantius; ut jam eis, visa prius velut somnium viderentur, aut pictura fuisse. Ac nisi manu Dei protecti vixissent, perissent. Tam dirum est, suorum videre peccatorum faeditatem; quanto dirius in tartaro? Et Ratio docet; nam quanto positivum est nobilius; tanto privativum est deterius; ac peccatum privat gratia, et gloria; inferni autem paena per se privat bono sensibili; ut instrumentum; non per se privat bono gloriae; idcirco paena damni (((p.123))) diseruciabilior est, quam paena sensus. Et rursus; sicut humanitus comprehendendi nequeunt, quae Deus praeparavit diligentibus se; ita nec, quae odientibus se. Solum scit, qui accipit.

XVIII. Universi his visis, in humum, in fletum abjecti, inque veram diffluentes toto corde paenitentiam, respuerunt. Atque ex eo nollus eorum ridere visus scitur: mundo ejurato sese omnes abdicarunt, praeter paucos. Ordines religiosos ingressi varios, coeptam cum vita duxere paenitentiam. Alii Praedicatorum, Minorum alii, complures Carthusiae Ordinem professi vixerunt quidam Eremitis sese incluserunt. Per eos, ut praepotentes, multi Religiosorum Conventus passim collocati sunt: Dynastae item, ac etiam. Prinipes ad meliorem se frugem, istorum exemplo sesse receperunt. Simile quid legi s. Dominicum, et in Hispaniis designasse.

ATTESTATIO VISIONIS

SPONSO FACCTAE NOVELLO.

Certus autem sum, nuper quendam B. Mariae Sponsum novellum omnes istas, singulasq. paenas verissime, et realissime vidisse: qui, et praedica conscripsit: De quibus continue aliquam habet portare paenam, pro suis, et aliorum peccatis. Legi quoque s. Dominicum in Tolosanis partibus quid tale domicellis haereticis ostendisse: sed modicum, in specie capti, daemone apparente. Et aliis similia visa legi: sed non tam distincta, et grandia. S. Dominicus quoque illa XV. monstra sic, ut istis ostenderat, depingi curavit: qua hodieque pictura perdurat, licet abierit in oblivionem origo.

CAPUT V.

De XV. Reginis virtutem. Visio Populi Britanniae, revelata

per S. Dominicum Sponso novello Mariae.

Psalterium SS. Trinitas per varia charismatum, ac virtutum dona coornat mundum: Ecclesiam in primis, velut rosis, liliisque vernantibus condecorat. Cum autem Gratiarum divisiones sint: eas trifariam ibidem s. Hieronymus distinguit: in Morales, Theologicas, et Superexcellentes. Harum una radix est Incarnatio Christi: per quem divisiones sunt factae. Utque porro fieri perennem: vim idem suis indidit verbis, ut dona eadem in his contenta velut asserventur, et per eorum vitae bona precibus obtenta possideantur. Illa autem verba in duobus sunt Oraclis, seu precandi Deumqu. colendi formulis sc. Oratione Dominica, et Angelica Salutatione. Unde s. Anselm ea. Hortos appellat universar. Dei Virtut et charismatum Apothecas. Et Chrys. Quid est boni, ait, quod plane non continet Oratio, a Summo Bono edita: Et s. Aug. Mira Dei clementia, quae in paucis verbis incomprehensibilem divinae Sapientiae Bonitatem miro modo comprehendit: cum in Dominica Oratione universam salutem salubri modo dipinxit: (((p.124))) Sunt vero in singulis partes illustriores quindenae totidem indices virtutem. Quae, quales, quantaque sint subjecta declarabit.

NARRATIO FACTI.

I. S. Dominicus, novus orbis Apostolus, Evangelii praedicationem cum Psalterii virtute in Britanniam quoque inferebat: et quod mater ejus, cujusdam Britanniae Ducis filia, indidem oriunda fuisset: tanto audiebatur attentius, velut cognato sanguine Ducis Magni propinquus. Et vero multo maxime ob amplissimam sanctissimi nominis famam: et parem miraculorum designationem: quae per eum Deus patrabat, ut per Assertorem mundi flagitiis pessundati: perque novi Ordinis Fundatorem, Dei, Deiparae, Divorumque specialiter eximii Praedicatoris. Et jure id quodam, vel ordine factum: nam par est, s. Ambr. teste, *ut Deus primis Auctoribus in quolibet Statu dona largiatur ampliora, quam sequacibus eorum: quippe cum hos ab istis moveri, illuminari, perficiq. oporteat.* Qui autem optimi cujusque praedicatio, ut Aug. placet de virtutibus, ac vitiis, at horum paenis, premiis istorum institui debet: in ea inculcanda s. Dominicus toto Spiritu, conatuque incubuit. Quo magis eum abs Dei honore collustrari oportuit: lumini plurimus inde futurum. Id quod evenit in caeteris una quadam miraculosa ipsius de Psalterio praedicatione. Quemadmodum ipse Pater, suo cuidam Filio devoto Sponso Mariae novello, nuper apparens revelare dignatus est. Cujus haec veritas est.

II. 1. S. Dominicus antequam ad dicendum sese comparatum accingeret, pro more secretas in preces, ac suetas Psalterii sese dabat impensius: orans Numen, ut eum menti conceptum infunderet, daretque sermonem benesonantem in ore suo, qui populo salutator, magisque necessarius accideret. 2. Orationem coronariam excipit Sacrum Missae officium: (quod vix unquam absq. raptu, vel revelatione patrabat) jamque in dimidiatam fuerat prosecutus, ad usque solemnem, prioremque pro vivis memoriam faciendam. In hac, Divina patiens, extra se per raptum factus, pure nescius, ad unius horae spatium, aut quid ultra, immobili adorata vestigio fixus adstrabat; vultu rubens toto velut igneus: adeoque etiam ut caput undique multo surgente fumo vaporaret: indicio haud obscuro, de Sancti Spiritus ipsum igniente praesentia. Fit stupor, et admiratio apud omnes Divinae rei adsistentes Regni Proceres: qui ipso cum Duce Magno, populoque plurimo intererant praesentes, Viri fama, ac reverentia exciti, cup dique ipsius audiendi. 3. Cumque in longius duceretur mora, et Dux cum coniuge teneretur: visum est circumstantibus nonnullis, esse submovendum Sanctum. Dumque vellicari ad vestem tentaretur iterum, ac saepius a diversis, ab eorum nemine unquam vel tactu quibat adpalpari. Hoc vero majores Priore concitabat animorum, et admirationes, et opiniones, ac etiam mussitationes secretam ad aurem cujusque proximi mutuas. Stupori mistus pavor multa animis movebat? Incerti omnes, quid agerent, ac suspensi quo res evasura ((p.125)) forest. Unum certum erat cunctis prodigium. 4. Tenebat autem universos Divinorum spectatores, ac testes, insueta quaedam, ac non satis effabilis, perfusa mentium cujusque intus delibutarum suavitas, et cum caelesti ambrosia attemperata consolatio: cujus vi praedulces, viris, faeminisq. sponte sua per gennas ubertim ibant lacrymae silentio. Ut nec sese nossent sat ipsi: nec dignosset plane, sua animi sensa illa magis, an visa mirarentur Viri Sacerdotes Magni. Quid agerent? Stat manere exitum: astareque silentes. Inter haec redditus sibi Vir Divinus Divina caepta prosequitur.

III. Jam pronunciata rite super Hostiam transubstantiatam simul sacra, solennique verborum Forma, pro Institutione Christi, Verbum accesserat ad elementum, et erat Sacramentum. 1. Id dum elevatum supra facientis verticem praebetur adorandum, et in unam ter SS. Hostiam cunctorum versi, fixique latreuticos haerent oculi Fidelium: ecce tibi: manus inter Sacerdotales ipsum Dominum Jesum mundi servatorem, non jam specie velatum panis solum, sed puellum pusillum: aetatulae, qua a Diva Matre lactatus fuerat uberibus de caelo plenis, manifeste conspicantur suis ipsis oculis universi. 2. Simul in eodem uno contnito cernebant clare, distincte, et vere, in solari quasi luce, Mulierem amictam sole, et XII. stellis coronatam: qualem in Apocalypsi s. Joannes conspexit. Visa Dei Matre pendente ad ubera parvulum, et omnino speciosum forma, prae filiis hominum lactare: eademque Domina pietatis, manu Filii accepta, etiam renitentis, populum signo Crucis consignare. 3. Posthaec ter SS. Hostiam mista in sacrum Linteolum reponente, ut fit; Calici benedicit. In ipsa benedicti elevatione, ecce iterato, et manifeste omnes vident Mundi Salvatorem Jesum ea prorsus specie, qua in Cruce pependerit, crucifixum ipso in Calice Benedictionis. Vident s. Mariam adstantem, Sanguinem Filii excipientem, eumque super mundum aspergentem, in ipsius sanationem, ac salutem.

IV. Utraque in prodigiosa Visione aliud quoddam eodem modo iterum conspexerunt. 1. In Sacra Hostia prius, dein, et in Calice sacro cernebat Reginas XV. infinitae pulchritudinis, gratiae, et gloriae. Has medio in visu praeclare intelligebant. Virtutes esse principes quindenae. 2. Hactenus, ut mira; sic laeta omnia: verum istis in virtutibus sua quisque delicta singulatim omnia, cum cujusque mensura gravitatis, et animi terrore, horroreque pari conspiciatur. Maestum spectaculum, laeto permistum. 3. Hinc vero gravissima ictis compunctione ibant suspiria sursum singultusque, imo sub pectore pressi latera quatiebant. Testes oculi, vultus, ac sinus lacrymis infusi. Ea vero nonnullis interior contritionis aestuatio Pectus oppletum, fibrasque cordis tumefacti distentas, urgebat, ut nihil abesse propius videretur praesentanea morte. Sed metum refutavit, discussit periculum, gratia Dei praesentior. 4. Patratis igitur rite, et ex ordine cunctis Missae Solemnibus, Sanctus Dominicus ad solita sibi receptum capit per brevem, continuoque ((p.126)) in altum ambone conscendo: se populumque Signo Crucis consignans, sic ordiebatur concionem.

CAPUT VI.

De XV. Reginis Virtutum.

SERMO IV. S. DOMINICI

THEMA, Psal. XCVII.

Cantate Domino Canticum Novum, quia mirabilia fecit.

Duces, Principes, Populique fideles: Auditores amantissimi. Quod hoc in hodierna SS. Corporis Christi Solemnitate, praedictum thema Davidis Psaltae vobis propono: velut a praesenti alienum, aut in ea insolens Festivitate: aliqua forsitan in nonnullorum animos subito admiratio. Enimvero probe tenetis, et perfecte sentitis, quae, et quanta Dominus Noster Jesus Christus, in SS. Eucharistia, inter vos hodie mirabilia multa, et divina designare dignatus est. Hodie vos, et aspectastis his oculis vestris, totisque animis agnovistis; ac plena Fide credidistis, spectastis, inquam, Spectaculum novum, Novi Testamenti miraculum, et mysterium. Spectastis, et agnovistis mundi Redemptorem Jesum Christum Filium Mariae Virginis Dei Matris, pro nobis natum, Crocifixum, ac Redivivum. Agite igitur, si quae in vobis scintilla Spiritus Jesu: si quae fibra haereat vobis Nominis, honoris, ac amoris Christiani: Dicite grates, date Laudes Deo, Dei Magnalia celebrate: *Cantate Domino Canticum novum, quia mirabilia fecit.* Non istud scivit aliunde s. Dominicus, quod talia vidissent ipsi, nisi D. N. Jesu Christo post Missam revelante. Ille vero liquidissime perviderat cuncta.

Si quaeratis: quod illud sit Canticum Novum? Illud, inquam, est quod ego vobis nunc praedico, geminum Testamenti Novi Oraculum: alterum, quod Angelus primum annuntiavit Mariae; *Ave gratia plena*; alterum, quod Jesus Christus mandavit Apostolis, ac praedicavit *Pater Noster, qui es ec.* In his Laudate Sponsam, et Sponsam: et eorum ipsos in proprio Psalterio Laudate. Neque laudare solum jure meritissimo; sed amare tota mente: adeoque ad zonas suspensa, vobiscum quaqua versus circumgestare Psalteria vos oportebit. Nimirum ut sitis, vosque profiteamini signatos. 1. Signo Regali. 2. Signo Impariali. 3. Signoque Caelesti, ac plane divino: Signo inquam SS. Trinitatis triclinio, juxta cum ea accumbant Reginae ter quinae Principum virtutum: de iis distincte mihi dicendum vobis esse existimo: ut cognitis illis Deo per ipsas tanto servire devotius, ac placere impensius contendatis. Eae namque vobis datae sunt: ac si vultis, desponsatae, formosissimae, simul, et gloriosae. Esse eae vestri Custodes affectant, Duces vestrae, ac secundum Deum cum Deipara, Servatrices: donec in Beatorum ((p.127)) XV. Regnorum thronos vos introductos, hic per gratiam, ac in futuro per gloriam, constituent coronatos.

Vae illis, qui perdueles ita per scelus vitae rationes instituerint, ut earum una pluribusque nefarie violatis, in crimen lesae Majestatis apud Deum incurrerint. Zelotes Deus, ac fortis, hand sinet impunitum. Quisquis ex iis unam extinxerit: reus paricidii paractus certissimam aeternae damnationis subibit sententiam. Tum autem Reginae Virtutes contrucidari censendae sunt; cum opposita ipsis flagitia improborum studia consecantur, ac patrant. Sed nunc singulas nos eas oratione prosequamur; sicut ipsas vobis Deus aspectabilis est exhibere dignatus. Quarum tres ordines conspexistis, et singulos eos quinque partitos. Quatenus apparere virtutes possint: sintque colendae, docebitur infra post quintadecimam Reginam.

I. PSALTERII QUINQUAGENA.

I. REGINA, HUMILITAS.

I. Virtutum haec omnium basis est, ac fundamentum; quam in B. V. Maria Dominus ardentissimo dilexit amore. Sic ab humo dicta, ait s. Ans. et ibid. quod humiles ad usque humum sese demittant, postponant cunctis: et omnes sibi, amore Dei, anteponan. In se enim propriam naturae suae infirmitatem intuentur: rebus autem in caeteris Dei praesentiam venerantur. Haec virtus ad aliorum exultat laudes: fugit proprias: nisi quae in hisce Dei laus versetur, et magnitudo praedicanda. Haec nesciri amat, odit in sublimi ambulare: corda pacifica petit, et mansueta. Si enim ait s. Hieron. *Ipsa SS. Trinitas eo sese demitti: ut in re qualibet, sua adesse virtute dignetur. quid supra humum se tollat homo pulvis, et umbra vilis? Quid immemor, suique, Deique parum suam villatem, et Dei in sese merita, ac Majestatem agnosceret? Superbia ipsi inimica ad internicionem insidiatur.*

II. Thalamus ei regali stat apparatu, in Dominicae Orationis Palatio, Pater noster. Nam SS. Trinitas, per humilitatem, ex gratia Pater noster est cunctorum, et nos filii ejus summa cum humilitate ei deservire, ac parere: timere ipsum amare, ac venerari tenemur. Quid? Ex humo creati: non ut filii creationis, coram Creatore nos humiliemus? Sic Ambr. Forma, atque venustas Reginae hujus affatu major est.

Novello Mariae Sponso talem Dominus ostendere est dignatus. Cernebat Virginem candidas indutam: corona de gemnis X. Coronatam: cingulo miri decoris succinctam, bullis quindenis interstincto; cum torque XII. Margharitis effulgentibus insigni. Dexteram Crucem praeferebat, humilitatis Christi passi indictum. Palla ex stellis eam gemmisque visenda totam convestiebat, multa in luce corruscantem. Digito annuli signati Cruce insigniebant. Testes desponsationis ejus cum Christo.

III. Talem quoque Sanctus Dominicus praedicarat addens. Ad **((p.128))** pretii ejus praestantiam cunctorum decor, valorque stellarum, nec aspirare potest. Quo circa illius degnior est possessio ducenda: quam Solis, Lunae, Stellarumque dominium obtinuisse. *Ea enim* ait Cyrill. *est de primis Dei filiabus, in beatissimis regnans animabus, ideo Deus quoque, Aug. Teste, minimam in hoc orbe gratiam plus amat, quam naturam totam. Et vos per vanissimam superbiam, inquit D. Dominicus: quasi interfecistis eam. Testor ex numero hoc vestro plures trecentis, qui eam praeclariorem sunt oculis contemplati: quam oratione cujusquam mentis oculis subjecta valeat adumbrari. Quare: Cantate Domino Canticum novum.* Haec in raptu suo s. Dominicus, aliaque de Virtutum Reginae caeteris, perspexerat, dato ei mandato, sub paena mortis; ut continuo praedicaret. In cujus publicae omnium Visionis memoriam Vir Sanctus easdem XV. Virtutes tum in Aula Ducis, tum in Ecclesia Majore, ad vivum depingi curavit.

II. REGINA, AMICITIA.

Concordia haec mutua est amicorum unio, una in voluntate: qualis, ait August. membrorum uno in corpore existit. Hanc catenam vocat aurem s. Remigius: qua fideles coronantur, et constricti redduntur invicti. Haec invidiae, detractionum, odiorumque expultrix, ait Macrobius, multis ex hominibus unum quendam efficit inexterminabilem. Hac res parvae crescunt: discordiae maximae dilabuntur: ut Salustius inquit. In natura rerum, concordia est a Deo, constantiam, et gloriam producit Concordia. Illi infesta est hostis invidia. Quibus dictis inquit s. Dominicus.

I. Thalamus in Oratione Dominica stat ea dignus in, *Qui es: sc. Ens per essentiam: dans Esse caeteris per participationem, ait Boetius: id quod ex Dei in nos amicitia promanat, et sic amantem, non redames? Sic amatos ab eo, non amplexaberis? 1. Dic age: esse tuum, tuum non est? Negat Deus: qui suum Esse per omnia distribuit Entia. Et haec Deus amat: tu oderis? Homines vero suos esse voluit filios universos: et nec vel ut fratres agnoscis, et amas? Quem igitur, aut quid amabis; si eum: qui Esse unum uno a Patre tecum accipit, non ames? 2. Bene Cassiodorus sic ratiocinatur: *Si natura fratres eodem ex patre mutuam sibi debent amorem, jure sanguinis: quid non jure Dei, jure Spiritus, jure tot Sacramentorum, et Charismatum debebis fratri Christiano? Vah hominem: qui quam mente; carne ne plus amat proximum. 3. Quid, est, et unde illud, quod amas, s. Aug. respondet, Anima e solius Dei est creatione: non ex ullae carnis traductione: et germanum amas ob carnis cognationem: ob spiritus communionem, minus amas Christianum. In illo, si contra feceris: te peccasse credis: in hoc, ne quidem te peccare, sentis. O stuporem? O amorem? Stupor palpatur: amor, nec sentitur. 4. Naturam anteferre spiritui, cujusnam est? Certe bruti esse nequit: quare in eodem, homo a ((p.129)) seipso discessit, et hominem ex homine exiit: ut nec vel bestiam induat. Hoc vero dedecus naturae est: Deique contemptus. Hoc totius pulchri, quod in humanis inesse oportuit, eversio est, atque corruptio. Unde alterius generatio, esse necessario debet ultima deformatio. Quo amabilior divina est Amicitiae pia pulchritudo. Quid? Vere pro Helena sc. formosula, orbis depugnavit fere pars tertia: pro concordia bonorum omnium matre, ait Ambr. Laborabit parum, vel cujusque anima, vel cura publica.**

II. Notate quo eam cultu conspexeritis. Stabat ceu filia Dei, cum corona gloriae: vestitu aureo: vernantibus redimita liliis: decem rosarum fasciculo in manu: majore, quam solis claritate. Recogitate Comites, velut Angelos Dei, stipantes ipsam: et has item denas. Quis decor illis formae? Quis honor gratiae? Quis splendor gloriae? Recordari potestis: effari nequeo. Idem de studio ejusdem, sollicitaque cura, ad pacem orbi procurandam, affirmo. Pretium ejus aestimarit? Orbis in unum congesti aestimentur divitiarum thesauri quid in anima ad rationalem hanc unam: cujus gazae sunt spiritus, anima, ratio, vita ec.

1. Quo infeliciores censendi sunt: qui inimicias clam coquunt, palamve serunt, ac gerunt. 2. perdidisse Regnum est, permagnum: majus excidisse concordia. Haec enim Regnum perditum recuperare potest: at hujus sine praesidio Regnum perstare non potest. 3. Dico, qui charitatem, idem, et Deum perdidit. Quid? Regnum Mundi, mors eripit: at Amicitia Regnum mox hominis stabilit, adque gloriam intromittit. 4. Quam homo felix, qui in pace diem suum obiit: tam infelix, in quo Pax moritur. Illa mors carnis est: haec spiritus, animaeque extinctio est. An non, quo nobilior persona fuerit: eo immanior ejusdem recte censetur tyrannica contrucidatio? Ita quidem s. Basilius disputat, et affirmat. Jam si illius, quod bonum est, jactura sit mala: sane omnino pessima istius esse debet: quod bonorum est summum: quale quid est Charitas, Pax, et Concordia. Nam Dei sunt ista. Date Deo, quae sunt Dei: ideoque *Cantate Domino Canticum Novum in Psalterio.*

III. REGINA, LAETITIA SPIRITALIS.

Haec divinis gaudet Officiis, et Servitiis: estque fructus Spiritus Sancti. 1. Thalamus Reginae hujus est: in Caelis: *Hic enim pura est laetitia spiritalis, et nuptialis.* Ita Paulus: *Nostra conversatio in Caelis est? Quando, ait ibi s. Hier. mens cujusque nostrum in divinis operibus cum gaudio requiescit: ut sic Jam vivat in terris, quasi esset in supernis.* Pulchritudo hujus serenissima est: Ad statuam conferant omnes artifices artem, et materiam omnem pulcherrimam: ad illius tamen nec umbram accesserint. 1. Quia, ait Aver. *Ars nil potest melius quam natura, vere apparenter potest: At laetitiae artifex est naturae Auctor. 2. Eam parit Spiritus Sanctus, aeternam. Visio beatifica, Vere; ((p.130)) August. Ars deficit omnis ad Virtutum picturam: cum non stylo, sed Spiritus Sancti pingantur digito. 3. Vidistis eam vultu roseo inquit Dominicus, cultuq. purpureo; Quia, ait Auicen. *Rubedo signum est laetitiae, tristitiae pallor.* Corona illi ex auro, expressa signo sanctitatis rubeae. Crucis Christi. Quia ait s. Ansel. *Sanctorum laetitia maxime in passione est Christi.* Intexta corona lilia erant X. Aurea: ob Decalogi observationem hilarem; Comites ejus X. In omni genere musices concinebant: inde tacita vobis gaudia lacrymas cierunt. Haec, ut Reginae omnes, manibus gerebant Psalteria: Quia Angelica Salutatio omnis gaudii veri est initium.*

Hac Deum ipsum capit, inque se provocat: Nam *hilarem datorem diligit Deus. Haec, ait Hieron, bonorum coelestium universas in se fert divitias, quarum minimis confert terrenas maximas: et noctis erit ad tenebras collatio, luti ad aurum.* Quocirca ea in sua, vel cujuaquam anima extinxisse; tanto immanius est parricidium:

quanto ea coeli Regina est prae quovis Regno terrestri. Sit, qui pestem in Regno excitet, qua totum exhauriatur: quot necibus talem dignum duxeris? Et vilipendis cujusquam justis corrupisse. Laetitiam spiritus? Quae animae vitaest, et corona: et flos etiam, decorque corporis. Itaque illius in gratiam: *Cantate Domino Canticum Novum*.

IV. REGINA, PATIENTIA.

Haec profugatur omnem iram, blasphemiam, et timorem tetrum; conciliatque pacem cum Deo; superior cunctis, et hominibus, et humanis: caelos triumphatrix inaudit. Inimica ipsi Ira est. 1. Thalamo gaudet in isto: *Sanctificetur*. Et merito: Quia, ait Cypr. *Patientia peccatores sanctificat: perficit virtutes, victoriam obtinet: fortium est armatura corona Sanctorum*. Verbo: *In patientia vestra possidebitis animas vestras*. 2. Pulchritudo ejus tanta est; quantum, si omnium hominum corda concupiscerent, sibi tamen nec fingere animis possent. Ad eam, pulchritudo Sacrae Rachelis, Judithae ect. sunt tenebrae. Per eamque non adierunt, quanta non peregerunt Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines? Vis omnis tyrannica contra ipsam: at supra, nulla. Illa passionis Dominicae extitit: *divinae bonitatis*, ait Beda, *est speculum, et permanet in aeternum*. 3. Vidistis illam, cum denis comitis, purpuratam, gemmatam, stellatam, coronatam, et sic ornatam, ut supra vix aliud esse queat. *Nec enim oculis vidit, nec auris audivit, quae Deus praeparavit diligentibus eum*, sic ut etiam animas pro eo ponat. Qua cum majorem charitatem nemo habeat: aliunde quoque major non existit pulchritudo, et gloria. Ideo Aureola specialis manet Patientiae. 4. Eam perdidisse, est summis, mediis, imis excidisse. Quanti est praemii, tenuisse eam: tanti est damni, abjecisse: Prorsus vero in sese velut jugulatam extinxisse, sceleris est infandi, et nullis unquam mortibus expiandi. Age, cujusquam Regis filiam dilaniato, aliamque super aliam millies; **((p.131))** ea tamen sceleris enormitas, ad unius Patientiae extinctionem tanti fuerit, quanti mortales Reginae omnes, ad hanc immortalem, planeque divinam, idest, nihili: Et tamen quantae in eam caedes designantur in animis hominum quoties faede profligatur? Quam a raris colitur, et conservatur? An quia pro ipsa Rex patientiae non oratur? Quare *Cantate Domino Canticum Novum*.

V. REGINA, MISERICORDIA.

Hac, ait V. Aug. *miseriis aliorum compatimur, tanquam nostriis*. Et Jure. *Quae ejusdem sumus conditionis fratres*. Quippe, ait Seneca, *Natura est omnibus communis: Fortuna cunctis frequentius est similis*. Proin timeant Reges; multi enim e solio rapti ad vincula sunt, et cunctis exacti. Illa dat enim e solio rapti ad vincula sunt, et cunctis exacti. Illa dat aliis sua liberaliter, ablata restituit; paupertatem spiritus suavissime amplexatur; at inimica ejus Avaritia sacra omnia, sus deque habet profanatrix. Ejus sunt rapinae, sacrilegia, Simoniae ec.

1. Thalamus Misericordiae est in *Nomen tuum*. Quia Nomen Domini, ait Ambros. totius naturae fons est; idcirco illi omne gene flectendum sit. Quid enim fidelibus est usquam Boni; quod non ita, et ex eo detur Ecclesiae. 2. *Quaecumque petieritis in Nomine meo, fiet vobis: Adeo, Quicumque invocaverit nomen Domini salvus erit*. O Nomen dives in omnes; quia Misericors? Ideo Rex Regum est Jesus. *Magnus Dominus, et laudabilis nimis*. 3. Deus potentia terrificat, at Misericordia magnificat se; quia ex hac sanctificat, et glorificat. Ex illa vivimus, movemur, et sumus. Per illam redempti speramus, et non est in coelo, aut in terra, qui se abscondat a calore ejus. *Haec Dei filia Fratrem suum e coelis deduxit in terram*: ait Bern. 4. Illa parens est operum spiritalium, et corporalium, unde misericorditer docet ignorantes, dubitantibus consulit etc. pascit esurientes, nudos convestit etc.

5. *Illam Regem coeli fecit servum, ut nos servos proveheret in Reges*, ait Ambr. Creet lucem corporalem ipse Deus, quantam, quantam; ad spiritalem tamen Misericordiae procul abesse debet; quantum prae corpore spiritus est. Vidistis eam indutam hyssopo nivea, per seipsa Nominibus *Jesus, et Maria*, undique; quod ea totius misericordiae sint nomina, ait Bern. Psalterium manu gerebat; quod in Incarnatione coepit misericordia ejus a progen. Corona triplici insignem vidistis; quod Misericor. Dei sit in coelo, terra, et sub terra. Divitant minereae? At terrenis; divinis vero bonis misericordia ditat. Quo miserieores sunt immisericordes; eo

crudeliores ii, qui illius sunt persecutores, ac trucidatores quoque; quales sunt duri omnes, ac barbari animis. Cum igitur in dictis licuit primam Psalterii Quinquagenam; Cumque in Jesu, ac Maria easdem eminere, atque in Angelica Salutatione residere cognoveritis: quid restat, nisi ut, ad Decalogi sanctam observationem, per quinque Reginarum gratiam opitulatricem, Deo, Deiparaeque in Psalterio ipsorum Cantetis *Canticum Novum*.

II. QUINQUAGENA.

VI. REGINA, ABSTINENTIA.

Haec licitis, et superfluis se abdicat in victu, ac potu; necessariis utitur parce; cum gaudio misto dolori. Dei liberalitate gaudet; dolet de necessitate; procul refugit a voluptate. Carnem edomat; ut Spiritus regnet; utriusque inter comitatum, et exercitum, media stat. Dum hinc obarmat spiritales; inde exarmat carnales. Quin, ut Seneca ait, *universorum ea frenum est vitiorum. Aug. Sauvvis, elegansq. Es Temperantia. Tu enim vitam ducis Angelicam, brutam spernis: nutrix, custosque virtutum es. Cypri Regina Sole pulchior, Luna elegantior, et super dispositionem Stellarum suavior. Inimica ipsi Gula adversatur. Thalamo Regis illo sedet: Adeveniat Regnum tuum. Et jure. Quia Abper eam Regnant, corpori: iidem, persistunt quoque in virtutum Regno, quibus illud coeli permissum debetur.*

Pulchritudo hujus est prorsus Angelica: proinde nulla humana, vel terrena per ei, vel in parte esse potest. 1. Nam species suum numquam transcendit genus: ita mortale omne, et corporale stat procul infra immortalia, et spiritalia. 2. Quid non agunt, et patiuntur vani; ut reddantur venusti? Ut sese comunt, colunt, alunt, pingunt, stringunt? At abstinentia, jejunio pinguior, et formosior evadit. Recoletres pueros, mero pane, legumine, et aqua et his parce victitantes. 3. Cum igitur victrix sit vitiorum, et vitia, quam Regna vincere, sit gloriosus; gloriam abstinentiae quis dicendo exprimat. 4. Alii Heroas, Reges, Hectores, praedicent; hanc ego Reginam istis antefero cunctis: quos vel ipsius esse servos non dignitatus Deus, ut quorum gulae nil satis fuit. 5. Pascant se alii, cibisque suffarciant; onerantur his, et debilitantur; Abstinentia minimo seipsa sit robustior. Inedia, urbium expugnatrix illius nutrix est, et conservatrix. Vidistis hanc manu sceptrigeram hac, illa Psalterii gerulam; caput gemmis coronatum; vestitu suppallido, sed coronis undique pertexto, nulli gravitate secundum; Comitatu virginum denarum illustrem. Etenim absque hac nullus sanctitatem attingit, vel in Sanctorum societate pervenit. Abstinentiae hostes in sese eam jugulant ebriosis, et gulosis. Est enim gula, Seneca teste, rationis, et virtutum suffocatio omnium. Cum enim necessaria virtutum sit connexio, par quoque sors est omnibus; quare ad stragem abstinentiae, caeteras fundi, fugarique necesse est. Dices; illa sic fieri non cernuntur. Quia, inquam oculos non habes, queis fieri cernas; Ergone etiam non re vera geruntur? Geri sic in anima videt Deus, Angeli, Sanctique vident, videbis, et ipse, at serius. Quare nunc, nunc *Cantate Domino Canticum Novum*.

VII. REGINA, CONTINENTIA

Haec carnis est integritas; inque ipso Matrimonio servari sancta **((p.133))** non solum potest, sed debet. Ut ab eo Virginitas absit, adsit tamen castitas necesse est. Et ea triplex, Mentis, Oris, Operis, ut s. Hieron. vult: et recte. 1. Inde s. Greg. Nazianz. Pulchrorum omnium est pulcherrima, sauvium suavissima, et gravissima morum gravium, in quam Deus, et angeli prospicere gaudent. Haec sexum amat alterum; sed cavet, fugitique consortium, odit iram, fastum, luxumque omnem. Amat, ait Haymo, vigiliis, jejunia, orationes, cilicia, castigationes, et aspera omnia. Unum quaerit; cor mundum, ut facie ad faciem Deum videat. *Beati mundo corde ec.* Adversaria ejus luxuria est. 2. Thalamo ea regnat in isto: *Fiat voluntas tua*. Quia, 1. Thessal. 4. *Haec est voluntas Dei sanctificatio vestra*. Atqui castitas quaerit placere Deo, ut sit sancta corpore, et spiritu. 3. Pulchritudo igitur ipsius digna Deo, Deum capit, trahit, sibique devincit, ac propria desponsat. Deus Evam formarat, et omnium formissimam; quia perfecta Dei sunt opera: neque sibi cam tamen; sed Adae desponsabat. Nimirum jam hanc virginitas, et huic proxima Castitas praevenerat cum Deo nuptias. Haec enim spiritalis, illa corporalis erat; atqui *non est ponderatio digna continentis animae*. Eccl. 26. Beati qui

concupiscunt eam. 4. Vidistis illam supra hominem augustissimam forma, Coronatam liliis, ac rosis; floribus ornatum candore niveo conspicuam; Jure incomparabili: effulgentem, denis cinctam domicellis cultu simili, prorsus Angelico: dignam Deo ipso Sponsam, ait Chrtstos. 5. Vae, qui Regis sponsam violarit; Mortis reus turpissimae foret. At illa Dei templum est: quod illa, qui violarit, disperdet illum Deus: violare autem castitatem, trucidare est: medium non est. Heu cavete, horrendum est incidere in manus Dei, easdem, quarum in amplexibus Sponsam fovet. Christum genuit Virginea castitas: ex eadem Christus generat Christianos; ea plane mater sit Ecclesiae Christi appellanda; Unde pars Ecclesiae castior est melior, proindeque major dignitate, etsi non numero. Pars ea sacer est Clerus; Religiosorumque chorus, ex professione, ex voluntate, reliquis Continentium numerus. In istis vivit, regnatque Castitas; nec non, et in matrimonio casto. Ergo Sponsa haec Christi mater est Christianorum; qui non ex voluntate carnis: sed ex Deo nati sunt. Nam ait s. Hieron. Carnis generatio est Castitatis mors, et corruptio. Cujus autem rei praestantissimae corporalis destructio par esse virtutis destructioni potest? Castitatis igitur conservationi nil terrenum, sed coelestia omnia debentur. Quare Matrem castitatis Mariam laudate in Psalterio: *Cantate Dominum Canticum Novum.*

VIII. REGINA, PRUDENTIA.

Haec s. Bern. est auriga virtutum, et moderatrix, et gloria morum. 1. Thalamo residet isto; Sicut in Coelo. Quia Sol est virtutum, ait Varro, et coelum sidereum, illustrans noctem ignorantiae. Caeterae virtutes, ait Hieron. ut rosae sunt, et lilia: Prudentia coelum est, super omnia micans. 2. Arbori vitae sua vis, et **((p.134))** laus inest merito maxima: at solis profutura corporibus; Prudentia tanto dignior est, quod animabus vitam, et summa quaeque conferat spiritalia. Vidistis idcirco ipsam velut in stellato palatio residentem Reginam; cujus decor, revelante Deo, cerni, caeteroquin nec mente sat comprehendi potest. Vidistis coronatam stellis, stellis convestitam, suique similibus decem stellatis Virginitibus stipatam. 1. Istius minimam habere gratiam, majus est, quam Philosophorum omnium scientiam acquisisse; ut s. Aug. recte sentit. Est enim omnis virtutis schola; qua sine tenebrae sunt omnia. 2. Quantis impensis, et conatibus ad hanc comparandam contenderunt olim plurimi, ut humana, ac naturali pollerent; divinam tamen nascierunt. Idcirco evanuerunt in cogitationibus suis: quia Deum non glorificaverunt. 3. Omnis enim peccator, stultus est: idque volens, quod sciens prudens veram in sese extinguat prudentiam. Videns, caecus est, ac vivens mortuus. At vere prudens media in morte immortaliter vivit. Quare *Cantate Canticum Novum.*

IX. REGINA, JUSTITIA.

Haec reddit cuique quod suum est: obdientiam majoribus; minoribus disciplinam, et exemplum; aequalibus amicitiam fidam. Ita Seneca. Ideo Regina est virtutum, decus morum, lines operum, Imperatrix omnium: sine hac, omnia sunt mera tyrannis. *Beata Regna, in quibus regnat Justitia.* Ita Macrobius. 1. Thalamus est illi vox. Et in terra. Terra ait s. Basil. est corpus nostrum, in hoc ratio dominari debet, dictante sic Justitia. *Injustissimum enim est, ait s. Bern. servos dominari, et dominos famulari.* O quam injustum multi usurpant dominium in se, et alios, et res alienas. 2. Audite nunc me, eras enim aliqui vestrum audire non poterunt; Nam scio; quatuor morte extinguentur ante, quam Sol oriatur, qui nunc praesentes, sunt incolumes. Et eventus respondit. Quatuor enim injusti raptores Dynastae ad crastinum non supervixerant. 3. Obsecro, respiscite: sectamini justitiam. *Justus in aeternum non commovebitur: quia justitia ejus manet in saeculum saeculi.* O vesaniam? Oh humana pereuntia, terrea excidere divinis, aeternis, coelestibus? Non sic justus. *Justi enim in perpetuum vivent, et apud Deum est merces eorum.* 4. Vidistis Reginam hanc omni colorum insignem vestitu; hac sceptrum, gladium illa tenentem, denis cinctam domicellis; quae dictas elegantiae formae longe antestabant: omnes administratae Virtutes divinae Justitiae. Quam ut propitiam habere mereamini, *Cantate Domino Canticum Novum.*

X. REGINA, FORTITUDO.

Hac stat homo in adversis inconcussus, in repentinis imperterritus. Hac frenantur Timor, et Audacia, mandata Dei, Consiliaque fortiter executioni dantur; discipantur tentationes, tyrannica sceptrata confringuntur, excutitur torpor, vitium eliditur, virtus colitur, (((p.135))) et honestum. 1. Thalamus est ei in hisce: *Panum nostrum quotidianum*. Nam ut cor hominis confirmat, sic animam, spiritumque fortitudo. 2. Vidistis eam velut regali in palatio Augustam, sceptricam, et denis coronatam stellis; dextera laurum praeferentem, altera clypeum cum lancea, cujus in vexillulo Crux Christi radiabat. Mira vultus ejus est gratia, formaeque deens sic, ut virtutem masculam, heroicamque spiraret. Robore praestans; at prudentia, et consilio praestantior, ferendo promptissima auxilio. Denas ejus Domicellas videbatis a panibus, et esculentis instructas. 3. De quarum singulis ita existimetis oportet: Sit hominum, brutorumque robur omne corporis, in unum congestum corpus; cum sit accidens corporeum, transcendere suum minime potest subjectum; unde quoque finitum sit necesse est. Illius igitur vis summa, nec infimam attingerit spiritalis fortitudinis partem. Ea itaque infirmissimis dat robur immensum, robustissimis suum illud solius flatu spiritus, enervat, ac prosternit. *Ergo nolite timere pusillus grex: Infirma mundi eligit Deus ut confundat fortia*. 4. Nihilo tamen minus etiam ipsa in homine extingui, extirparique potest; sed ipso volente per summum nefas. Vae! Tales quam potenter tormenta patientur? Non jam ut parricidii rei, non ut qui robur omne naturae in creatis cunctis confregerint; sed qui divinae gratiam fortitudinis contempserint, inque seipsis extirparint. Unde illud consequi necesse est, ut deserti a Deo, sus deque per omne scelus a cacodaemone volutentur. Non sic ii, qui in Psalterio quotidie saepius Cantant *Domino Canticum Novum*. 5. Quapropter cum omnis Virtus, Aug. teste, ad decem Mandata Dei exequenda dirigatur: etiam dictas jam quinas singulatim eodem omni studio, atque conatu convertere contendatis; et quin hisce per illa decem ductis, alteram juste Quinquagenam complectis? Quo ut gratiam vobis sufficiat Deus, Deiparaque praesidium; In Psalterio Cantate Canticum Novum.

III. QUINQUAGENA

XI. REGINA, FIDES

Haec est substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium. Haec ait s. Hieron. Divina terrenis, Patriarchas instruxit, Apostolos fundavit, et Ecclesiam. Haec ait s. Ambr. Credit, quae non videt aestimat, quae non scit. Est ea Charitas regula, Lucerna Spei, Prudentiae norma, Scientiae forma, SS. Trinitatis nuncia, et Sanctorum Sponsa. Est ea scala viventium, turris pugnantium, et navis periclitantium; Secura dux ad gloriae portum. 1. Thalamus ei in hoc est: *Da nobis hodie*. Nam

Eucharistia Misterium Fidei Panem quotidianum dat nobis, vel spiritaliter semper, vel sacramentaliter quandoque. Datur is autem fidelibus, filiis, non canibus, qui foris sunt. 2. Fides Reginas forma, et gloria antedictas superat universus, quia Theologica est, at mortales istae. 3. Vidistis idcirco eam cultu tricolore: ab imo candidam, in medio purpuream, in summo auream, sc. ob fidem (((p.136))) de Incarnatione, Passione, et Resurrectione, ac SS. Trinitatis gloria. Triplici augustam corona, Argentea, Gemmea, et Stellata; ob dictas causas. Dextera Calicem cum SS. Hostia; quem fidelibus porrigens, eos vitae reddebat; Sinistra Crucem Domini cum Passionis armis deferebat. 4. Pulchritudo ejus major est, quam naturalis pulchritudo novem ordinum Angelorum. Et jure merito. Nam divinius illa Bonum aeternae gloriae promeretur, quam tota sit Angelica natura. Unde gratior est Deo anima cum formata fide, quam totius Hierarchiae natura sola. 5. Verum necesse est, minimum Fidei punctum credere, quod verius sit, quam maximum in natura intelligibile. Quia lumen naturale nimium quam longe est sub lumine fidei. Ita vero res habet; ut imum ordine superioris multo sit perfectius, quam summum ordinis inferioris. 6. Unde aestimari non potest jactura animae, si vel in minima fidei particula dubitet, aut discredet; praeterquam quod rea omnium constituatur. Quod si igitur Dominus dicat; *Petre ego oravi pro te, ut non deficiat fides tua*; quo impensius supplicare nos oportet? Quare, *Cantate Domino Canticum Novum*.

XII. REGINA, SPES.

Haec est expectatio certa futurae beatitudinis: ex meritis praecedentibus. Nam sine his, foret praesumptio. 1. Thalamus spei est ibi; *Dimitte nobis debita nostra*. Nam per spem in Dei peccatorum sit remissio. Sic David speravit, desperavit vero Cain. 2. Spem concipit, qui credit, minimum divinae potentiae plus posse ad salvandum; quam mundi innumeri peccatorum valeant ad damnandum. Quantumcumque igitur peccaris; nec dum adhuc minimum punctum Clementiae Dei exhaustisti. Quia quidquid in Deo est, id Deus ipse est. Blasphemasti Cain, dum aiebas; *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear. O gloriam Spei vere magnam!* Exclamat s. Maximus. 3. Vidistis ipsi Reginam in Rege Jesu Christo denas inter comites Virgines, cicladibus amictas aureis, positisque genibus cum Regina suppliciter pro genere humano deprecantes Deum, solis propitium sperantibus. Reginam quoque conspicati estis electos Vitae libro insoribentem. Pulchritudo ejus, atque praestantia pene par fidei videbantur; certe quanta nulli esse effabilis queat. Hac meremur, Deumque mereamur ista volentem, seq. donantem nobis. Atque eo mirifice delectatur, sic esse cum filiis hominum. Quocirca de facili isthic aestimare est, desperationis immanitatem, quae odium Dei inducit animae desperanti. Quod ut a vobis prohibebat Deus; *Cantate Domino Canticum Novum*.

XIII. REGINA, CHARITAS.

Haec omnia credit, omnia sperat, *omnia sustinet, non est ambitiosa* ec. omnium est anima virtutem, et forma, ait s. August. *absque hac nihil in virtute, nil in merito esse valet. cum ea haustu frigidae coelum, Deusque ipse emitur*. Ea est meritorum ((p.138)) vita, et par pretium, Sanctorum est sanctitas, animarum flamma, vestis nudorum, et nuptialis. Ipsa universa disponit, *nec est qui se abscondat a calore ejus*. 1. Thalamum habet in hisce; *Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris: Et dimitte nobis debita nostra*: Teste Christo Domino ad peccatricem; *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Et Apostolus, *Multitudinem delictorum operit Charitas*. Sed qua mensura mensi fueritis in Deum, et proximum: eadem et remetietur vobis; ergo dimitte, et dimittetur. Servi nequam metuatur exemplum. Et vero quid ni? Nunquid omnes vos fratres estis? Et in omnibus nunquid inest Deus per essentiam, potentiam, et praesentiam? Quid igitur diligere omnes, et dimittere proximis, in quibus adesse Deum agnoscimus. Quod hac in re negatis proximo, Deo negastis. Audite s. Anselm. *Deus, ait omnia in omnibus est, ut entium; ideo omnibus quoque esse regula debet intima*. s. Greg. Nyss. ait, *O homo, cum amas aliqua; cur minus amabis deum, a quo sunt omnia? Si amas datum, et minus bonum? Summum cur non ames bonum, et omnia Dantem? Proximum quoque diliges, ut te ipsum*; Quia ait s. Greg. *Ejusdem est naturae tecum; ejusdem gloriae particeps, et unum ens tecum in Deo, in quo vivimus, movemur, et sumus*. 2. Vidistis hanc Reginam tricornem; ob tres dilectionis modos; Dei, Sui, Proximi. In vestitu dearato quasi flammam jacente; est enim ignis, ait s. Greg. Divinae dilectionis: omnium opitulatricem, ut sui X. Domicellis circumlatam. 3. Pulchritudo ejus, et pretium aestimari non possunt, nisi inde, quod s. Maximus ait; *Amor charitatis est amor divinitatis increatae*. Quo immensior est amissae charitatis jactura, laethali admissa peccato. Dicis; ista in anima nec visu, nec sensu percipio. Nec cor, inquam, vides, nec animam sentis, etsi per ipsam sentias vere tamen ipsam in te habes. Atque ut vere diligatis in charitate perfecta: *Cantate Domino Canticum Novum*.

XIV. REGINA, POENITENTIA.

Haec est dolor voluntate susceptus satisfaciendi pro peccatis, et porro cavendi peccata. Atq. ita est ruina vitiorum, reparatio vitutum, confusio daemonum, laetitia Angelorum, et mundi medicina. Etsi ait s. Greg Naz. *coeteroe virtutes sint hominibus amabiles*; at ista peccatoribus est amabilior. 1. Thalamus est illi in hoc; *Et ne nos inducas in tentationem*. Nam ait s. Hieron. *Per paenitentiam a tentationibus liberamur daemonis, mundi, et carnis*. Vidistis eam triplici corona venerandam: ob tres ejus partes; cum veste omni coloris; quod Poenitentia omnes habeat comites virtutes. Sinistra flagellum gerentem, idque floribus coronatum, dextera pateram suavissimi liquoris; quo paenitentibus propinato eorum deformitas omnis in admirandam formae gratiae vertebatur. Sane Deo tantum inest odium peccati, ut si foret possibile, ad illud ex anima hominis elidendum, etiam mortem ipse subire nil dubitaret. Quod cum non possite per se, id in assumpta natura humana perfecit. ((p.139)) Hinc fidelium paenitentiae vis omnis dimanat: ut in Sacramento, aut quandoque etiam voto solo nullo non peccata, ut nobes, deleantur. Omnis vis Regum est fortunae: at paenitentiae efficacia est gratiae, cui in natura per nihil esse potest. 3. Es tamen exosa est plurimis iis, qui oderunt jejunia,

confessiones, scelerumque fugam consuetorum quique cum male facerint, exultant in rebus pessimis. Vae bis, qui in **venenom** sibi vertunt Paenitentiae remedium. Quod ut a vobis malum avertat Deus: *Cantate Domino Canticum Novum.*

XV. REGINA, **RELIGRO.**

Haec duplex; Communis Christi fidelibus, in Mandatorum Dei observatione; et peculiaris in consiliorum Evangelicorum observantia professa consistit. Estque pervetus, ut pote in Moyse, et Sacerdotibus populo Sanctioribus adumbrata; ab Samuele, et Prochetis continuata; sub Helia, et Helisaeo singularius frequentata, et culta viguit; denique ab Jesu perfecta, confirmataque afflorescere gloriose cepit; nec alia fuit altior unquam Religio ea, quam Christus, et Apostoli duxerunt in humanis. A qua quidem illa Christianorum communis, haud parvo abest intervallo. Quantum sc, a ferre discrimen vitae potest, ac solet professa in rerum communicat Paupertas, Obedientia perfecta, et integra Castitas, quam illa communis esse omnium debet; tam haec pauporum esse dumtaxat potest; ob eminentes ejusdem excellentias. Quas numero quindecim Reginarum vobis item quindenae recensebo. Haec unita enim quintadecima, suprema caeterarum, in sese harum continet perfectiones; quas insuper peculiari sua, velut coronide, augustius condecorat. Sunt autem istae.

I. *Quinquagenae* 1. Excellentia summae perfectionis in Religione est: Incipientium Dispositio ad perfectionem. 2. Proficientium Continuatio. 3. Majorum exemplum, et ordinatio ad minores informandos. 4. Malorum exclusio. 5. Vitae puritas seclior.

II. *Quinquag.* 6. Vitae contemplativae commoditas, et perfectio clarior. 7. Contemptus mundi absolutior. 8. Debellatio, et depulsio daemonis fortior. 9. Corporis mortificatio, et immolatio perfectior. 10. Fervor Ordinis devotior.

III. *Quinquag.* 11. Conversatio fratrum Sanctior, et quasi Angelica. 12. Paenitentiae austeritas ordinator, et durabilior. 13. Hominis totius sacrificatio, quoad iudicium, et voluntatem, et facultatem plenior. 14. Voluntatis abnegatio pene infinita. Nam, et pro objecto habet infinitum quasi bonum, quod, si fieri posset, semper vellet. Potest enim bona infinita nolle, aut velle, tanquam libera; sed habere, vel persequi non potest. 15. Habendi quodcumque renunciatio facta in manus Domini proprii, sc. Dei, ut ad unum omnia redeant, unde promanant juxta illud; Qui non renunciaverit omnibus, quae possidet, non potest meus esse discipulus. Atque ex dictis quindecim, liquido patet discrimen inter Religionem specialiter Apostolicam, et communiter Christianam. Velle ((p.139)) affirmare; hanc illi parem esse perfectionem, aut superiorem; manifesta est haeresis. Religiosi enim Deo reddunt omnia universim, seculares vero tantum hoc, vel illud, pro libito suo. Quin, et Episcopi tametsi in altiore sint perfectione Potestatis; non tamen in majore Virtutis, quam Religiosi; et id saepe, etsi non semper. 1. Thalamus Religionis est in isto; *Sed libera nos a malo. Amen.* Et recte. Quia Religio, juxta Aug. *sic religat ad bonum; ut salvat ab omni malo;* Sicut unit Deo, ut solvat a mundo; sic sensu proprio, ut donet hominem angelico. Adeo etiam, ait s. Hieron. *tenent homines in terris cum difficultate summa; quod in Coelis Angeli cum facilitate.* 2. Duo autem in Religione eminent eximia. Prius, quod actus ejus sit, offerre Deo Latrariam; quo omnes transcendit morales virtutes. Alterum, quod ac Spei superaddit. 3. Vidistis eam corona triplici exstructam, ob tria Vota; vestitu discolorem, ob ordinum varietatem; Dextera Crucifixum; nam christo conrucifixi, et mortui mundo, sint Religiosi; Sinistra Libellum gerebat, eo quod Religio ad contemplationem ordinetur; sub pedibus draconem proterebat, hoc enim Religionis est proprium, subjugare Diabolum. Decem ejus comites, Reginae persimiles, perfectioni advigilant Decalogi observandi.

Cum igitur Religioni, seu Christianae, seu Religiosae par nihil sit vil in pulchritudine formae, vel gloriae amplitudine, vel magnitudine praestantiae: omnino qui violaverint eam per Apostasiam, quod porro enormitatis scelerum ruant; reliquum sibi non facere; nisi desperati e mortali vita sese in immortalem mortem ejecerint. Ab istis proximo sequuntur intervallo; qui necessariam Religionis retardarint Reformationem. Tales isti existunt saevi Pharaones, et Herodes, et cum hisce sors illorum erit. Quorum poenis neu quando consortes involvamini; *Cantate Domino Canticam Novum.*

EPILOGUS.

Repetite nunc animis, et memoriam colligite, simul audita cum visis comparate. Deinde nobiscum ipsis rationes inite: actus, actaeque modum vitae ad formam, et normam Reginarum harum parum perexigite, atque tum demum, futuram providentes aeternitatem, Beatam, aut Damnatum vobiscum statuit.

Equidem in praesens illud commendo, Psalterium inquam Christi, ac Mariae: cujus quindenae Orationes Dominicas Reginae totidem: quindecies vero denae Domicellae Angelicas Salutationes C. et L. designabant: queis justum completur Psalterium: In quo quia sanctissima sunt omnia, et verba, et significata, Reginis illis suum quoddam Augustissimum, dignissimumque a Deo positum esse palatium est existimandum.

Verum enimvero istud vos monitos etiam, atque etiam velim, nihil hic de Reginis, carumque comitatu, humanum cogitetis, (((p.140))) inane nihil, aut confictum. Quod facilius pateret: si eadem ex me solum auditu cognovissetis. 1. Verum jam ipsi vestris oculis conspexistis: et eo in divino, tremendoque mysterio conspicati estis: in quod cadere fictio nulla, nulla suspicio potest. 2. Ea quoque talia contuiti estis: quae sacra sunt, sancta sunt, planeque divina. 3. Neque uno, aut paucis eadem sunt videri concessa: verum plusquam trecentis hic congregatis. 4. Testor vestros ipsorummet animos, animorumque motus, mire laetos tristibus permistis. 5. Ipsam testor summam Veritatem Jesum, in quo mirabilia ea magna conspexistis. Que illa, et qualia? Humilitatem, Pacem, Laetitiam, Spiritus, Patientiam, et Misericordiam. Hic primus Reginarum chorus. Altera in Corona stabant: Abstinencia, Continentia, prudentia, Justitia, et Fortitudo. Summa tenebant, Fides, Spes, Charitas, Paenitentia, et Religio sancta. Quibus quid altius habet Ecclesia Dei universa?

XVI. Quapropter istae animis vestris altissime insideant Reginae virtutes: aerumque in Psalterio quotidianam recolite memoriam. Atque si vultis, me nunc audite. Istud vehementer suadeo, ut dictis quisque virtutibus dies sibi festivos decernat: quibus ordine singulas rite cultas veneretur. Altaria quoque vel designet, aut collocet iisdem sacra, et dicata, in quibus veluti constitutas, aut erectis in statuis effigiatas menti reprehesentet. Atque Virtutes eas haud inferiore loco, quam sanctas Divorum reliquias: quin altiore quoque honore dignissimas existimate. At ne quis error hac in re cujusquam subrepat animo: causas consilii discite Festis, arisque rite coli virtutes affirmit. 1. Quia, cur Sanctos colamus, causa sunt Virtutes. 2. Deinde: in Divis ipsae altissimae supereminet Virtutes, et per has magnas, ipsi sunt magni. 3. Accedit, gloria Sanctorum admiranda est, et veneranda, at gloriosi evolvant per Virtutes. 4. Si vero etiam ad Virtutum originem animos referatis, eas ab aeterno, a divina Providentia dimanare, velut regulas quasdam divinae placuit bonitati. Jam vero. 1. Quae ab aeterno existunt in Deo, et existent, quid ab ipso Deo re ipsa distant, nisi ratione mera, non video. Quare eatenus verum eis Latria cultum, ut unis, iisdemque cum Deo, debiti nemo dubitat. 2. Qua vero in Humanitate Christi, inique Deipara Maria eminent conspicuae, planeque beatae; Hiperdulice venerationem deposcunt. 3. Quae denique caeteris in Sanctis eadem resident; Dulciae observantiam suo quodam jure sibi vindicant.

Neque iis nos Virtutibus humanam asserimus naturam, sed dumtaxat figuram tribuimus: et hanc non juxta ullam earum substantiam aliquam; sed secundum vim, et efficaciam similem. Ea inquam ratione, modoque dicetis Orationem Dominicalem unam, et decem Angelicas Salutationes ad memoriam, et honorem Humilitatis, Pacis totidem ec. sicque porro per singulos euntes, pie, et sancte Psalterium persolvatis. *Cantate igitur Domino Canticum Novum, quia Mirabilia fecit. Hucusque (((p.141))) Sermo S. P. Dominici, quam ipse Sponso Mariae novello revelavit.*

APPENDICULA.

Et hoc addo ex me, scribit idem, ad s. Dominici dicta confirmanda. Ita facere solitam sanctam quandam legi. Et multos Sanctos novi sic orasse, qui, et viderunt has Dominas in specie supra omnem aestimationem pulcherrimas. Sicut s. Joanni Eleemosynario visa fuit Misericordia Dei: alteri Gratia Dei. Et vero sacra Scriptura, secundum Deum, tota est in laudibus Virtutum, ac vituperiis vitiorum, ut s. Gregorius adnotavit.

HISTORIAE CONTINUATIO.

XVII. Sermonem istum s. Dominicus, non eodem tempore, continuum, sed trina vice diversa recitavit, die partem eodem. Nimirum mane primam partem continuo post Divina peracta; alteram de prandio; tertiam hora vespertina.

Quod autem s. Dominicus inter dicendum illud saepius monuisset: omnes quotquot in Dei gratia existerent, easdem in sese ipsi Reginas habere quindenae pariter, et CL. Domicellis; hoc vero non paucis admirationem movit, ac haesitationem. Idque iis, qui easdem in Sacrosancto Sacramento conspexerant. Quare die postero, convenitur a percunctantibus: ecqui fieri possit, etiam justos tanta in sese habere dona, et suos ea latere possessores. Rebantur rem impossibilem. Ad hoc obstupuit Vir sanctus: et principio inquit, sunt in vobis cor, viscera, et anima, quae nunquam tamen vidistis. Sunt in multis vobis peccata multa, immania, nec tamen videtis. Quae si clare intueremini, omnes simul moriemini. Ita nec Virtutes videtis omnem visibilem imaginationem in decore, gratia, vi, et efficacia.

Deinde secreta oratione ad Deum versus tacite, et impense obsecrat, ut duritiam populi miseratus, faceret, quod divinae suae Clementiae expedire videretur. Eodem momento Dominus Jesus protinus ita sensibiliter eum alloquitur: *Confide, noli timere. Dic eis: si velint intra quindenam in jejuniis, orationibus, aliisque piis exercitationibus paenitere, ac per sacram exhomologesim expiati, SS. Synaxim adire sumendam; fore, ut ipsa illa in sese mutuo contuerentur.* Illi prompte respondent, ac praestant. Plurimi ipse s. Dominicus a confessionibus fuit. Ipsa die quintadecima, utriusque sexus, omnis pene status, et ordinis, SS. Eucharistiam ex ipsius s. Dominici manibus acceperunt Episcopo Rodonensi Nolente: cum Potestate seculari. Et plerique, dum SS. Corpus Domini sumerent, videbantur sibi carbonem ignitum recepisse, ut luxuriosi, incontriti, lapidem avari, massam plumbeam indevoti, idque ita, ut nullatenus valuerint, illud vel ex ore emittere, vel per fauces transmittere. Quodcirca protinus, mortis vicinae metu, attriti animis purius sunt confessi, et integrius, sicque confestim sacra **((p.142))** sanctam Eucharistiam summa cum consolatione intra sese recipere valebant. Quam plurimis quoque praedicta visio sese oculis redidit aspectabilem, tum cuique in seipso, tum, et in aliis sancte communicatis. Simul tanta benedictionis divinae gratia delibuti adspirabantur, ut ex visionis vehementia extra se rapti, et a sensibus essent abstracti. Cernebant autem Reginas inter, Virginesque alias Dominum Jesum Christum, quem susceperant. Sponsum Virtutum, Maria semper Virgine assistente. Neque mirum: quia causa, qui rite SS. Eucharistiam suscipiunt, hi Deum, et quaecumque in Deo sunt, recipiunt.

Et quod est mirabile; non in communicatis solum, sed in infantibus quoque, puerisque innocentibus eadem illa conspexerunt, et pariter totam pene Curiam coelestem. Causa liquet: quia sicut Deus in Beatis est omnia in omnibus, per gratiam.

Ex eo tempore omnia omnium studia in unum versa sunt s. Dominicum. Dux ipse; Clerusque totus, universaque natio, heatos sese praedicabant, si in Praesulem Britanniae summum ipsis, habere contigisset s. Dominicum. Quem honorem ipso constanter recurante, vim sine vi facta per artem excogitavit istam, inque executionem perduxit, ut per omnes oras Britanniae severe mandaret, neu quisquam s. Dominicum pedem offerre, patriaque sineret excedere, quo vel sic ad Praesulatum adigeretur subeundum. Sed frustra jacitur rete ante oculos pennatorum: nam s. Dominicus in Dei sese voluntatem dedit, et ecce sub oculis circumstantium factus invisibilis, eripitur Britanniae, et ipso eo tempore est in Hispania repertus, unde Pater ejus fuerat oriundus.

Dux in alteram diem jam omnem fieri apparatus mandarat, ut in Dolensem Pontificem crearetur: is enim id temporis vacabat. Antevertit autem ad Ducem rumor certus, s. Dominicum comparare in momento desiisse, neque dum apparere usquam. Hic Dux movere omnia, emittere quaque versus indagatores, totaque Britannia perscrutari omnia; nec coepto desistere. Jam solidum mensem acerrima tenuerat investigatio, eum ecce per Hispanos certum nunciatur, s. Dominicum jam a mense ipso per Hispaniam praedicasse sequentibus signis.

Hic vero summa cunctos incessit admiratio, comperto s. Virum per agilitatis, ac subtilitatis donum, eodem die ex Britannia procul Hispaniam divina potentia transportatum fuisse, Ergo spes, animusque incolis revertit prior. Frequentantur Legationes aliae super alias ad s. Dominicum exorandum in Praesulem. Quibus ille: *Evangelizare misit me Dominus, non Episcopari. Ite, dicite vestris: meminerint eorum, quae viderunt, et receperunt: inque Dei gratia, et timore persistent. Nam si infedele eam gratiam cognovissent, relictis erroribus in Dominum Jesum Christum credidissent.*

Simile idem s. Dominicus Compostellae fecisse proditur, ut narrat noster F. Joannes de Monte, qui fuit Juris utriusque Magister, ((p.143)) et Sacrae Theol. Baccalaureus formatus, s. **Dominten socius** ante foundationem Ordin. Praedicatorum quando praedicta contigerunt Sancto Dominico solum tunc Canonico Regulari agente.

EXAMEN VISIONIS THEOLOGICUM

XVIII. Quemadmodum autem fieri potuerit, ut praedicta cerni oculis vulnerint, an imaginatione, an simplici intelligentia, an Corporali Visione, de facto dubito. Hoc scio; personam viventem novellum Mariae Sponsum, similia saepius vidisse. Corporali Visione sic cerni omnia potuisse, haud opinor: de aliquibus tamen excellentissimam visionem aliquam non diffitebor. Neque in toto imaginaria esse Visio potuit: quando Imaginatio non transcedit quantitatem, ut ait Avic. Quin tamen decoris apparentia ipso hoc mundo major fieri in Imaginatione queat, necarit nemo. Quare potissimum existimo, accidisse illa Intellectuali Visione, cum adjuncta forti imaginatione. Quia Intelligentia potest quid sine comparatione majus formosius, et excellentius **comprehendere**, quam quod in corporea esse rerum natura potetur. Decor enim minimus animae rationalis excellentior est, et omni exceptione major, quam totius orbis corporei ornatus universus.

Si quaeratur. Quomodo igitur Virtutes apparuerint: humans specie, cum habitus intellectuales non sint substantiae sed accidentis? Et cur foeminea potius, quam specie mascula?

Respondeo. 1. Animae, seu mulierum, sive virorum Christi sunt sponsae, at mulier tamen est ratio desponsationis: ideo in specie muliebri apparebant. Unus enim omnium Sponsus est solus Jesus Christus. 1. Accidens vero spiritale habere corpoream potuit figuram, colorem, et lineamenta: quia secundum Dionys. Hilar, et August, sicut prophetis in visione imaginaria, per velamina rerum sensibilium, infinitus divinae intelligentiae, et providentiae radius manifestabatur, quem radium Imaginatio Prophetarum non intelligebat quidem, divina tamen phantasmata conspiciebat. Sic et istae Visiones imaginativae, erant corporeae, ut existimo, sed, et intus fuit lumen divinae illuminationis; quo ista videntium mentes, elevabantur ad immensa quaedam, ac divina dona contuenda, eas tales per imagines reprehensata. Sic Daniel, sic Jacob ect. Mens tamen eorum haud quaquam infra corporea remanebat, sed a Deo ad altiora evehebatur. Unde quamvis imaginationes visae, quoad decorem suum, essent secundum imaginationem finitae; quasi infinitae tamen erant, respectu corporum, secundum mentem, idque ex divina desuper irradiatione.

Et haec S. Dominicus, se fecisse, alicui personae, scilicet Novello mariae Sponso, satis mirifice demonstravit.

FINIS SERMONUM S. F. DOMINICI.

PARS QUARTA

B. ALANI DE RUPE

REDIVIVI.

DE SERMONIBUS ET TRACTATULIS EJUSDEM

CAPUT I.

*Sermo 1. Auspicatorius in Tertium Sentent. F. ALANI de
Rupe, Ord. Praed. Provincia Franciae, Nationis Britannicae
in Promotione sui Baccalaureatus, in Alma universitate
Rostochiensi, anno 1470. in Octava S. August*

THEMA

*Qui convertit Petram in stagna aquarum, et Rupem in fontes
aquarum. Psalm 113.*

Honorande D. Doctor, sacrae Paginae Professor emerite, ac Almae Theologicae facultatis Rostochiensis Decane colendissime; Praeceptor, Tutor, et Defensor: singularissimi Magistri, Doctores, Baccalaurei tam Religiosi, quam Seculares, caeterique Graduati tanquam fontes vivi in Petra, et Rupe Christo fundati, semper mihi amantissimi.

*Lector, hunc sermonem, accuratiore cura conscriptum a B. ALANO redivivus ad verbum: caeteros
toterabiliore stylo contraxi, nisi quod exempla subjecta explicatius enarravi.*

EXORDIUM.

Doctor Petrus Blesensis ornatissimus, in sermone quodam de Virg. Maria, inquit: *Illam est petra, de qua peccator sugit Mel, quinimmo, et Butyrum ad animae, et corporis salvificum medicamentum: aquam vivam ad macularum, sive criminum facillimam purgationem, sitis satietatem, et totius hominis proventum, sitis hanc miseriam in vitam aeternam.*

Ut ergo Frater ALANUS DE RUPE, de rupe theologica in hoc principio Tertii Sententiarum pro mei Formatus indignissimi forma Baccalaureatus valeam aquam sapientiae proferre auditoribus, mundare immundos ab immunditia, satiare sitim in sitibundis, et sanare infirmitatem in aegrotis. Quoniam teste Beatissimo Augustino, patre nostro, cujus hodie octava agitur. *Aqua sapientiae salutaris doctrinae mortuos vivificat, infirmos sanat, mundat immundos, ((p.145)) et sanat aegrotos* in praesentiarum ad istam dulciss. Rupem Virginem Mariam recurro, quae nobis fontem sapientiae. Filium Dei genuit, de quo dicitur: *Ego fons sapientiae in altissimis habito*: Salutatione Angelica eam salutando, mente pia, et sermone jucundo: *Ave Maria gratia plena, Dominus tecum, Benedicta tu in Mulieribus, et benedictus fructus ventris tui Jesus Christus: homo verus, et verus Deus, quem Virgo Mater concepisti per Spiritum Sanctum*: cum Gabrieli respondisti hoc verbum salvificum: *Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum. Amen. Da mihi hic gratiam salubriter auspicandi, et istis potentiam virtuose audiendi.*

THEMA. Qui convertit petram in stagna aquarum, et Rupem in fontes aquarum.

Metuendissime D. Doctor, Petra mihi fundens oleum ex rivulis sapientiae tuae, caeterisque Domini, et Magistri, lapide pretioso Rupis sapientiae adornati. 1. Trinitas Beata in deserto per Moysen durissimam petram convertit in flumina aquarum, et rupem aridissimam, loquendo ad literam, convertit in fontes vivos aquarum. 2. Allegorice autem: ipse Christus est petra, de quo Apost. *Petra autem erat Christus*. Quae Petra secundum glosam ordinariam conversa est in stagna aquarum, per conversionem populorum multorum salvificam. Et ipsa Rupis est etiam conversa in fontes aquarum, secundum septem fontes Sacramentorum, juxta Ambr. de Sacram. 3. Sed moraliter Christus cum Virgine Maria convertunt peccatores duos, ut petra, et rupis, secundum Basil. in stagna viva, et fontes aquarum lamentationis, et paenitentiae, verae munditiae, et perfectae sapientiae. 4. Quinimo, et loquendo naturaliter: semper de montibus altis cujusmodi sunt rupes fluunt flumina, et fontes, secundum Isid. 5. Deinde anagorice Petra Christus, et Rupis divina in gloria, convertitur in syagna, et fontes aquarum; quando facit salire animas, secundum Chrysostomum in vitam aeternam, quae significari habet per fontem aquae vivae Paradisi, prodeuntem de Throno Dei, ut Joannes vidit in Apocalysi.

PROPOSITO GENERALIS. Domini praestantissimi quintuplici medio Thema assumptum volui pertractare, *Qui convertit petram in stagna aquarum, et rupem in fontes aquarum.* Attamen, Domini Carissimi, quia secundae Albertum Magnum, Petra habet quatuor proprietates. Nam primo, habet laudabilem firmitatem non de facili mobilem, sed adversi resistantem. Secundo, habet potestatem alia super se fundantem, et constanter sustententem. Tertio, habet attritionem per sui humiliationem, et pedum attritionem. Quarto, habet eminentiam in aedificiorum extollientiam, et divitiarum absconsionem. Propterea, et in hoc praesenti actu, rupe, Christo favente, et petra Angelica, Ego Fratres Alanus de Rupe tanquam Christianus a Christo post consummationem primi, et secundi sententiarum: quatuor sum facturus, more solito formandorum Sacram. Theol. Bacal. ((p.146))

PARTITIO. I. Ostendam Theologiae laudabilem firmitatem: praeconia ejus quindecim ponendo, mirificas Rupis Salutationis Angelicae excellentias. II. Dispotaturus, praemittam protestationem fieri solitam tanquam fundamentalem, in Rupe Christo potestatem totam praesentis operis, et operationem sustententem. III. Recitabo quorundam Magistrorum eorum opinionem. Rupis istius ponendo attritionem, et conculcationem. Rationem ponam eminentem super Salut. Angelicae Rupem fundatam: ex qua cunctae mundi divitiae, eminentiaque similiter sunt exhortae, et deliciae, secundum Bern.

Primo igitur est Theologiae landabilis firmitas cuncta super se fundans, propter suam immobilitatem. Quod ut clarius fiat, ex Rupis proprietatibus hoc ostendemus. Quae secundum Isidor. in libr. Ethic. quatuor habet proprietates. Primo, habet altitudinem firmissimam, versum caelum protendentem. Et quoad hoc, est primus liber sententiarum, qui est de Rupe altissima Deitatis, et infinita potestate Trinitatis, de qua dicitur ad Rom. 11. *O altitudo divitiarum sapientiae, et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia eius, et investigabiles viae ejus.*

Secundo Rupis habet stationis latitudinem, civitates, et oppida fundantem, templa, castra, et palatia sustententem, difficulter accessibilem. Et quoad hoc est liber secundus Sententiarum, qui est de lata mundi creatione, ejusque sapientissima gubernatione, et conservatione, necnon de vitiorum omnium destructione.

Et hoc tangitur cum dicitur: *In stagna aquarum*. Per quae, Per quae, secundum Christum; intelligitur universitas creaturarum, ut merito dicatur in propositum, quod in Job reperitur, *Lator mari longitudo ejus*: Et in Psalmo: *Latum mandatum tuum nimis*.

Tertio Rupis admirabilem habet claritatem astrorum: primo lucem susceptibilem ex hoc in alia refundentem, gemmarumque in se obitenens refulgentiam. Quod fit in tertio libro sententiarum, de quo est ad propositum. Quod tangitur, cum dicitur: *et Rupem*: Quae Rupis, secundum August. et Isid. Primo a Sole illuminator, et ob hoc variis effectibus caelestibus: secundum Praelationem, motu Lunae, et influencia faecundatur. Unde Job dicitur, quod *Aquila habitat in inaccessibilibus rupibus*, quae tamen Aquila semper petit clara, secundum Albertum, et Bartholomaeum.

Quarto, Rupis mirabilem habet ubertatem plantarum omnium: habet etiam amenitatem herbarum diversarum, medicam Dei vim habentium aromatum, et fructum ineffabilium copiosam abundantiam, secundum Ambros. cujus ratio est secundum Albert. quia attrahit ad se terrae circumjacentis virtutem, et materiam habet magis digestam, amplius subtilem, vi astrorum depuratam. Oh hoc fructus ibi sunt suaviores, quam in campestribus, et herbae virtuosiores, vinaque saniora, secundum Avic. Quod tangitur cum dicitur, *In fontes aquarum*. Et hoc in quarto sententiarum Magistri Lombardi Parisiensis dignissimi Episcopi. Unde merito pro quarto dici potest, quod scribitur Judic. 18. *Invenimus ibi terram opulentam*, et uberem: unde Ezech. dicitur: *In pascuis uberrimis ((p.147)) pascam eos*. Duabus igitur partibus in primo, et secundo libris expedit, nunc tertium pro tertio libro sententiarum in nostro formato, utcumque absolvendum restat. Quod de claritate Rupis Illuminativa, Purgativa, et Perspectiva, secundum sententiam Dionys. Quae claritas, secundum B. Anselm. est triplex, Interua, Superna, et Humana.

Prima, claritas Rupis est interna, et haec est faecundativa, et variorum lapidum pretiosorum, sc. bonorum operum generativa: De qua in 15. Psalmi distinctionibus tertii, quae sunt de claritate Christi Incarnationis Beatissimae. In qua secundum August. *Lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt Joan. 1*. Per quam Sol Justitiae est factus homo, illuminans totam nostrae mortalitatis deficientiam. Juxta illud: *illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum*.

Secunda autem claritas Rupis, secundum eundem Anselm. et Isid. Est Externa, sive Humana, qua homines illuminantur, quae suis in aedificiis commorantur, et a longe cuncta videntur non solum prospera, sed etiam adversa. De qua igitur in secundo parte tertii sententiarum, quae est de claritate Rupis Christi septena, in septem distinctionibus, quae sunt de Passione, Resurrectione, Glorificatione, et Christi Ascensione, a distinctione 16. usque ad distinctionem 22. inclusive. De quibus quantum ad Passionem, Gloriam Christi, et Ascensionem, dicit Bernard. Doctor ille mellifluus: quod Sol Justitiae Christus Dominus noster mane ortus est in navitate, sed passus in meridie, totum mundum flamma suas charitatis inflammando: et sero occubuit moriendo. Iterumque tertiae diei aurora resurrexit, sanctis mulieribus apparendo.

Tertia autem claritas Rupis est superna, quae est omnium virtutum comprehensiva in felicitate amaena, et jucunditate aeterna. De qua agitur in decem, et octo ultimis distinctionibus tertii sententiarum, a 23 distinctione inclusive usque ad 43. finalem, ista autem claritas, cum sit de virtutibus tam Theologicis, quam humanis, quibus pervenimus ad superna, secundum Hieron. quia illa promeremur unde in supernis praemiabimur, merito tertiae claritatis Rupis nostrae deificae est aptanda.

De prima autem trium claritate dici potest, quod scribitur Sapientiae: *O quam pulchra est casta generatio cum claritate*, ut habet alia translatio. Et in Exodo habetur: quod filii Israel videbant montem fumigantem, cum igne, et voce, et lampadibus etc. De secunda claritate dici potest, quod scribitur, *Claritatem non accipio ab hominibus*. Et Machab. *Refulsit Sol in clypeos aureos, et resplenderunt montes ab eis*, idest Rupes, quia Rupes sunt montes altissimi, secundum Isid. et Bartholom. *liber. de natura rerum*.

De tertia vero claritate dici potest, quod scribit, *Dedit illi claritatem aeternam*. Et in Evang ubi dicitur, *quod Dominus transfiguratus est in monte Thabor, et quod claritas Dei circumfulsit illos. ((p.148))* Duobus igitur, membris ultimis, causa brevitatis dimissis, nunc primum est absolvendum: quod est de claritate interna Theologiae secundum quindecim claritates, quae secundum quindecim primas tertii habentur distinctiones generationem Filii Dei temporalem comprehendentes. O igitur honorande Domine Doctor, caeterique sacrae Theologiae Auditores amantissimi: quam magna, et excelsa est sanctissimae Theologiae eminentia respectu nostrae indigentiae? O quam necessaria nostrae nunc est miseriae? O quam est amabilis, optabilis, et concupiscibilis universis. Sed cur hoc? Quia docet invenire, in quindecim primis distinctionibus Tertii Rupem unam infinitam, cunctas divitias habentem, omnem claritatem continentem, omnem virtutem possidentem, quam cum habuerimus, cunctis bonis abundabimus, malis procul pulsus universis.

Sed quae est praeclara haec Rupis tam magnifica? Audite quaeso, audite sapientes, audite intelligentes, docti pariter, et indocti. Haec, inquam, est Salutatio Angelica, quae est: Rupis altissima, rupis latissima, rupis clarissima, rupis uberrima, sua altitudine sublevans cunctos ad coelestia, sua latitudine sustentans universa, sua claritate illuminans abscondita singula, sua ubertate recreans, et reficiens omnia. O amenissima Rupis, ad te configiemus, et a malis liberi erimus. In te stabimus, et in tribulatione, inconstantia, et mutabilitate gravati non erimus. Te assidue videbimus, et undique tanquam stellae matutinae fulgebimus. In te requiescamus cognoscendo, amando, operando, et ab ubertate domus Dei abundabimus, et conversatio nostra non in terris sit, sed in coelis. Cui concordant verba Angelici August. in Serm. pulcherrimo de Salutatione Angelica dicentis. *Quid dicam de montibus, quos sacra mihi nominat pagina?* 1. In monte Sinai data est lex antiqua, sed in monte Salutationis Angelicae data est lex nova. 2. In monte Garysm et Hebal terrestres sunt datae maledictiones: at in Rupe benedicta Dei filius nascitur. 4. In monte Libani aromata cuncta pullulant, sed in Rupe ista virginea coelestia continentur, totiusque mundi madicamina. 5. In monte Moria Templum Dei fundatum est, sed in hac Rupe benedicta filius Dei est homo factus. 6. In monte Thabor apparuit gloria Trinitatis, sed in hac Rupe benedicta facta est primitus in humanitate assumpta gloria Trinitatis. Quid mihi ergo de aliis montibus, in quibus cum difficultate ascendo, cum esurie, et siti plurimum deficio, atque in quibus infirmatus tandem morior cum Moyse, et Aaron me in immensum majoribus? Sed in hac Angelica Rupe proficio, fatigatus reficior, infirmatus sanor, mortuus suscitor, sitiens, et esuriens reficior; et sicut per scalam Jacob coelestia contemplaturus, et ibi in aeternum commoraturus gaudenter, et potenter, et secure conscendo, nunquam postea damnum passurus. Haec ille. Ista autem Rupis clarissima Salutatoria sc. Mariana, quindecim habet principalia verba Categorematica: et tria (((p.149))) sincategorematica. sc. Tecum, In etc. Et: quibus datur intelligi, quod ter quinque debent ibi poni Pater noster, et quindecies decem Ave Maria, quae faciunt centum, et quinquaginta secundum numerum Psalmorum David Psalterii.

Haec igitur est Rupis Trinitatis dignissima, in qua sunt quindecim lapifodinae, secundum quindecim genera potissima lapidum pretiosarum. Quia dictum est de Virgine Maria; *quod ornata est omni lapide pretioso*. Et ita in Psalterio Angelico sunt centum, et quinquaginta, *Ave Maria*: ita tria certa: quorum primum est respectu Deitatis, qua *Dominus Tecum*. Secundum, est respectu Incarnationis cum dicitur. In mulieribus, tertium vero sertum est respectu passionis: cum dicitur, *et benedictus fructus*, qui sc. est appensus in arbore Crucis. Quae tria certa habentur per tria praehabita syncategoremata. Nam primum *Tecum* dicitur respectu Deitatis, quia sibi Dominus jungitur. Secundum sc. *In* respectu Incarnationis, quia mulieribus generantibus apponitur. Tertium autem, sc. *Et* accipitur respectu Passionis, quia ei benedictus fructus additur. Quae benedictio, et fructificatio non est facta complete, nisi in Passione. Itaque cum, ut dictum est ibi sint tres Quinquagenae, et in quolibet *Ave Maria* illarum quinquagenarum sint XV. verba, idest lapides pretiosi sc. *Ave Maria gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui Jesus Christus. Amen*. Ibi erunt quindecies decem, ita centum, et quinquaginta Rupes Angelicae, quae in quolibet Psalterio efferentur Matri Dei, quae simul sumptae continent in se bis mille, ducentos, et quinquaginta lapides praetiosos. Tot enim sunt verba principalia in centum, et quinquaginta Salutationibus Angelicis. Quorum quilibet lapis praetiosus devote oblatus Virgini Mariae, plus valet omni lapide praetioso totius mundi. Quinimo Domini Praestantissimi, servi qui Virginis Mariae devotissimi; cum in qualibet Ave Maria sint quindecim, ita ter quinquela pides praetiosi, si quaelibet Ave Maria Coronam facit Virgini gloriosae contextam ex quindecim lapidibus praetiosis. Et ita erunt centum, et quinquaginta Coronae Regales, in quolibet Psalterio. Quarum quaelibet etiam minima, plus valebit, quam universae Regum, et Reginarum, Imperatorum, et quorumcumque honorum coronae, ut non immerito servientes Virgini Mariae in suo Psalterio sint Reges, et Reginae, qui tantis coronant in dies coronis Reginam gloriae. Nonne igitur, dulcissimi Psalteris Virginis Mariae, magna est laus Theologiae? Imo maxima, docens nos invenire tantam Rupem, in qua sunt XV. tantae lapifodinae, inventamque offerre Genitrici Dei Beatissimae, et cum oblata ipsam Dominam Mariam, centies, et quinquagesies, et cum oblata ipsam Dominam Mariam, centies, et quinquagesies in die coronare, coronatamque adornare duobus millibus ducentis, et quinquaginta lapidibus pretiosis: quorum minimus plus valet toto isto mundo corporeo. Sed quia significationes in universali minus proficiunt, primo Ethicorum, nunc in speciali per singularia sunt cuncta verba declaranda, quae verba quindecim (((p.150))) lapidibus Theologiae admirabilibus, utilissimis, et summe necessariis sunt consummanda. Merito ergo Deus *convertit petram in stagnum aquarum, et rupem in fontes aquarum*.

I. QUINQUAGENA.

Offerendo pro. I. Adamante Innocentiae. II. Carbanculo Sapientiae. III. Margharita Gratiae. IV. Jaspide Plenitudinis. V. Sapphyro Dominationis.

Prima igitur omnium laus, o Amantissimi Amatores, Discipulique Virginis Mariae, sacrae paginae est, quod in prima distinctione tertii ex innocentia convenientissimae Incarnationis Filii Dei, tam ex parte Dei, quam hominis, docet nos Virgini Mariae Reginae innocentiae: primum lapidem offerre pretiosum primae lapifodinae Rupis Angelicae sc. *Adamantem*. Qui lapis dicitur Innocentiae, qui offertur, cum devote dicitur Virgini Mariae Ave. Nam Ave secundum Augustinum dicitur quasi (*sine vae*) maledictionis, vel culpae, in quo Innocentia declaratur praeclare Mariae. Secundum autem Isid. *Adamas nulla materia frangitur, a nullo vincitur, nullo pollnitur, vel commiscetur. Solo autem sanguine Hirci frangitur*. Estque lapis maximi amoris, et fugativus Daemonis: quem quidem vocant *Diamantem* quasi duorum amorem metentem, sive mensurantem: *Amantissima* autem *Virgo Maria gloriosa*, secundum Anselmum, *est illa, quae tanta puritate debuit nitere, qua major sub Deo nequit inveniri*. Unde in Cant. *Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te*. Sed ratione manifesta ostenditur omni jure, quod tanto lapide a cunctis debeat honorari devote: qui habet summam innocentiam in se, et in universos diffusivam: et diffuse conservativam: et conservate gubernativam: omnium inquam, jure divino, naturali, et humano: sed Virgo Maria est hujusmodi: quia ut inquit Ambr. in serm. de Assump. *Quid referimus tibi laudis, o Innocentissima Virgo Maria, per quam mortua reparata est innocentia, et vivificata? Tu es enim arbor Vitae, extra quam rami omnes sunt sine fructu, et in morte*. Haec ille.

Sed fortassin quidam vestrum dicent: quantum velet hic adamas dictus Ave. 1. Ad quod indubie respondeo, quod plus valet omnibus lapidus pretiosus oblati in deserto a filiis Israel pro tabernaculo, quod multum mirabile est, 2. Immo plus valet: lapidibus pretiosis Salomonis, quos dedit in Templo Hierusalem: vel habuit in thesauris suis, quod immensum est. 3. Quinimmo plus valet cunctis lapidibus pretiosis, quos habuit Arcturus Rex Britonum, Carolus magnus, David, Ciskasus, tres Reges Britonum, et quicumque alii fideles unquam habuerunt, et Templis, et Reliquiis Sanctorum dederunt.

Sed de novo petitis: quanto major est hic adamas Ave omnibus innumeris praedictis? Ad hoc constanter respondeo quod tanto major est, quanto totum caelam una stella, quia minimum secundum ((p.151)) Angust. *Caelestium bonorum majus est maximo corporeorum*. O igitur vos omnes filii devoti Virginis Mariae audite, et meae interrogationi respondete: Nonne si darem vobis qualibet die centum, et quinquaginta Adamantes, quantumcumque esseris inimici mei, mihi placaremini, et ad vota mea assetis parati? Quod si ira est. Sequitur manifeste, quod Virgo Maria pro quolibet. Psalterio sibi devote oblato majorca donabit. Quae est Adamas amicitiae, pelleos, omnem vim daemonis, fractus sanguine Christi haedi immaculati, quando animam suam compassionis gladius pertransivit. Absque dubio a monore ad majus affirmative concedere oportet. Quia scriptum est: *Date, et dabitur vobis. Nam secundum Originem, in rebus mundanis dabitur centuplum, in corpore millicuplum, in anima deciesmillies, in morte centies millies, et post mortem mille millies*. Qui ergo vultis ditari, et in brevi recipere innocentiam: placate Mariam, et facite per gloriam. Accedite ad Rupem istam Salut. Angelicae, offerendo Virgini gloriosae quolibet die centum quinquagies adamantem innocentiae sc. Ave. Quoniam sic offerendo, salutabitis Imperatricem totius mundi, multo magis amantem quemlibet peccatorem, et multo amplius quemlibet digne eam salutantem: quam quaecumque Imperatrix, vel Regina unquam dilexerit mortalem quemcumque viventem. Imo plus uno toto mundo Imperatricum, toto posse naturali amantium. Quia *charitas Virginis gloriosae*, secundum August. *Excidit amorem totius mundi naturalem: non tantum corporeum, verum etiam Angelicum*. Ergo a minore ad majus: ut sitis sine vae, Mariae saepius offerte Adamantem praemisum. Merito ergo *Deus convertit petram in stagna aquarum*, virtute horum lapidum pretiosorum. Secunda laus sacrae paginae: O benignissimi filii Virginis Mariae est, quod in 2. dist. tertii ex sapientia modum faciente unionis naturae humanae, et divinae: sapientissime docet nos efferre Virgini Mariae Imperatrici sapientiae, secundum lapidem pretiosum secundae lapifodinae hujus Rupis Angelicae Salutationis, videlicet *Carbunculum*, cum dicitur *Maria*. Ut Sapientiam habeamus, et illuminationem amplius obtineamus a Virgine gloriosa, quam si ei temporalem sapientiam totam offeremus, de non sciente, faciendo eam sapientissimam. Quia *minimum orationis devotae*, secundum Bernard. Beatissimum Mariae Secretarium, *majus est sapientia totius mundi Philosophorum, et majori praemio remunerandum*. Ratio autem hujus oblationis est; Quia *Marta* secundum Remig. et Hiero. dicitur quasi *illuminatrix, vel illuminata*, quod ad sapientiam pertinet, secundum eosdem. Hujusmodi autem Carbunculus in aquis ardent, et nocte, **nt** carbo ignitus, lucet; terrores fugando fantasmatum; et discretionem conferendo in agendis, et in dubiis mentem ad certa deducendo, ad minus dispositive, secundum Isidorum, et Lapidarium. Propterea ((p.152)) lapis hic Reges pretii est incomparabilis. Quas condiciones ad plenum habet Maria Virgo gloriosa. Quoniam teste Bernard. *genuit aeternam sapientiam*: idcirco mundo caeco sapientiae caelestis dedit claritatem: veluti sapientissima Abigail uxor Nabal Carmeli, imo in immensum amplius. Sed ratione manifesta panditur, a toto mundo, sic eam debere salutari in Psalterio Angelico. Quia quicumque habet summam sapientiam collativam, conservativam, et gubernativam totius mundi: a cunctis debet honorari, ut patet testimon. Senecae. Sed B. Virgo Maria est hujusmodi, testim. Bern. unde dicitur de

ea Eccles. 24. *Ego Mater pulchrae dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctae spei.* Si ergo vultis habere sapientiam illuminativam, saepius salutate Mariam. Quia teste Ambros. *Sole clarius lucet haec stella in fidelium mentibus:* et recipietis centuplum in praesenti. Quia minimum devotae orationis, secundum Anselm. *plus valet tota mundi corporea claritate,* et humana prudentia.

Sed forte inter vos dicitis: Quanti valoris est iste Carbunculus *Maria*? Ad quod breviter respondeo. Majoris est valoris, quam si offeres Virgini gloriosae, pro qualibet vice tot Carbunculos, et aequae magnos: quos sunt stellae in firmamento caeli, testimonio August. dicentis: *Minimum lucis gratiae, majus est tota mundi corporea luce.* Et non solum iste Carbunculus *Maria* aequae magnus est, vel modicum major ictis: verum etiam tanto excellit omnes, hos, quanto totus mundus excedit minimum mundi Carbunculum. O igitur benedectissimi filii Mariae, intra vos redite, et respondete mihi: Quid si quolibet die quis vestrum daret centum, et quinquaginta Carbunculos alicui dilectissimae Reginae se amanti, ut filium incomparabilem; nunquam non indubie sperare deberetis omnimodo gratiam, et amorem apud hanc Reginam invenire? Sic procul dubio. Ergo cum Virgo gloriosa magis vos amet offerentes sibi talia, quam si omnes mundi creaturae essent conversae in Reginas amantes, et quaelibet vos intimum amaret, quantum istud praesuppositum. Quia secundum Albert. Magnum, *Charitas minima mariae major est tota charitate mundana. Imo etiam infinita naturalis amicitia.* Indubie credere debetis vos majora suscepturos, gratiamque sapientia Virgine ista sapientissima obtenturos. Alias periret jus naturale, et jus charitatis, et jus divinae justitiae per regulam a minori ad majus affirmative. Quia si minus diligens, secundum Boetium, dat tanta bona; procul dubio plus diligens dabit majora. Ut igitur centies, et quinquagesies coronemini in praesenti, et in futuro corona sapientiae Carbunculorum; in Psalterio Angelico dietim salutate Mariam. Quare requiritur, quod merito virtute istorum XV. lapidum pretiosorum, *Deus convertit petram in stagna aquarum.*

Tertia laus Theologiae, o Clarissimi Rectores, et Doctores hujus almae facultatis, et stellae praefulgentis, est quod in tertia distinctione tertii ex sanctificatione gratiosa Virginis Mariae, et Christi docet totum mundum offerre Virgini gratiosae tertium lapidem (((p.153))) tertiae lapifodinae Rupis Salutionis Angelicae. Secundum pretiosissimam Margaritam, cum dicitur: *Gratia.* Cujus argumentum est: quia secundum Isidor. Margarita est lapis candidus in concha marina ex rore caelesti genitus, sine admixtione cujuscumque seminis propagationis: contra plurimas valens infirmitates, et fulminibus, et tonitruis opposita. Nam concha fulmine tacta aborsum patitur, vel a tonitruis laesa, lapidem imperfectum generat, secundum Bartholom. *in lib de naturis rerum.* Sic autem est de Virgine Gloriosissima Maria. Quoniam, secundum Hieronym. ipsa est concha maris hujus mundi quae non ex virili semine, sed mystico spiramine caelestis gloriae, Christum margaritam genuit: qui nostras infirmitates curavit: immo, et contra tonitrua tentationum, et fulmina cunctarum tentationum, et tribulationum nos defendit, secundum Bern. Quod vero a cunctis Maria debeat laudari oblatione devota hujus margaritae *Gratia:* sic ostenditur. Primo, quia habet in se immensam gratiam in toto mundo diffusivam, protegentem, et promoventem secundum Albert Secundo, quia sic quilibet offerens suscipiet centuplum, et sic in immensum quolibet die ditabitur. Tertio, quia Regnum caelorum sibi parabit ex omni lapide pretioso, quorum quilibet erit major uno toto Regno: ut ex legenda B. Thomae Apostoli haberi potest. Sed fortassis hoc non intelligens, tacite quaeris: quantum valet haec margarita *Gratia*? Resp. breviter coram toto mundo: quod tanto plus valet terrestri paradiso, quanto paradisos plus valuit pomo Evae furtivo. Quod si ita est, imo ita est, quia secundum Basil. Minimum Regni Christi majus est toto paradiso terrestri, quia hoc ducit ad caelum, sed paradisos ille ad infernum. Nonne, charissimi, virgo gloriosa multum genuerit in tanta munerum oblatione? Quomodo si lupo, vel leoni, aut urso parvulam annonam daremus dietim: proculdubio secundum Hieron. amarent. Quanto ergo magis Virgo Maria in hac Psalterii oblatione nos amabit? Nisi sit durior, immo crudelior saevissimis animalibus, a majori ad minus affirmative arguendo. Quoniam ipsa plus amat quemlibet in suo psallentem psalterio: quam potest facere totus mundus, patrum, et matrum habentium unicum filium tantum dilectum a quolibet parente: quantum unquam mater filium proprium naturali amavit amore. Videte ergo ista diligenter, et ut **habeatis** gratiam, in Psalterio, Mariam laudate. Quia qui sic eam laudant salvi fiunt a minori ad majus ex legenda B. Catherinae Martyris arguendo.

Quarta laus Theologiae sacrae, servi dulcissimi Virginis Mariae, est, quod in quarta distinctione tertii sententiarum sc. ex plenissima plenissimae Incarnationis Jesu Christi causa quae causa est Spiritus Sanctus, docet totum mundum invenire quartam lapifodinam pretiosissimam in Rupe ista Salutationis Angelicae; de qua lapidem *Juspidem* docet nos offerre Virgini Mariae designatum per *Plena*. Cujus ratio est. Quia Jaspis, secundum Isid. Est lapis viridis coloris, confortans visum per **sui** pulchritudinis complacentiam, plena tot virtutibus, quot virgulis, et signis est distincta (((p.154))) Habet etiam pellere omnes malos humores corporis, dare jucunditatem, affabilitatem portanti, et securitatem, secundum Albertum Magnum, quod verum est dispositive. Sic autem Beatissima, et plenissima, *Gratia plena*, Virgo Maria placuit oculis summae Trinitatis, et omnium Angelorum. Quinimmo corpore fuit speculum totius pulchritudinis, pulchrior super omnes mulieres, multo plus quam Judith, Hester, vel Sara, secundum Albertum. Tot habuit in se virtutes, quot habuit potentias, et Sanctos operum actus. Removitque cunctas sufficienter impietates mundi,

secundum Bern. et sempiternam laetitiam contulit filiis damnationis, secundum Aug. Merito ergo est plena, ut Jaspis, gratia pulchritudinis; nedum spiritualis, verum, et corporalis. Et ratione concluditur, quod sit in Psalterio a cunctis sic digne laudanda. Primo, quia pulcherrima, secundum Senec. sunt laudanda. Secundo, quia quae dant summam pulchritudinem, a cunctis sunt amanda, et laudanda, secundum Aug. Cujusmodi est Virgo Maria, secundum eundem, in quodam serm. de Virg. Mariae Nativitate. Tertio, quia mulieres pulcherrimae, ut Hester, Sara, et Rebecca, laudantur in sacra pagina. Ergo multo magis laudanda est Virgo Maria: quia secundum Aug. quod aliae habuerunt divisim in pulchritudine, habet ista sola, habuit in universa pulchritudine.

Sed fortassis admirando, et gaudente petitis. Quantum valet iste Jaspis *Plena* semel devote prolata? Ad quod secure coram tota Ecclesia respond. quod plus valet cunctis operibus Dei septem dierum primorum naturalibus. Item, quod valet amplius, quam omnes novem ordines Angelorum quantum ad naturam eorum, et quam totus mundus iste corporeus. Quoniam haec Jaspis Plena digna est Deo in gloria, non autem de se illa praedicta secundum Magistrum in secundo sentent. Auditisne quaeso, quae dixit? Quod si ita est, cur pigritamini nolentes tantis bonis ditari? Nonne omnis talis sic remissus fatuus reputatur? Quod amplius est advertite. Si solum dietim darem Turcho, vel Soldano ducatum: proculdubio me gratum haberet in suo obsequio. Cum ergo in infinitum dem plus Virg. Mariae, cum in suo Psalterio offero ei Jaspidem hanc *Plena*: aut ipsa est injusta, aut durior Turcho, quod dementiae est dicere ei, quia cantat Ecclesia: *Salve Regina*: aut dabit mihi suam gratiam. Quoniam plus diligit Psalterem suum, quam possent diligere tot sorores fratrem proprium quot sunt arenae Maris: posito, quod quaelibet tantum amaret eum, quantum unquam Thamar amavit fratrem suum Absalonem, qui eam vindicavit de amore incestuoso. Quia, secundum Gregor. Nazianzen. Infimum bonum gloriae Dei in Sanctis, majus est maximo bono naturae in creatis. Cujus ratio est, quia illud est dignum est naturali existentia. Cum igitur ratio, sensus, scientia, exempla, signa, lex, experientia, et appetitus boni, vos moneant de laudando Mariam, cur jam non semper in Psalterio salutatis eam, ut habeatis omnem gloriae plenitudinem? **((p.155))** Quinta laus Theologiae, o Emeriti Sapientiae amatores filii Virginis Mariae nobilissimae totius mundi boni matris: est, quod in quinta distinct, tertii sentent, ex damnativa sanctissimae in Christo Unionis, docet nos invenire quintam lapifodinam Rupis Theologicae sc. Salutationis Angelicae: ex qua monet nos lapidem quintum, qui est lapis nobilitatis, et dominationis, offerre tantae Dominae Mariae, qui lapis dicitur *Sapphyrus*, et tangitur cum dicitur *Dominus tecum*. Assignatio cujus certa haec est. Quoniam Saphyrus secundum Albertum, et Bartholomeum, et Lapidarium, est lapis coelestis coloris, apponendus in Regum annulis, quo mediante dudum responsa dabantur a Diis, et occulta revelabantur: animositatem, et audaciam generans, secundum lapidarium inferentem. Quae omnia denotant nobilitatem quam Virgo Maria summam habuit per excellentiam, secundum Ambrosium. Nam, quia Mater est Domini Dominantium. Idcirco Domina est mundi censenda a cunctis fidelibus Christi. Ipsa enim est posita in annulo fidei Christianae; qua mediante responsura est de Redemptione mundi; et per quam de futuris permaxima sunt revelata. Sola enim secundum August. reddit animos hominum securos, audaces, et potentes; adeo ut nullum timeant. Sic ergo merito tanquam Dominae nobilissimae totius mundi sibi debet offerri hic Sapphyrus *Dominus Tecum*. Cujus veridica ratio, avidissimi auditores, haec est. Primo, quia Mater est Domini Dominantium, et Regis Regum. Secundo, quia omni jure sumus ejus servi. Tertio, quia Dominabus mundanis omni jure debetur honor a suis servis: ergo multa magis nobilissima Domina Maria est honoranda a nobis, quia *Domina est, Mater nobilitatis*, secundum Albertum super *Missus est*.

Sed forte extasi admirationis raptus, silendo interrogas: quantum valet iste lapis Sapphyrus, Dominus tecum? Ad quod incunctanter respondeo. Plus valens, et magis placens est Virgini Mariae; et nobilior in se, et magis toti Ecclesiae militanti, et triumphanti proficiens; totique Trinitati conveniens; quam si dares Virgini gloriosae tot mineras Sapphyrorum, ita magnas sicut est Civitas Parisiensis; quot sunt in mundo minuti lapides cujuscumque speciei. Quinimmo majus est, hunc Sapphyrum Virgini Mariae offerre, quam offerre nunc Arcam Noe, et in ea viventium naturam salvare: quia talis Arca est corrupta cum illis qui intraverunt in eam: sed Sapphyrus hic dominationis nunquam corrumpitur, sed per eum in aeternum servi Virginis Mariae viventes dominantur. Quare? Quia dederunt Virgini Mariae nobilitatem centies et quinquagies in die: ergo centuplum accipient in hujusmodi, juxta illud Greg. Servire Deo, regnare est cum eo. Date, et dabitur vobis Et quippe satis clare ostendit, quoniam nobilissima Maria plus amat minimum servum Psalterii sui, quam quaecumque nobilis Ducissa, vel Comitissa, seu Baronissa unquam servum suum dilexerit, esto quod usque ad mortem dilexerit eum: amplius, stante casu quo tot essent Dominae amatrices, quot essent **((p.156))** ei omnium herbarum folia, et arborum ex divina potentia essent conversa in Dominas, et amatrices tui, tota potentia te amarent non esset iste amor tantus similiter sumptus, quantus est amor Virginis Mariae, quo amat te sibi in suo Psalterio servientem. Quod cum ita est. 1. Cur non diligis eam in tantum te diligentem qui tanto amore aliquando ad miseram afficeris mulierculam? Et iterum. 2. Cur de tanta Domina diffidis; qui potestati unius dominarum praedictarum confidentissime te commiteres? 3. Quoniam si tortori, aut Juduci quicumque, vel clientibus qualibet die solum unum lapidem dares, securus esse posses, quod si quocumque casu ab illis unquam caperis, liber dimitteris. Quin modo omnibus te conservarent pro viribus, quocumque

repugnante. Cum ergo Virgo Dei Genitrix in infinitum plus amica tua sit, et magis grata pro beneficiis; indubie sperare potes salutem per hanc Angelicam Salutationem. Ni forte **credideris** (quod absit) illam tortoribus magis esse ingratham: *quae gratia est plena* Luc. **x**, et magis amat peccatores, secundum Ber. quam amant seipsos, quia majori longe pollet charitate, secundum Doctorem Sanctum.

II. QUINQUAGENA.

Pro. I. Calcedonio Misericordiae. II. Smaragdo Desponsationis. III. Sardonico Honestatis. IV. Sadio Prosperitatis. V. Chrysolito Nutritionis.

Sexta laus Theologiae, felicissimi servi Virginis felicissimae Mariae Reginae misericordiae: est, quod in 6. dist. Tertii de opinione malorum. Incarnationis, et eorum justa reprobatione, et sanctae fidei misericordiae assertione, docet nos invenire sextam lapifodinam hujus Rupis Angelicae Salutationis: ac offerre ex ea Calcedon. Misericordiae. sc. *Benedicta*. Ut inde centuplum accipiamus in praesenti, et futuro pro qualibet Psalterii oblatione.

Cujus declaratio est. Quia Calcedonius est lapis in modum Chrystalli, lucens ad modum lucernae: attrahens ad se paleas: vincere faciens in causis, et fugans daemona, oppressus vi aliena liberans, secundum Albert. Magnum, et Lapidarium. Virgo autem Maria secundum August. est illa aurora qua media Sol nobis illuxit Justitiae: et quae trahit peccatores divinam vincere justitiam, eos eripiens a daemonum potestate, et suae reddens potentiae, secundum Bern. Quare merito offerendus est ipsi Calcedonius Misericordiae sc. *Benedicta*. Quoniam secundum Anselmum, Virginis Mariae devotissimum alumnum, Virgo Dei Genitrix non solum benedicta est; verum etiam benedictissima: quae toti mundo misericordiae benedictionem contulit, infirmis sanitatem, mortuis vitam, peccatoribus justitiam, captivis redemptionem. Ecclesiae pacem, coelis gloriam; ut non sit, qui se abscondat a calore ejus. Et pene eadem verba sunt Beatissimi. Bernard.

Sed fortassis pro majori intellectu simplici mente quaeritis: quantum **((p.157))** valet iste solus unus Calcedonius. *Benedicta*? 2. Ad quod audaciter respondeo, et fideliter. Plus valens, quam tot castra Calcedonium, quot sunt guttae maris: esto quodlibet esse ita magnum, sicut Romana civitas. Quinimo adhuc omnibus istis major est, quanto quodlibet castrum est majus minimo suo lapide. O amantissimi nonne quaeso si solum unum tale castrum darem cuicumque mundi peccatori, me amaret, et meae voluntati obediret etiam in difficillimis? Signanter si ei darem quolibet die tantum praeclarum encennium: sic absque dubio. Amplius: numquam quaeso Regina Misericordiae, fons et radix clementiae, fundamentum, et principium pietatis intimae, erit durior parvulo ramo, aut palmite habente humorem de arboris radice, quia eidem parumper participat? Numquam diffidendum erit de tanta Virginis clementia? Absit, quia participans non est majus participato, nec principatum principio, nec derivatum origine, secundum Dionys. Areopagitam, et Boetium. Indubie ergo habebitis tantum amaret, quantum unquam Herodias amabat Herodem: quorum sepultura Lugduni in Francia dicitur duorum amantium: adhuc quippe amplius Maria Psalterium suum diligit. Quia secundum Chrysost. super Marthaerum: minima Dei gratia, major est tota natura, etiam si infinites esset augmentata? Qui ergo vultis ditari, et misericordiam in praesenti, et gloriam in futuro recipere: studiose offerre Virgini Mariae dietim hoc Psalterium.

Septima laus sacrae paginae, gloriosissimi sapientiae professores, est: quod in septima distinet, tertii senten, ex esse, et fieri Christi in Virgine Maria Sponsa Dei Patris docet nos offerre eidam Reginae Desponsationis Sanctae septimum lapidem pretiodum septimae lapifodinae hujus rupis Salutationis Angelicae sc. *Smaragdum* cum dicitur *Tu*. Cujus declaratio talis est. Quia Smaragdus, secundum Isid. et Albert: principatum obtinet gemmarum viridium; et habet corpus speculari, generatq. radium **ungentem** virore cuncta astantia, susceptivusque est imaginum; adeo ut Imperator olim cerneret luctantes in Smaragdo. Et amplius causat laetitiam fugando tristitiam: dabaturq. Sponsae Regali quondam in annulo subarrationis. Quae omnia perfectissime conveniunt Virgini Mariae. Nam ipsa est *Tu*, quod est pronomen reddens suppositum verbo secundae personae; et demonstrat, et refert. Quoniam, secundum Albert. Reddit Virgo Maria suppositum novem mensibus filio Dei ipsum in suo utero gestando: demonstravit, quod nobis filium Dei visibilem, qui ante fuit invisibilis referendo ei nunc nostras necessitates tanquam propria Advocata. Insuper fuit viridi colore viridata omnium virtutum: in qua sicut in speculo refulsit tota Trinitas, secundum

Bern. radioque filii sui D. N. Jesu Christi per fidem in Baptismo colorat totum mundum, eum (((p.158))) vestiendo veste nuptiali, fugando tristitiam per Spiritus Sancti laetitiam, quam habuit cum desponsata Patri Regum summo Regi, cui Christum Jesum genuit pro redemptione mundi.

Sed fortassis libenter inquires: Quantum valet hic Smaragdus Desponsationis *Tu*? Ad quod dico breviter. Plus valet quam omnes montes mundi, etiam si essent aurei: immo multo amplius, quanto omnes montes simul plus sunt, monte minimo. Et ulterius, quia secundum Doctorem sanctum, merita gratiae excedunt bonum totius naturae. O igitur, qui amatis divitias: cur huc non venitis ad immensas bonorum copias? Qui diligitis dignitates, cur non acceditis ad tam nobilem Mariam Principissam omnis dignitatis? Qui cupitis libertatem: cur statis, quia pericula vobis imminet: au non videtis retro, mortem jaculum super vos vibrantem? Fugite ergo citius ad Psalterium Desponsationis Salutationem sc. Angelicam. Nec rogo unquam de salute diffidatis, quoniam si Antichristo darentur tanta clenodia: ipse dantes promoveret secundum sua volita. Confidite ergo in Mariam. Quia si nequissimus bona facit sibi dantibus, secundum August. maxima bona Maria conferet, sibi numerata donantibus. Sicque habebitis coronam infinitas multiplicatam ex Smaragdis Angelicis.

Octava laus Theologiae, honorandissimi Domini: est, quod in distinctione octava tertii sentent. ex Virginea Nativitate filii Dei ex muliere, Virgo Maria docet nos offerre eidem Reginae Virginum octavum lapidem octavae lapifodinae Rupis Salutationis Angelicae, qui est *Sardonix* lapis sc. honestatis, cum dicitur. *In Mulieribus*. Ratio cujus est in procinctu. Quoniam secundum Isidor. et Albert. Sardonix est triplicis coloris sc. nigri, rubei, et albi: de cera nil attrahens, cum de eo fiunt sigilla: fugatque luxuriam, et humilem reddit hominem, et pudicum, honestum, atque gratissimum. Quae omnia secundum August. debent convenire mulieribus, et signanter virginibus, quarum Imperatrix, et Regina est Virgo Maria, quae triplicis coloris fuit, nigri in humilitate: rubei in passione Christi: et albi, in gratia, et gloria: Estque sigillum Trinitatis, quo, secundum Bern. peccatores sigillati intrant regnum coelorum, habentes literam sigillatam de remissione omnis offensae: Facitque, secundum Augustinum sibi servientes castos, humiles, pudicos, et coram Deo et mundo honestos, quia non est possibile esse continuo ad ignem, et non calefieri: et in fonte aquarum, et non halnari aut in horto aromatum, et odoribus non perfundi. Haec ille.

Sed fortassis quaeris. Quantum valet hic Sardonix honestatis sc. *In Mulieribus*? Ad quod dico velociter. Magis valet oblatione Abraham. Isaac, et Jacob, qui Deo plurimum placuerunt. Quoniam Salutatione ista Angelica mundus est promeruerunt singula beneficia, secundum Doctorem Sanctum. Quinimmo dico, quod plus valet Scala Jacob. **F sto** quod essent tot scalae aureae, vel argenteae quot sunt in munde paleae; ut merito per istam scalam melius, quam (((p.159))) per scalam Jacob in coelum ascendatur, quoniam illa fuit figura: ista autem Angelica est veritate plena. O igitur Colendissimi Domini, nunc advertamus quanta est hominum insipientia, qui tanta in se habent bona tam propinqua, tam facillima, et salubria, quae tamen contemnunt in periculum summum. Quis, quaeso, si videret lupum venientem, aut hostem invadentem, aut fluvium inundantem: non vellet scandere scalam? Cur ergo non ascendetis hanc scalam honestatis in ea confidentes? Quomodo si solum lapidem unum daretis anno quolibet pro homagio Diabolo? Saepe ad vota vobis subveniret: et quanto amplius daretis tanto facilius, et promptius, et copiosius vobis succurreret: ut manifestum est in artibus Magicis, ut tandem vos secum haberet: Cur ergo non magis, Virgo Maria (quae est Regina honitatis) nobis subveniet ad vota in praesenti, et pertrahet secum in futuro cum in infinitum majora, ut patuit, in hoc Psalterio ai offeramus dona? Ni forte dicamus: Diabolum magis fore pium Virgine Maria, quod procul sit tanquam haeticum a tota Ecclesia. Nec mirum o charissimi: quia ipsa sola plus amat quemlibet psallentem sibi: quam cuncti doemones inferni similes sumpti amant quodcumque amabile mundi. Sed illi nullatenus per se vellent carere tali amabili. Ergo multo minus Virgo Maria juste non poterit carere, quin salutem det suo Psalti. Quod manifeste pater ex dictis Aug. quia *minimum Regni coelorum, majus est toto Regno inferorum*. O igitur vos omnes, si vultis ditari Sardonibus in infinitum, et ex illis coronari, habendo gratiam honestatis: salutate Virginem Mariam in hoc Psalterio, quia est Regina summae honestatis, habens in se honestatem, in totam Ecclesiam diffusivam, gubernativam, et conservativam.

Nona laus Theologiae est: quod in nona distinctione tertii sententiarum ex benedictissima adoratione, quae filio Dei debetur, docemur offerre Reginae honoris, et gloriae nonum lapidem Benedictionis, et prosperitatis omnis, ex nona lapifodina almae hujus Rupis Ang. Salutationis, qui dicitur: *Sardius*, et tangitur cum dicitur. *Et Benedictus*. Cujus declaratio sic aptatur. Nam *Sardius* secundum Isidorum, et Albertum Magnum de natura lapid, *est rubei coloris, sive sanguinei, ad modum terrae rubeae, qui impedit malitiam anichim, removendo metum, melancholiam, et tristitiam: conferendo gaudium, laetitium, et audaciam: reddendo securum ab incantationibus, et dando prosperitatem contra adversa imminetia*, secundum Lapidar, et hac dispositive. Hujusmodi autem pertinent ad Dei Benedictionem prosperam quam habuit Virgo Maria in se. Quoniam ipsa fuit rubei coloris in passione, secundum prophetiam Simeonis. Impedivitque malitiam onichini, idest Diaboli, qui terrores, et metus desperationis, secundum Orig. in hominem immittit: gaudiumque confert, laetitiam, et

audaciam suis pugilibus, secundum Bernard, lacte eos consolationis gaudenter fortificando. Securitatem etiam suis praestat contra incantationes errorum, haeresim, et mundi deceptionem, qui (((p.160))) mundus totus plenus est, secundum Chrys. incantationibus. Neo immerito, quoniam genuit haec Virgo filium Dei Benedictum, Dominum omnis prosperitatis. Quapropter ipsa Virgo *Maria regina est prosperitas*, secundum Anselm *distribuens adversa, aut prospera prout vult*. Argumentum quare sic est honoranda; quia Imperatrix est prosperitatis; quam naturaliter omnes appetunt, secundum Senec. et Tull. ac pro viribus honorant, ut patet in potestatibus, artibus, ac scientiis, ideo etc.

Sed fortassis scire vultis. Quantum valet iste lapis Sardius? Ad quod respond. Plus valet tabernaculo excedebat minimam pellem caprinam, tabernaculum tegentem. Et ultra: quia secundum Doctorem Sanctum, *quae sunt divina improportionabiliter excedunt corporea*. Merito ergo a cunctis Virgo Maria sic est laudanda. Nec vero tyrannus crudelis, nec Dacianus saevissimus, aut Dei similes, immemores forent eorum, qui dietim eis talia tabernacula offerrent: multo igitur minus hujus tanti beneficii erit immemor tam pia Virgo Mater Dei. Quoniam illa plus quemlibet suum psalterem amat quam quaecumque magistra unquam suum amaverit discipulum. Immo si mundi mulieres omnes essent tuae magistrae, amantes te singulariter quantumcunque sibilla aliquam amavit discipulum, quod multum esset, adhuc ipsa clementissima Maria plus amat te, sibi sic in Psalterio suo psallentem. Amplius quanto omnes simul sumptae plus sunt una sola: quoniam secundum Albertum Magnum super primum sententiarum: *Dilectio naturaliter non pertransit naturam*: dilectio autem gloriae minima attingit divinam essentiam, quae est infinita. Et eadem ratio est Doctoris Sancti. Sed nulla istarum Magistrarum vellet te pati infortunia, immo vellet te habere prospera: et salubria sibi psallenti Psalterio suo impetrabit indubie Virgo gloriosa. Confide ergo o Psalter V. Mariae, quia ratio, scientia, sensus, experientia, fides, spes, charitas, et justitia, pro te bellabunt, et victoriam obtinebunt; ut habeas, si perseveraveris cuncta salubria, et prospera; intercedente semper pro te Virgine Maria, cui servis in Salutatione Angelica.

Decima Theologiae laus eximia, o carissimi Virg. Mariae Reginae coeli laudatores, et oratores, est, quod in 10. dist. Tertii ex fructuosa personalitate, filiatione, et praedestinatione fructus Virginei docet nos offerre decimum lapidem pretiosum ex decima lapifodina Rupis hujus altissimae Salutationis Angelicae, eidem Virgini gloriosae nutrice generali totius mundi: ut nutriamur cunctis fructibus ab ea, qui lapis dicitur *Chrysolitus*, et tangitur cum dicitur *Fructus*. Cujus clara est haec expositio. Quoniam secundum Isid. et Diosc. et alios lapidarios expertissimos, *Chrysolitus est lucens in die sicut aurum, in nocte emittens scintillas. Ideo dicitur Chrysis, quod est aurum*. Fugaque doemonia, timores (((p.161))) nocturnos abigit, melancholiam pellit, audacem, et imperterritum in adversis reddit: atque intellectum confortat phantasmata in melius commutando, quia omnia important quandam hominis refectionem, atque confortationem, quod fit per fructum. Ut merito Chrysolitus dicatur fructus V. Mariae, quoniam ipsa in die lucet, ut aurum per sapientiam, quam mundo genuit, secundum August. nocteq. emittit scintillas igneas, peccatores inflammando visceribus suae charitatis, secundum Bern. daemonia fugando, timores nocturnos, et melancholiam pellendo, qui contrivit caput serpentis, et ejus potentiam, secundum Hieron. Confortatq. intellectum, propagando scientiam humanam, et divinam, et fidem praecipuam, secundum August. conferendo fidelibus tanquam nutrix optima, fructum suum sc. Dominum, et filium Jesum Christum, in mensa Ecclesiae ponendo panem corporis filii sui in cibum, et sanguinem ejus in potum, quibus reficiuntur; et tandem in convivium Angelorum perduentur. Qui ergo vult habere centuplicer tales Chrysol. et fructum carpere aeternum, recreariq. mente, et corpore in cunctis Dei beneficiis: dietim V. Mariae Chrys. hunc Trinitatis, sc. *Fructus*.

Sed fortassis scire velis quanti hujusmodi lapis est pretii Chrysol. Mariae Virg. oblatus cum dicis ei *Fructus*? Ad quod certissime respond. Plus valet toto regno, et templo Salomonis, quanto unum totum regnum majus est parvula petra, aut trabe regni illius, et amplius: quia secundum Orig. in homel. quod minimum putatur gratiae Dei, praestantius est maximo hujus caduci mundi. Cujus ratio superius satis est exarata. Merito igitur sic laudanda est gloriosa Virgo Maria. Cujus argumentum est in promptu manifestum: quia omnis nutrix naturalis, moralis, et divinalis, a suis nutritis merito est laudanda omni jure. Quod si laudata fuerit Virgo Maria lapidis hujus oblatione, non ingrata erit. Quoniam si mors tanta dona haberet a viventibus naturalia, quanta offerimus Virg. Mariae, cum dicimus, *Fructus*? Nunquam mors ultra quempiam perimeret hominem. Aut ergo Virgo Maria morte erit crudelior, quod non est dicendum; aut Psalter suos ducet ad vitam. Cujus signum evidentissimum est: quoniam, secundum Bernard. *In immensum plus amat unumquemq. nostrum, tanquam socia carissima quam quicumque vivens hic seipsum*: sed nullus vult sibi ipsi mala, immo omnia bona: igitur a fortiori Virgo Maria confert nobis fructum, et quaeq. bona, removendo mala quaecumque.

III. QUINQUAGENA

Offerendo pro I. Berillo Maternitatis Dei. II. Topasio Thesaurizationis. III Chrysopasso Salutis. IV. Hyacintho medicinae. V. Amethisto Veritatis.

Undecima laus Theologiae dignissima, o laudabiles Virg. Mariae discipuli, est, quod in 11. dist. tertii de Creatione Christi secundum ((p.162)) naturam assumptam in ventre Verginali Matris Dei, laudabilissime nos docet, ei debet offerre undecimum pretiosissimum lapidem, ex undecima lapifodina Rupis hujus Angelicae Salut. laetissimae, qui dicitur: *Berillus*, et tangitur cum ei offerimus *Ventris*. Cujus statim manifesta habetur declaratio, quoniam secundum Albert. et Bartholom. et Avic. *Berillus est lapis Indicus, et Viridis, qui non nisi secundum figuram sex angulorum ex lumine solis lucet*. Habens decem species, valetq. contra hostium pericula, et contra lites reddit invictum, adurendo manum se gestantis si soli opponatur, magnificatq. hominem et amorem diligit conjugalem dans virtutem faecundativam. Quae omnia nomine *Ventris* in Virg. Maria gloriosa excellentissime sunt contenta. Quoniam Virgo Maria est lapis Indicus Orientalis; quia tota fuit divinalis, secundum Ambros. Est viridis, quia cuncta opera sua sine morte peccati fuerunt vivacissima, secundum Ang. Lucet secundum figuram sex angulorum, quia in ipsa fuerunt mirabilissima hospitata sc. Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus, caro Christi, et anima, cum gratia, et gloria infinita: ex quibus Virgo Maria habuit refulgentiam immensam immo, et infinitam, secundum Doctorem Sanctum: Protegit etiam contra pericula hostiam tam visibilium, quam invisibilium, quia secundum Aug. ipsa Domina est bellorum. Invictumq. reddit contra lites conferendo injuriatis veram patientiam secundum Bernard. Adurit etiam manum gestantis; quia opera nostra cuncta facit ignea secundum Sanctum Odilionem Cluniacensem. Ipsaq. magnificata fuit conceptione tali, supra omnem creaturam, secundum Doctorem Sanctum. *Adeo ut Deus non posset facere, ut pura creatura major sit Dei Matre*, Amavitq. amorem conjugalem, non carnalem, sed divinalem, quia sponsa propria fuit Dei Patris, quo habuit faecunditatem infinitam, qua potuit generare filium Dei infinitum, et sic Mater Dei fuit. Merito igitur sibi est offerendus Berillus Maternitatis Dei, quia *Ventris*. Et ab omnibus juste sic est semper honoranda. Cujus brevis est ratio: quia *Mater Regis Regum dignissima omni jure est a cunctis honoranda*, teste Bern.

Sed fortassis dubitas. Quantum valet hic Berillus *Ventris*? Resp. Plus tibi prodest, quam si qualibet die daretur tibi Imperium Romanum, quod nullo modo velles dimittere. Multo ergo minus dimittere debes regnum, et imperium Psalterii Virg. Mariae. Quoniam secundum August. *minimo invisibilium comparari non valet, maximum visibilium*. Lauda igitur hanc laudabilissimam Mariam in Psalterio suo, nam tibi non erit ingrata. Si enim terra irrationabilis, semen unicum suscipiens, reddit centuplum: quomodo Virgo Maria quae est terra Trinitatis, suscipiet senem tui Psalterii, non reddendo tibi centuplum? Ni forte (quod absit) dicatur quod terra foecundior est Virgine Maria. Cujus manifesta est haec confirmatio. Quoniam prout ipsa Domina nostra Virgo Maria aliquoties revelavit: *tantum amat quemlibet peccatorem sibi servientem, ut ipsa, quantum in se est, vellet dimittere gloriam ((p.163)) suam usque ad finem mundi, et pro ipso agere paenitentiam in hoc seculo, inquam, praesenti, antequam ipse damnaretur*. Quod mirum est dictu sed tamen fidei consonum; quia tantum amat divinum honorem, ut omnino vellet impedire peccatum, quantum in se est, quod est contra divinam reverentiam: ut potest patere per regulam oppositam. Si ergo vultis eam habere in matrem, et jure haereditatis gaudere filiorum: offerte Berillum Maternitatis divinae Mariae, Psallendo quotidie Psalterium **cuis**.

Duodecima Theologiae laus mirabilis o mirabiles Theologiae zelatores, est: quod in 12. distinctione tertii ex quatuor defectibus humanis, communibus a Christo possessis, docet offerre Virginis Mariae Thesaurariae omnium divitiarum Trinitatis Deificae duodecimum lapidem pretiosum duodecimae lapifodinae hujus Rupis divinissimae Salutationis Angelicae, scilicet *Topasius*, qui est lapis thesaurizationis, tactus cum offerimus Matri Dei, *Tui*: Cujus praeclara in promptu habetur ratio: Quoniam Topasius secundum Isidor. *est lapis aurens, et coelestis coloris: varius in modis, et speciebus, quo nihil clarius in thesauris Regum est repositum, sequiturque lunae cursum in claritate, et aliquali obscuritate: dominatur doloribus capitis, et contra lunaticam passionem valet, mortemque impedit subitanam*. Ut merito per *Tui* pronomen possessivum tanta possessio detur intelligi: quae in summo convenit Dei Genitrici. Nam ipsa fuit coelestis coloris: quia coelestis conversationis, secundum Bernard. aureaq. In exemplo hene vivendi, teste Hieron. Quae habuit thesauros omnes in arca sui *Ventris* Verginal. nobilissima, Filium Dei Patris, *in quo sunt omnes thesauri sapientiae, et scientiae absconditi*, secundum Apost. Sequitur cursum lunae eam imitando quae Ecclesiam militantem defectivam imitatur, se illi conformando: ejus bona, vel miseras coram Deo propria reputando, tanquam carissima Advocata, secundum Bernar. Dominaturque humoribus, refrenando luxuriam, et gulam: *quia speculum est totius abstinentiae, et continentiae*, secundum Ambros. Passionem aufert lunaticam: quia de fatuis, et rudibus, et simplicibus, secundum Bernard. novit facere sapientissimos et doctissimos. Impeditque

mortem subitanam: quia a morte mala liberat, cum sit Regina vitae, secundum Fulgentium. Marito ergo omnes laudare debent tantam thesaurariam hoc lapide Topasio. *Tui*. Cujus ratio brevissima est. Quia omnis thesauraria omnium honorum summe sui communicativa, et suorum distributiva, summa est a cunctis honoranda, quia summa ab illa suscipiunt bona. Sed quilibet qualibet die centies, et quinquagesies a Virg. Maria bona divina recepit, sc. in quinque potentiis exterioribus, quae sunt visus, auditus, olfactus, gustus, et tactus. Et in quinque interioribus, quae sunt sensus communis, imaginativa, phantasia, aestimativa, et memorativa: Et in quinque potentiis superioribus sc. in intellectu, voluntate, appetitu concupiscibili, irascibili, et in potentia motiva. Quamlibet autem harum potentiarum dirigit Virgo Maria secundum decem Dei mandata, (((p.164))) quantum in se est, et sic sunt quindecies decem bona, idest, centum, et quinquaginta.

Sed fortasse scire cupis quantum valet hic Topasius thesaurizationis, *Tui*? Ad quod respond. Plus valet quam omnis mundisapientes scire, cogitare, vel dicere possint. Nam omnes memoriae mundi lapidi huic Topasio comparatae, non sunt nisi coenum. Quia secundum Hier. *quae hic sunt pretiosissima, celestibus comparata, sunt contemptibilissima, et abominabilissima*. Si ergo vis dives effici tam in bonis mundanis quam divinis, cur quolibet die tibi non acquiris centum, et quinquaginta Topasios tam praeclaros, ut dictum est? Ne quaeso putaveris Mariam ingrati fore, cum tanta a te dietim susceperit bona. Quoniam si natura tantum daret ex parte ovium animalibus rapacibus, lupis, sc. et leonibus, nunquam lupi oves devorarent, nec accipitres columbas, nec leo cervos, sed omnia sibi essent communia. Vel ergo Maria fons pietatis erit durior natura, contemnes coelica dona (quod a tam pia Domina procul absit) vel dabit pacem, et bonorum abundantiam. Cujus argumentum in promptu satis est clarum: quoniam ipsa plus amat quemlibet Psaltem suum jure naturali, divino, et humano, tamquam mater, quam credere possit, aut dicere totus iste mundus corporens, ut aliquotiens ipsa pia Virgo Maria revelavit. Cum ipsa etiam sit magis subjecta juri naturali, divino, et humano, tamquam mater, quam credere possit, aut dicere totus iste mundus corporeus, ut aliquotiens ipsa pia Virgo Maria revelavit. Cum ipsa etiam sit magis subjecta juri naturali, quam quicumque vivens. Et jus naturale est, quod quilibet debet facere aliis, quod sibi fieri vellet, et nunquam alteri facere quod sibi fieri nollet. Sed si ipsa esset vivens hic, vellet adjuvari ad habendum coelestia totis viribus, et ut suae orationes audirentur: et ab omni malo liberaretur, signanter damnationis: ergo jure naturali debet indubio salvare eos, qui dietim solent eam in Psalterio suo sic salutare, et ab omni malo impeditivo salutis penitus eripere.

Tertiadecima laus Theologiae nobilissima, o nobiles sacrae Theologiae cultores, est, quod in 13. distinctione tertii, de triplici gratia totius mundi Salvatrice docet, universos Christocolas tertiumdecimum lapidem pretiosissimum lapifodinae hujus Rupis coelicae salutationis Angelicae accipiendum, et V. Mariae Reginae Salutationis fidelium devotins offerendum qui lapis dicitur *Chrysopassus*. Et tangitur ibi *Jesus*. Cujus ratio est: quia secundum Albert. Magnum, et Lapidar. *lapis iste nocte est igneus, et die aureus: salvans a timoribus, et erroribus, et angustiis, praecord. faciens clara et ordinata*. Quae omnia plane importantur nomine devotissimo *Jesus*. Quoniam *Jesus* interpretatur Salvator, secundum Hieron. qui nocte est igneus, quia nocte tribulationis suae passionis, secundum Ambrosium, terrena, inferna simul, et coelestia charitatis igne inflammavit. Sed die resurrectionis fuit aureus, supra solem refulgens. Hic salvavit a timoribus, et terroribus, et angustiis damnationis mundum, secundum Basilium, illuminavitq. corda fidelium in die sancto Pentecostes, secundum fidem Catholicam: et praecordia peccatorum, secundum Bernardum, *dudum (((p.165))) mortifera, et foedata, sua passione reddidit sana, et salvifica*: merito igitur (quia Virgo gloriosa est Mater Jesu): Mater est redemptionis: Domina est salutis, et Regina liberationis, secundum Maximum in sermone. Itaque ab omnibus omni jure Virgo Maria in B. Psalterio salvifico est laudanda: cujus ratio assignari potest notissima, quia omnis Regina salutis omnium quoad naturam, mores, et gloriam ab universis digne est Virgo Maria, igitur etc. Confirmatur per Prophetam, quia majoribus, et benefactoribus omni jure honores debentur.

Sed fortassis ignoras valorem istius Chrysopassi, *Jesus*. Quod fidelem nescire turpissimum est, imo et periculosissimum. Idcirco petis, quantum valeat? Ad quod respon. Sed plus valet, quod si omnes arenae maris, et creaturae mundi essent conversae in mundos huic mundo aequales, vel majores, valere possent. Etiam si essent siderei, sive aurei. Quoniam *Jesus* tantum valet, quantum est, quia valor rei ex suo esse pendet, secundum Prophetam. *Jesus* autem est actu Ens infinitum: igitur valorem actu habet infinitum. Nec suspiceris piissimam Virginem Mariam tanto lapide sibi praesentato, tibi fore ingrati: quoniam si parvus ignis maximum potest consumere montem, aut civitatem: multo magis iste ignis *Jesus* infinitus (quia *Deus noster Jesus ignis consumens est*.) valebit succendere Virginem gloriosam ad nostram salutem, et gloriam, et amorem. Nisi dicatur (quod absit) quod ignis parvalus plus possit in montem, quam *Jesus* supra Mariam. Confirmaturq. amplius. Quoniam ipsa tantum diligit quemlibet sibi psallentem in hoc Psalterio: quod potius vellet pati quantum in se est (ut fidelissime revelavit) poenas omnium minimum, quam relinquere eum damnandum. Cujus haec est ratio. Quia ipsa secundum Dei mandatum diligit proximum quemlibet praesentis vitae ex toto corde, ex tota anima, ex tota fortitudine, et viribus, sicut seipsam, alias frangeret divinum mandatum charitatis; quod solum in coelo est perfecte complendum, secundum Bern. O vos igitur omnes sic

dilecti a Virg. Maria, sic amati ab ea, cur eam non diligitis? Et si diligitis, cur eam tamdiu contemnitis, ut in Psalterio suo vobis salutifero servire ei postponatis? Minimum diligentem vos mundanum diligitis, et tantam Dominam, tam pulchram, tam amaenam, et in immensum generosam, et vos in infinitum amantem spernitis? Videte ne forsitan cras (quod absit) retro per mortem ruatis; quia nescitis diem, neque horam. Sed festinantius servite illi in hoc Psalterio, ut dietim habeatis centum et quinquaginta Chrysopassos pro vobis, et pro vivis, et pro defunctis totidem salutes, et totidem salvationes, ut sic coronati perveniatis ad Hierarchias coelestes. Amen.

Decimaquarta laus Theologiae optima, o optimi sacrae paginae sectatores, est, quod in dist. 14. tertii sententiarum, quae est de sapientia, et potentia Christi, quibus Christus mundum unxit, et sanavit vulneratum, docet universos accipere quartumdecimum lapidem pretiosum, ex decimaquarta lapifodina hujus Rupis omni **((p.166))** potentissimae Salutationis Angelicae: et eum offerre Virg. Mariae Reginae, et Dominae universarum mundi medicinarum, qui lapis dicitur *Hyacinthus*. Et tangitur cum additur *Christus*, ad differentiam quorundam magnorum virorum, qui dudum nomine Jesus nominati sunt. *Hic autem* secundum Isid. et Albert. *secundum auram mutatur, sicut si serena aura est, serenus sit, si clara, clarus; si obscura, obscurus, et nubilosus: in nubilo conferens laetitiam: pestilentiam aeris expellens: confortatque membra, et repellit venena, in quibus maxima vis medicinae consistit.* Quae omnia sufficientissime hoc nomine *Christus* importantur, qui, secundum Hieron. dicitur quasi *unctus*, quia unctus est gratia Deitatis, et unctionem confert Sacramentorum, secundum Hieron. *nae Sponsae*, quae est Ecclesia militans, juxta illud Cant 1. *Trahe me post te, curremus simul in odorem unguentorum tuorum.* Ex quo manifeste patet, quod ista permaxime conveniunt Virg. Mariae, quae est mater talium unctionum saltem ratione filii. Nam ipsa mutatur secundum aurae mutationem per compassionem misericordiae ad nostram fragilitatem, secundum August. Confortatque laetitiam, contemplationis, et devotionis hujus, qui contemplatur facta Deitatis, Incarnationis, et Christi Passionis. Pestilentiasque luxuriae, blasphemiae, et destractionum, quibus aer etiam iste inficitur, propellit: confortatque membra, idest potentias naturales sibi servientium, secundum Bern. praestando eis bonum ingenium, firmam memoriam, suum secundum August. quia caput serpentis antiqui conterit in omni genere peccati, ut sit merito fons omnium medicinarum, et Domina sanans omnes infirmitates nostras. Merito ergo tanta Domina a cunctis est in Psalterio dietim laudanda. Primo, quia medici sunt honorandi, secundum Sapientes. Secundo, quia omnes sumus aegroti. Tertio, quia homines, si qui sunt sani, non valent perseverare nisi tantae medicae auxilio. Laudate igitur eam omnes in hoc Psalterio, centum, et quinquaginta infirmitates humanas.

Sed fortassis dices: Modici valoris est hic lapis *Hyacinthus Christus*. Quia forte nil sapit tibi, nam semper aridus es. Sed fideliter respondeo, et breviter, quod si Deus nil valet, nec lapis iste valebit. Si vero Deus in infinitum valet, in infinitum lapis iste valebit. Tantusque est valor ejus, ut si totum mare esset atramentum, et coelum papyrus, et virgultae arboris calami et arena manus, nequaquam comprehendi posset valor *Hyacinthi medicatissimi*, qui dicitur *Christus*. Nihilominus ne desperes de acceptione hujus a tam pia Vergine, quoniam si stella claritati solis resistere non potest: nec Maria claritati Christi oblata resistere valet; sed tota in toto amore, et cognitione, ubique et semper secundum Bern. ad Christum trahitur. Cujus plena est confirmatio. Quoniam ipsa tantum diligit quemlibet offerentem sibi hanc Salutationem, ut quantum in se est, cor suum citius traheret **((p.167))** de corpore suo pro eo, quam quod damnetur mortali peccato. In ipsa itaque est tanta charitas, certa, et summa scientia, et potentia, secundum August. ergo quos tantum amat, salvare poterit. Quia sua potentia fundata est in sua charitate summa, et ab ea regulata, cum sit effectus ejus dignissimus: poterit ergo salvare, quos tantum amat: alias suum amare non erit perfectum: quia haberet posse deficientissimum. Et corroboratur secundum testimonium Bernard. *Opus divinae clementiae positum est ad plenum in manus Mariae.* Et expresse idem dicit Hieron. *Signum ergo sit tibi probabilissimum aeternae salutis, si perseveranter in dies eam in suo Psalterio salutaveris.*

Quintadecima laus Theologiae pulcherrima, o piissimi sacrae paginae sectatores, est, quod ex imperfectionibus coassumptis tam ratione animae, quam ratione corporis in speciale ratione possibilitatis, secundum veritatem, et humanam, et gratiosam, in 15. dist. tertii, docet universum mundum Virg. Mariae Magistrae, et Dominae veritatis universae offerre pretiosissimum lapidem quintumdecimum, ex decimaquinta lapifodina pulcherrimae Rupis hujus Salutationis Angel. qui dicitur *Amethystus*: qui est lapis Veritatis, et tangitur in *Ave Maria*, cum dicitur, *Amen*. Quoad *Amen* tantum valet, sicut verum est, secundum Hier. Cujus appropriatio in promptu clare constat: quia secundum Isid. et Alb. Magn. et Lapidar. *Amethystus est lapis pretiosissimus, princeps gemmarum purpurearum, quia est vinolentus, valens contra ebrietatem impediendo ne veniat, aut habitam faciens, ut deficiat, somnolentiam expellendo, malam cogitationem fugando, et phantasiam, intellectum bonum conferendo per insecutionem veritatis, et declinationem falsitatis.* Quae omnia plenissime sunt facta in Virg. Maria. Nam primo princeps est lapidum purpureorum, idest Martyrum, qui sanguine suo fuerunt purpurati, secundum Hieron. Removet ebrietatem gulae, suis psaltibus perfectam conferendo abstinenciam, et sobrietatem; cujus est Domina, secundum August. Depellit etiam somnolentiam

acediae, et pigritiae, conferendo spiritualem laetitiam, et diligentiam, quarum secundum Bernar. ipsa est mater dignissima. Malamq. cogitationem, et phantasiam expellit: quia est lux animarum, secundum Hieron. Conferat bonum intellectum insequende veritatem, et deferendo falsitatem, quia Mater est ejus qui est via, veritas, et vita, secundum fidem Catholicam. Ut merito secundum veritatem fidei per viam bonae operationis perducat ad vitam gloriae, quae est finale *Amen* totius Ecclesiae militantis. Merito ergo a cunctis haec piissima Maria in suo Psalterio per Amethystum *Amen* est laudanda, et honoranda de die in diem in aevura. Cujus ratio est manifesta: quia veritas inter omnia, secundum August. est honoranda, colenda, et collaudanda summe, cum sit secundum Doctorem Sanctum, *objectum nostri intellectus, finis, principium, et medium*. Sed fortassis peteres, si audares quantum valet hic lapis veritatis (((p.168))) Amethystus per *Amen*? Ad quod breviter, et fideliter respond. Plus valet, quam valere possunt quaecumque humanitus concupiscibilia in praesenti vita a cunctis hominibus, sive sint regna aurea, sive mundi pretiosi, aut quodcunque aliud concupiscibile mundanum. Ideo merito dicitur Esdrae, *Magna est veritas, et praevalet omnibus*: quia secundum Doctorem Sanctum. *Veritas habet bonitatem infinitam*; tam quia Deus Veritas est per essentiam. Confidite ergo carissimi in hoc psalterio virginali, quoniam si tantum bonum esset conveniens Inferno, et susciperetur ab Inferno: Infernus nequaquam posset quosque damnatorum ulterius tormentare, quia tale bonum vim Inferni penitus evacuaret. Aut ergo Virgo Maria tantum bonum a suis psalibus dietim centies, et quinquagies suscipiens, crudelior erit Inferno, quod est haereticum cum nulla pura creatura sit magis pia in quocumque casu, Virgine Maria, secundum August. et Bern. quia *proximior est divinae charitati, quae est pietas per essentiam*; aut indubie dabit nobis salutem, alias injusta esset, si tanta bona suscipiret, et non tanta, vel majora praestaret, ut arguit August. in serm. quodum de divina misericordia contra negantes remissionem peccatorum. O igitur vos omnes salutis vestrae amatores, servite Virg. Mariae in Psalterio suo Evangelico. Primo ut habeatis centum, et quinquaginta Rupes, in quarum qualibet erant 15. lapifodinae infinitorum lapidum pretiosorum. Secundo, ut obtineatis centies quinquagies 15. dona pulcherrima a Virg. Maria, quae sunt innocentia, sapientia, gratia, pulcheritudo, nobilitas, liberrima misericordia, esse filium Dei, et Virg. Mariae, honestas, et prosperitas, refectio, universalis conservatio, nutritio a Dei Matre, omnes divitiae, perfecta salvatio, sacramentorum acceptio, veritatis finalis, et beatae vitae consummatio. In quibus omne concupiscibile continetur sufficientissime. Quia, secundum Bernar. et Albert. Magn. totum antiquum, et novum Testamentum, immo universus mundus in Salutatione Angelica est comprehensus. Tertio, ut Virgo Gloriosa, cum Filio suo in tantis excellentiis juste honoretur pro meritis. Quarto, ut a centum, et quinquaginta malis oppositis, dietim libereris. Quinto, ut tota Ecclesia militans, coronetur per te centum, et quinquaginta coronis. Sexto, ut fidelis defuncti, a centum et quinquaginta malis oppositis poenibus per te liberentur. Septimo, ut Sancti in patria gaudeant centum, et quinquaginta gaudiis. Octavo, propter centum, et quinquaginta gaudia, quae habuit Virgo Maria in Conceptione, et Nativitate filii sui, quae aliquando revelavit eadem Virgo, et singillatim nominavit. Nono, propter centum, et quinquaginta dolores quos ipsa in passione filii sui habuit. Decimo, propter centum, et quinquaginta gaudia quae nunc habet in coelo super omnes Sanctos. Undecimo, contra centum, et quinquaginta peccata, quae communiter currunt in mundo; quae etiam nominavit. Duodecimo, propter centum, et quinquaginta pericula, quae sunt in morte. Tertiodecimo, propter (((p.169))) centum, et quinquaginta terribilia, quae erunt in iudicio contra peccatores. Quartodecimo, propter centum, et quinquaginta beneficia, quae sunt communicata mundo per filii Christi Incarnationem. Quintodecimo, propter centum, et quinquaginta privilegia specialia, quae dabantur psallentibus in hoc Psalterio tam in rebus exterioribus, quam in anima, tam in morte, quam in gloria. Unde tales ante mortem specialem optinebunt a Deo gratiam inter cunctos viventes, sicut innumeris exemplis, et experientiis certissimum constat. Quae omnia aliquoties ipsa Virgo Maria revelavit, et distincte per omnia nominavit, quorum intellectionem ex praehabitis, sapientibus relinquo investigandum. Merito igitur dicebam pro themate: *Qui convertit petram in stagna aquarum, et rupem in fontes aquarum*, idest Angelicam Salutationem in abundantiam omnium gratiarum, divinarum, et humanarum: quas ut habeatis, *Laudate eam in Psalterio*. Psal. 100. et 50. Et de primo principali, quod fuit de quindecim lapidibus Theologiae secundum quindecim lapides pretiosos spiritualiter repertos in hac Rupe altissima sc. Salutatione Angelica.

SYNOPSIS XV. GEMMARUM.

Ave Adamas Innocentiae.

Maria Carbunculus Sapientiae.

Gratia Margarita Gratiae.

Plena Jaspis Plenitudinis.

Dominus tecum Sappyhrus Dominationis.

Benedicta Calcedonius Misericordiae.

Tu Smaragdus S. Desponsationis.

In mulieribus Sardonix Honestatis.

Et benedictus Sardius Prosperitatis

Fructus Chrysolitus Nutritionis.

Ventris Berillus Maternitatis Dei.

Tui Topasius Thesaurizationis.

Jesus Chrysopassus Salutis.

Christus Hyacinthus Medicinae.

Amen. Amethystus Veritatis.

CAPUT II.

SERMO II. DOCTORIS ALANI

THEMA.

Timete Deum, et date illi honorem, quia venit hora Judicii ejus. Apoc. 14.

Hen mihi, qui de re omnium terribilium terribilissima, de Extremo sc. Judicio, instituere jubeor Sermonem.

1. Me tamen uberrimus fructus animarum, qui ad similem de eodem genere argumenti praedicationem s. Vincentii **((p.170))** per Ecclesiam est quondam consequutus. Verum qui vir ille, et quantus praedicator? Ordinis, inquam, Praedicatorum universii gloria, Ecclesiae decus, et ornamentum.

2. Accedit huc aliud, quod me ad institutum hoc persequendum, et compellit mandato, et exemplo sustentat: id quod subjecta aperiet narratio.

NARRATIO.

Alma Deipara Virgo Maria suo cuidam Sponso novello apparere pronuper dignata est, et illi aperire de extremi Judicii signis eadem, quae se ipsam olim Sponso suo s. Bernardo, pari apparitionis dignatione, revelasse affirmabit. Novissima hora est, inquit, Sponse: et malitia mundi ascedit semper, rerumq. omnium consummatio properat ad metam. Aspice ut inclinata omnia ad ruinam ultimam spectant. Quam miseranda, quam foeda omnium pene Statuum Ecclesia in sese dat facies, quantum mutata ab illa sua primaeva sacrarum Institutionum sanctimonia. Quocirca, volo ut, quae horribilissima universis superventura jam diu credidisti, tute ipse jam nunc oculis subjecta tuis, velut praesentia, contuearis: et vero hoc affirmantius, ac ardentius tanquam propediem de repente irruitura, omnium auribus, animasq. inculcanda praedices; ad sanctioris vitae rationes rite cunctis instituendas. Dixit: dictoq. citius ille novellus Deiparae Sponsus raptu altiore extra se factus, in spiritu futura judicii, coram praesentia conspicit, habetq. ob oculos humanum genus universum quicquid unquam hominum vixit, estq. victurum. Horum auem horror, pavor, et clamor tantus subito coortus in immensum crescebat, ut humanitus, dici nec intelligi, credive sat possit. Enimvero tot, talia, tanquam immania tremendi Judicii signa sese offerebant; cum quae illud essent Praecessura, tum quae Comitatura; denique, et idem quae Consequutura forent. Luctus autem tantus erat, rerumq. omnium complorata desperatio, ut nihil cuiquam melius, quam non esse videretur. Atque talium spectatorem factum Sponsum ni divina servasset virtus, illiq. tutatrix adstisset, ac vires suffecisset, non potuisset, quin absorptus desperatione periret.

Quare ut tantis malis anteveniant, inquiebat, *qui voluerint, ad sacram Anchoram, justissimi Judicis Matrem Virginem confugient, seque filio meo, mihique in Psalterio JESUS, et MARIAE devote commendare non omittant*, ac in Quinquagena prima, Judicii horribilia quinque Praecedentia meditentur: in secunda Concomitantia alia: alia Subsequentia Judicium, in tertia. Et haec uno simul intuitu Sponsus Mariae impressa menti habebat, non secus, quam si longo dedicisset.

I. QUINQUAGENA.

DE ANTECEDENTIBUS JUDICIT.

Sunt ea quinque totidem decadibus apta Psalterii. Memorare. 1. Antichristi severitatem. 2. Signorum horribilitatem. 3. Conscientiae (((p.171))) rodentis acerbitatem. 4. Terrenorum omnium subtractionem. 5. Accusationis ab creaturis diritatem generalem.

I. Terribile. Antichristi Saevitia. Vidic hunc Sponsus ille omnium mortalium reprobatissimum, potentissimum. Lege sua nova Sacrilega per vim intrusa orbi, sanctissimam Evangelii veritatem convellere, et extirpare contendit. Orbis opum, atque thesaurorum potens, ditare suos commitebatur, Christianos vero exuere universis, diris urgere tormentis, hosq. e coelo, et ex orbe exterminare. Jam diu religatus in orco Sathanas, nexibus, tunc exolvendus, suo in auxilium assiliet ministro, omni, qua poterit, arte magica, technisque ipsum imbuendo; ut etiam mira sit patraturus tanta, quae miracolorum ementita specie prodigiosa videbuntur, etsi falsa. Quo verior s. Hieronymi est opinio, quod, sicut in Christo Deus humanae sese univit naturae. Ita filio perditionis Luciferum fore uniendum: Non id quidem in unitate personae, verum in conjunctione malitiae, ac nequitiiae. Nec enim humanae illabi potest menti, nisi solus Deus. Juxta Mag. 3. dist. 7. Atque idcirco omnium in uno scelerum immanitas ita conveniet, ut par illi extiterit nil usquam Cainum longe superabit invidia, Nemrod superbia, truculentia Pharaonem, Adonibezec crudelitate: vincet exquisita malitia Nabuchodonosorem, Jeroboam, et Manassem impietate, tyrannide Antiochum, Nicanorem blasphemia: Herode erit fraudulentior, iritior Deciano, Decio cruentior, Judaeis in Stephanum saevior, omni denique immanitate flagitiorum erit immanior. Quippe potestas ejus erit Sathanae, *qui factus est, ut nullum timeat*. Heu jam nunc *Antichristi multi facti sunt*. Ut tantam a nobis pestem avertat Deus, per Jesus Christi merita, ac Deiparae deprecationem, sancte in Psalterio colendi sunt, ac saepius consalutandi per illud benedictum Ave.

EXEMPLUM.

S. Vincentius lumen Praedicatorum Familiae, et columen Valentiae, adeoq. Hispaniae, ad usq. Miraculum eximius cultor extitit Deiparae, vel inde usque a teneris annis. Quo autem in genere cultus Mariani potius quam isto Praedicatorio ad Psalterium Mariae? Cujus vi, et efficacia non solum tentationes profligavit, graves, et crebras, sed et miraculis complevit Ecclesiam, ipsamq. Deiparam cernere aspectabilem, et audire persaepe consolatricem meruit. Is quam terribilis, quamq. admirabilis fuerit extremi praedicatori iudicii, orbis sensit, hodieq. novit Christianus, quem isto perorandi argumento pene solo, ex ipsius Servatoris Jesu mandato, contremefecit, dum omnem praecipue Galliam, Hispaniam, Britanniam, Scotiam, Hyberniam, Italiamq. peragraret. Neque accursus hominum remotissimas urbes capiebant, sed aperta camporum opus erat planitie, in qua auditores ejus, de iudicio disserentis, consisterent, ut aliquando ad decem millia ad audendum eum confluisse sint visa. In quibus frequens erat videre abjectos humi multos propalam **((p.172))** sua scelera proclamare; in his etiam Judaeos convertit plures vigintiquinque millibus: Saracenos supra octona millia in sola Hispania: nisi ut plurimum Angeli circumstare concionantem; solemne illud, vel ut pluribus loqui linguis, una sola praedicans videretur, vel ut a cujuscunque nationis conventibus auditoribus intelligeretur, etiam in quantavis distantia, quo perferre dicentis vocem nulla vis naturae valisset, nisi gratiae adjuncta miraculo. Accedebant prodigia quasi familiariter innumera pulsus morbis, expulsis doemoniis, malis quibuscumque depulsis; mortuis vitae redditis, revelatis occultis, futuris, remotis. Tanta vero vis inerat iudicium praedicanti, sed major Deiparam in Psalterio veneranti.

II. Terribile. Signorum Horribilitas, ea s. Hieron. Prodit se in Hebraeorum Arcanis, reperisse quindena, nec ab Evangelio pleraq. aliena. 1. Erunt signa in Sole, qui cilicini instar sacci atrescet. 2. Luna sanguinescet. 3. Stellae de coelo cadent, ut videbitur. 4. Maria hinc ad XL. cubitos altissima montium transcendent, inde absorpta immane barathrum aperient. 5. Ex quo monstra marina, nunquam visa, vel cognita novum, terrificumq. horrorem incutient. 6. Erunt terremotus magni, quales nunquam alias; urbes, montes, sylasq. absorpturi. 7. Arbores, ac herbae cruorem distillabunt. 8. Ferae, curesq. bestiae vagae frement, rugituq. coelos horrificabunt. 9. Aves promiscue convolantes, ac plangentes vociferabuntur. 10. Ruptae dissilient petrae. 11. Homines in cavernas sese abdent, rursumque ex iisdem excussi prosilient trementes, frementes, ac palabundi, vel amentes oberrabunt, aliena loquentur, et agent. 12. Maria velut oleagina conflagrabit. 13. Emorientur pisces, et grandia cete amputrescent, intolerando cum foetore. 14. Tonitruis continuis quassatus orbis fatiscet: quibus interboabunt horrendi ululatus, rugitusque, tumultusque cacodaemonum, animarumq. Damnatarum. 15. Denique ignis e coelo proruens, coelumq. Totum igneum orbi terrarum, ac marium incubet, ad omnium deflagrationem elementorum purgationem, ac coelorum innovationem. Posthaec resurrectio sequetur mortuorum, ac iudicium. Tantarum causa immanitatum erit ad malum effusa vis tartari universa, ad bonum divina potestas.

EXEMPLUM.

Rex quidam immanitate Barbarus ac potentia terribilis, istorum auditione, ac consideratione ita inhorruit, ut effracto, perdomitoq. pectore calibeo feritatem omitteret, omnemque colens humanitatem ad usque sanctam vitae Christianae humilitatem sese demitteret. Atque ut talem animis timorem pium concipiatis Divam Divarum Virginem in Psalterio attentius colite, Jesum Christum adorantes, venturum iudicem vivorum, ac mortuorum, quem propitium vobis conciliare conitemini, si iudicii signorum memoriam saepius ad Psalterium recolentes pronuncietis illud *Maria*: quia vera est illuminatrix, ut ad signorum horrorem, et iudicii pavorem animis nihil concidatis.

((p.173))

III. Terribile. Conscientiae remordentis gravitas de flagitiis perpetratis, omissis bonis, impieque dictus, aut cogitatis. Hujus flagra dirae tanto accident diriora, quanto saevient interiora. Finge, et congere omnes, quae usquam fuerint, esse potuerint moestias, angustias, terrores, ac dolores mentium: ad illam conscientiae

miseriam erunt umbra mera. Quippe eam ad diritatem extimulandam, et immaniter exacerbendam conveniet praepotens justitia Dei, ira Angelorum, scelerum memoria: saevitia Doemonum, vindicta creaturarum. O in luctum versa cithara! Quare praeoccupemus tot dirarum faciem in Psalterio Jesu ac Mariae, saepius illud, *Gratia* in eo pie peccati offerendo Judici Christo. Per Mariam enim plenam Gratia facile servabitur conturbata conscientia, et liberabitur ab omni angustia.

EXEMPLUM.

Vixit in Flandria quaedam mulier supra sexum in omne scelus projecte audax: verum cum diu vitam per infanda volutasset perditam, demum in et desperatam prolapsa, conscientiae truces stimulos, nec dissimulare, nec potuit tolerare. Quid agat? Plus Consilii a piis suggeritur dementi, et furenti, quam ab ipsa expetebatur. Ut autem ad Psalterii usum acquiescere primum, dein adlubescere, tum postea adsuescere coepit, sensim reddita illi mente, sui facta potentior, spem animo admisit, consilia audiit, ex Psalterio praesentia sensit auxilia, dum ad optatam tranquillitatem penitus respiraret, ac in luce gratiae ad Dei misericordiam, suspiraret.

IV. Terribile. Terrenorum Omnium subtractio. Quibus enim in rebus misera mortalitas spem fixit, voluptatem captavit, consumpsit amorem, et animam eis, se omnibus uno nudari impetu conspiciet: Aurum, gemmas, tapetia, cimelia, thesauros, palatia, urbes, agros, caraq. omnia ignibus edacibus absumpta in fumum abire carnet, seq. ipsum ad infeliciora reservari. In pari circum se quisque calamitate videbit pater proles, uxorem, cognatos, quisque amicos: et inimicos juxta. Ubi tunc spes magnae, res, opesque cumulatae, honores exambiti: haustae undique voluptates? Ubi tunc Imperia, et Regna potentum, studia, et obsequia nobilium, auxilia subditorum, doctorum consilia, robora fortium? Ubi corporum elegantia, artium magisteria, agentium solertia, sapientia providentium? In una se communis incendii flamma considerare aspiciet. Neq. est consilium, non ratio, nec ordo, quo properat, sed sempiternus horror eos undique conclusos circumdat. Prius omnia possidentes in puncto nihil hebetes ad Inferna discendunt. Heu quanta haec qualisque inanitas, et omnium vacuitas bonorum est. Causa: Quia refrixit charitas, extincta evanuit pietas: Coelitem aut, neglecta, aut despecta jacuit sanctitas. Sacra omnia divina, humanaque pessundabit infelix mortalitas. Cui avertendo malo, arripite Psalterium Matris misericordiae, ac coelestis Thesaurariae; est illico plenum omnium felicitatum cornucopiae. Sentiunt qui saepius istud in eo ingeminant. *Plena*.

((p.174))

EXEMPLUM.

Abbas quidam cum suo Fratrum Conventu, ac Monasterio ad incitas redactus, jam diu longain in arcta rerum angustia, paupertatem trahebat. Quo miseriarum eum crebrae tyrannorum rapinae, ac depopulationes perpessae conjecerant. Cum autem vis nulla sufficeret, aut mortis metus preficerunt, harpiarum obscenae rapacitati quot annis ingruentium avertendae, atque humana omnia, seu auxilia, seu consilia viris religiosis deficerent, ad divina versi, tanto impensius, atq. constantius ea usurpabant: in coeteris vero Abbas comprimis, praeter consueta solemnia, Psalterii sese devotioni addixit, tenuitque propositum. Nec diu; Raptorum vis retardatur, extinguitur suapte mole: Agri, villae, et cuncta Abbatiae caetera, benedictione divina sensim complentur: affluuntque opes, et beata rerum ubertas. Revertit nova praemiatorum manus opimitatem spe jam devorans, assilit incursione facta, sed divina manu percussi interunt. Succedit alia excaecatio amentia, et avaritia; iterumq. alia, sed utraque repentina caecitate in tenebras data dedit, et poenas, et manus, sic, ut cunctis sui similibus spectaculo dein obirent, ac terrori. Accessit terribilius istud, quod non pauci eorum igne de coelo demum icti, et assumpti aeternum forte perissent: abbatia interim in cunctis fortunata.

V. Terribile. Accusatio creaturarum generalis omnium unum in hominem insurgens. Eae in suo quaeq. genere, ac modo benedicere Deum, ut factae, nataeque sunt, ita, et benedixerunt: solus homo degener Creatorem suum contempsit, contemeravit, inque justam iram, ac vindictam concitavit. Atque idcirco creata omnia conclamatione facta in Judicii die, aethera vindictae postulatione incessent, ac fatigabunt. Coelum

datae lucis suae, ac motus pudendam abusionem a peccatoribus factam exaggerabit. Ignis suam servitatem in impiorum gula, et luxuria consumptam exostulabit. Aer, aura it indignos, sic indignos vixisse ac spiritum traxisse sceleratos insonabit: quin et ad blasphemias, mendacia, perjuriam abusos vitae, plorabit. Aqua complorabit, quod nequicquam rigarit terram, fuderit pisces, vexerit navigantes, dederit gemmas, et gazas ad reproborum vanitatem.

Terra suam ipsius illatam sibi scelerum abominationem aversabitur; exosa sibi, quae tantae foeditati dehiscens imum barathrum non reseravit. Hisce rerum principiis caetera ex eo procreata turba convociferabitur accusatrix, ac frendet in peccatores: circumstrepentibus Evangeliiis, et cacogeniis infremiscentibus: vindictam, iterumque vindictam reposcituris de offenso Numine, de creatorum abusu: vindictam de rerum, ac ordinis universi perturbatione provocata, concrepabunt. Verum eas vociferationes ita accipe reboaturas, ut s. Thomas docet, non exterioris vocis sonu, sed interioris mentium sceleratum opinione, qua isti inimica sibi omnia, atque noxia miserrime timentes apprehendent. Atque si *pugnabit cum illo orbisterrarum contra insensator. Armabit enim Deus creaturam in ((p.175)) ultione inimicorum.* Quo terribilior, ac saevior ea accidet incusatio reproborum quod vis quaedam occulta inerit rebus diviniis, ut inanimata animose fremere videantur. Quapropter ut ab auditione mala, non male, non tarde timeatis: in Dominae nostrae Psalterio frequentes illud Dominus inclamate, psallite spiritu, et mente, cum memoria tam feralis convociferationis futurae, ad Psalterium repetita: et Dominus timorem istius vertet in confidentiam. Id Dominae potest ad Dominum Advocatae, pro nobis pia deprecatio.

EXEMPLUM.

In Picardia degit quidam omnium infanda scelerum foeditate conspurcatus, et obrutus peccator: qui jam diu pertinaciter aures, animumque clausum divinis, humanisque monitis per nullum non impietatis genus, circumtulit: sola ipsi in Deum fide integra persistente. Hac via vis facta est a timore, ut ferreum is pectus incerneret, conceptae impetati expectorandae. Inveteratum alte malum insederat: lis in foro forte movetur adversus iniquum, et actione jam causaque constituta: humani timor Judicii subit mentem, gliscitque alium ex alio metum subjiciente conscientia saeva. Angitur, aestuat: omnia tota timet: praeteritae voluptates acescunt memoriae, praesentes cumulatae opes, maleque partae, ad pejorem spectare deperditionem videbantur, amici rarescunt, amarescit vita ei minime jam vitalis, dum etiam spem pene despondisset. Haec inter ecce venit in mentem extremi illius Judicii, quantus ibi, hic si tantus esset tremor futurus. Jam nusquam illa spes ulla super, praeter quam in solo Deo, etsi vel irato. Quid agat? Mediatorem sibi esse posse credebatur: at velle dubitabat, Jesum laesum, et iratum: ergo Matrem Jesu, mediatricem nostram respicit Mariam, quod primum, quod primum, quod communissimum, quod Virgini gratiosimum, quod Deo, Deique filio esse inaudierat insuperabile, **ipsium** ut invictum exorandi Dei Genus, sic, et praesentissimum Psalterium, hoc, licet desperatus, affectat, contractat, usurpat. Mox habere levius primum coepit, dein et sperare, tum respirare quoque, et rebus confidere afflictis melius. Nam et suae in **forc** causae incognita hactenus sese aperire firmamenta, et ipse demum **ilber** ac innocens absolvi iudicio, et pro ipso pronunciari accidit sententiam. Quo eventu, non tam causam sibi, neque ullam suam fuisse patrocinatam: quam Psalterii, suppliciter perorati, vim, et efficaciam, in defensionis partem, valuisse, cognovit.

Dicta jam quina Judicium praecuntia signa, per Decalogum mandatorum ducta singula, primam in Psalterio quinquagenam, cum quintuplici vocalis, mentalisque orationis meditatione, conficiunt, offerendam ad alia decies quina Judicii mala avertenda.

QUINQUAGENA.

DE COMITANTIBUS JUDICIUM SIGNIS.

Sunt et ipsa quina, totidemque apta decadibus Psalterii. 1. **((p.176))** Judicis Potentia. 2. Testium certitudo. 3. Judicis implacabilitas. 4. Assidentium terribilitas. 5. Judicandorum confusio.

VI. Terribile. Judicis Potentia, infinita, inevitabilis, et aeterna: cui metuendorum nihil, vel a longe par, aut affine esse potest. Ille si pro nobis, quis contra nos? Ille, qui justificat, quis accusabit? Ille est, qui condemnat, quis liberabit? Illum igitur assumite. Advocatum apud Patrem: illum in Psalterio nobis conciliate identidem devote repetendo illud, *Tecum*. Et quia Deipara ipsum peculiari modo, eximioq. secum habere commeruit: per eam impetrabimus, ut et nobis esse dignetur *Emmanuel*, idest, *Nobiscum Deus*. Age sume unum, *Tecum*, et omnia habueritis: nec praevalere adversus te inimicus.

EXEMPLUM.

Alanus quidam in Anglia, vir humilis ortu, et obscurus, unus aliquis de plebe; isthuc (jure an injuria) devolutus est, ut eum omnes ejus fortunae Regio in judicio addicerentur fisco, tum et ipse capite minatus in exilium prosciberetur. Verterat jam solum: extorris patria patriam tanto impensius suspiravit supernam. Ergo vulgaris homo vulgarem comprecationis scalam certam invadit, Psalterium inquam: hoc coelum superat, votisq. Deum: Deipara interveniente Advocata. Jam qui sic contra Deum fortis extitit: contra Regem, ac homines quanto fortior evaserit, declaravit eventus. Non longum cedit tempus (sic disponente Deo, in cujus manu cor Principis, ac sortes nostrae) correctae priore iudicii sententia, rescisso exilii decreto, et confiscatione damnata, redditur sibi, suis, patriae ab honoribus auctior, atq. fortunis. Enimvero abs Deo Rex de repente correptus morbo, adversus autempomnem curam, ac medicinam pertinacem; praesens adit vitae discrimen. Damnatis igitur humanis omnibus, Divina exquirere coactus: a seipso penitus introspecto retiones expetere sollicitius instituit: tum circum sese dispicere, numqua in re causare justam. Numinis irati in caput suum indignationem concitasset. Et obscuri, ecce, rustioi illius non sat liquidum, ac forte praecipitatum sese objicit memoriae iudicium, vellicatq. acrius conscientiam. Nec quies Regi, nec pax menti erat; donec e sinu scrupulum excuisset. Excudit hunc, simulque morbum discutit: extorrem absolvit exilio; se morbo: restituit fortunis eversum statui pristino; ac valetudini: illum patriae; se regno, vitaeque reddebat.

VII. Terribile. Judicis Implacabilitas contremiscendi, at improbis: quantum dulcis Consolator electis. Illius vel inde caepit exemplum terribilitatis. Si ter Benedicta Genitrix ipsius in qua delicti enormitate ab eo deprehensa, illo iudicio occuparetur: justus Iudex suapte convicta conscientia, visione gloriae privaret, poenisq. damnaret sempiternis. Quid coeteris futurum peccatoribus. Quocirca et illud cuique persuasum, certissimumq. sit, necesse est. Conferantur in unum omnium, et tyrannicae hominum, et ferae belvarum saevitiae, unquam exercitae: his etiam saeviora **((p.177))** quaeq. a summis certatim fingantur ingeniis, etsi supra, quam credi possit; cum una ex Iudicis severitate justa componantur, si possit: comparationis adeo ratio, scpeciesq. erit nulla; ut summa quoque disparitas apparere debeat volenti, nolentiq. manifesta. Quae enim finiti ad infinitum comparatio? Quae tenebrarum cum luce, falsi cum vero, communicatio? Adde, quod justus Iudex parem hinc in reprobis immisericordiam; inde adversum electos misericordiam, praestabit, et cunctis apertam, infinitam utramque Esto, *Superexaltet misericordia iudicium at in justis*. Nam in injustis *iudicium fiet absque misericordia: quia fecerunt iudicium sine misericordia*, et vero *iudicium durissimum his, qui praesunt*. Quare timete eum, *qui potest, et animam perdere in gehennam*. Orate eum supplices, et in Psalterio suo, ac Mariae constanter invoke; qui vel nocentissimum absolvere, et mundare de immundo conceptum semine novit ac consuevit. Infinita haec gratia? At Benedicta an Benedicto illo, per Benedictam, cui ad Psalterium quinquages ultra centies fit consalutatio in voce *Benedicta*. Ecquis enim pro reo tam bene, dixerit unquam apud Benedictum, ac ipsa Benedicta.

EXEMPLUM.

In Thuringia, interiore priscae Germaniae solo indigentem patriae virum sors, Civemq. tulit ita spectabilem, ac potentem, cui et offerret ea negotium cum Imperatore ipso Federico II. ortum ex scintilla incendium est. Parvum Imperatorem inter optimum Maximum et Dynastam Thuringiae dissidium natum, denique in excidium

gentis spectare videbatur. Accidit (quo dicto factove memorare nil attinet) Invictissimum, piissimumque imperatorem conturbari animo contra Thuringiae Satrapam nationis, Dies iudicio indicitur, agitur causa, dura contra stimulum calcitratio. Vincit invictus Augustus, cadit subditus vasallus, fatalis fertur sententia: differtur et mutatur ex misericordia, quam et protinus exequitur ira; ut vir Princeps, patriaeq. caput, cum universis cognatione, vel affinitate illi conjunctis, longius exularent. Fit mora proscriptorum in abscessu, ut assolet, cum ad summa rerum, aut capita principum vertuntur. Interea Dynasta pius, cum in Imperio post Augustum non esset ei, quam improbaret, tali in re civili, capitisq. causa, tota se mentis religione, spiritusq. Conatu ad Deum, Deiparamq. convertit, opem ad Psalterium oraturus. Orat, obsecrat, constanter, fidenterq. perseverat; et petita impetrat; votis namq. virum Deus, Deipara patrocinate, damnabat, mactumq. beabat. Solo tamen jam Patrio cum suis, quos pariter proscriptionis fulmen afflarat, Princeps obdienter excesserat, in delectum exilio locum. Absentia viri clarissimi corda civium efferebat faucibus: quae nova dictant consilia, animosque pares fugerunt: ut in apertam eruptionem viderentur rebellionem. Neque jam res in obscuro agebatur: sed in luce omnium vim, et arma spectabat. Inopinato perterritus Imperator eventui (qui in motu jam offerve ((p.178))) aceret: caeterosque terrae, circumque plures in partem traxissent proceres: ob amorem, honoremq. in exulem:) propius, ac promptius non habuit remedium excitos componendi motus, quam ut exilii rescinderet decretum, extorremq. absolutum secure in integrum patriae restitueret, ac honori. Neque labori id fuit civibus; sed magno ipsis sibi ducebant decori: itaque communibus certatim studiis, velut omnium humeris, civem principem, reportant. Neq. civium studio cedere voluit Augustus: Ideoque contendit quanta eum maxima ornatum gloriae pompa reduci, inque altiora, quam prius, provectum collocari. Periculum fecit Viro pretium; sed quod Psalterio debebatur acceptum.

VIII. Terribile. Testium veritas irrefragabilis, omnique major exceptione. 1. Adstabant contra reos Angeli Custodes vitae pariter, ac testes peractae: quo nec fugere scientiam potest quicquam, nec fallere. 2. Conscientia, mille testes, vivit intus, ac proclamat; quae ut ignorare, aut non recordari possit: errare tamen mentirive non potest. 3. Peccata ipsa accusabunt autores sui, seque ipsis probabunt. 4. Demones circum in majus omnia exagebunt vera falsis remisturi: sed pleraque tunc vera nimis. 5. Iudex omnium visu horribilissimus, ac auditu, acrior cunctis accusator erit, et damnator.. Quid hos inter peccator agat? Quid cogitet? Quo se vertat? Undique tenebitur: ab irruente ad horrorem desperatione absorbebitur. Actumque aeternum est. O aeternitas! Nunc, nunc in prompto remedium est, tunc serum *Orate, ut non intretis in tentationem*, sed a tanto liberemini malo: remedium est Appellatio: et ea fit efficacissima in Psalterio, per compellata misericordiae Matrem. Mariam repetio saepius, in illius Salutatione, illo *Tu*, emphatico: quae sola ad iratum nunc flectendum Filium potentissima est.

EXEMPLUM.

In Alma Urbe Romanas, cuidam in praecipuis matronae contigit ex utero sui nato proprio, aliam nasci problem. Facinus infandum: incessus abominandus! Natura ipsa tanti ad flagitii atrocitatem exhorruit, nec nati natum oculis ferebat mater, nec frater filium fratrem: monstrum ipsi soli huic execrandum. Auxire et mente conturbatae genitrici cacodoemon, ementita hominum specie, adest: prolis necem suadet. Scelos sceleri adjicitur: foetus enectus in latrinam abjicitur. *Sed nil occultum, quod non reveletur.* et atrociam latere diu nesciunt: qua teguntur, ea produntur. Summam iudicii, ex atroci suspitione, per brevem facit immanitas facti, solum, accusator deerat: sed rea in ipsa sibi. Facti poenitens seipsam coram Deo detestatur, secretoq. ploratu de commissis sibi quasi viventi. videntiq. Funus ducebat. Nec exorandae spem abjicit misericordiae; sed in spem contra spem credens agebat unum, quod ad Iesum, Matremq. Iesu in luctu, et squalore Psalterium assidue comprecando identidem excurreret. Quo inter suspitionis flammam observato proposito, spes robustior animos addit pernegandi ((p.179)) facinus tantum: hocq. acerbius deplorandi sortem suam: quasi suspitionis de sese talis mucrone sancita fleret. Non sinebat foeminam immunem abire iudicio rumor gliscens: vocata sistitur Iudicibus; insimulata criminis excuntitur; quae constans animo inficiatur objecta; deficiebatq. probatio; quo enervis concidit suspicio. Obire per urbem visus est natae suspitionis incentor vir ignotus: qui cum se accusatorem offerret, coramq. Iudicibus, ac rea adstaret, obmutuit: ipsam se nosse negat, minus crimina ipsius, aliaque omnia fingit. Fit stupor, et admiratio omnium; ac reae absolutio; simul ignotus veterator sub oculis evanescit. Unde cacodoemonem fuisse mendacem erat opinio. Sola peccatrix, at jam diu vere, taciteq. poenitens, cum complice filio monstroso; Deoq. et Eugenio, sibi de flagitiis consciebat; seq. ream, videri inoxiam posse admirata, tanto impensius in Psalterii preces, Dei, Deiparaeq. cultum incumbere: ut cui infamiae, mortisq. merita aversionem tam admirandam ferret acceptam.

IX. Terribile. Assessorum Saveritas justa, Judicis vultui conformis adversum iniquos? 1. Alia tamen eorum austeritas erit, quam cacodoemonum multoq. horribilior. Alia: quia ex zelo justitiae, manabit, odioq. Odi, quo contra Deum flagrant impii: horribilior quia justitiae mucro Sanctorum penetrabilior est, quam illae malitiae doemonum. 2. Quanto autem virtus vitio, gratia spiritalior, et fortior est, quam saeva conscientia, et malitia: tanto ferient acrius Sancti solo intuitu reprobos. 3. Sicut igitur occulte peccanti pudor non est a bruto in ipso peccandi actu conspici, at magnus, vel a puero, scurrave videri: ita damnandis grave accidit sua sceleratis revelari flagitia: at justii quoque patere eadem: hoc vero adeo intollerabile ipsis videbitur. O confusionem! Quapropter in remedium assuescite Psalterio; Sposamq. Judicis, sororem, ac Matrem Mariam conciliate vobis, in eo persaepe illud concinentes In Mulieribus. Hujus Virginei pudoris decus, ac meritum, ab illo damnationis pudore potest praeservare ad ckenielam suam pie confugientes.

EXEMPLUM.

Beatrix quaedam Monasticem inter Sanctimoniales professa coluerat, ad egregium usque omnis Religionis exemplum. Virgo erat aetatis flore, oris venustate, decore corporis, ac morum elegantia nulli secunda: praecipuus in pietatis cultu; at in Dei Genitricis obsequio pene singularis. divae Matris illa Gnatiq. Honor stas quot diebus solemnesq. reddebat Salutationes, ac preculas, sola absque arbitrio quas cum additis totidem Genculationibus, adeoq. veniis, sen cum pandiculatione humi postrationibus veluti conditas, commendebat. Idque tali usu, modoque aliis sui occupatiunculis istud pietatis exercitum, aut raptim interpositum, aut furtim a publicis subtractum, Deo, Matriq. dabat, et in lucro ponebat. Erat illud delictum animae piae, quo pasci spiritum, seque mirifice oblectari persentiscebatur. Inter haec, Templi cura illi demandata, **((p.180))** Sacrista, sive Custos constituitur. Munus hoc ad suum illud pietatis genus, ac usum ei tam optatum accidit, quam oportunitum. Fervebat virgo; doemon frendebar; et, heu, occasionem ex occasione captabat, Incautum is Clerici oculum, ac animum, qui virginem aris adornandis intuitam, Custodiaeq. muniis caeteris obire per Aedem saepe libenter vidisset. Et vidit, et periit; dum eam deperiret. Appetit affatus illius, repetiq. dum assuerit. Fiunt colloquia; et demum prava. Serpebat intus malum, et tacitis amor ossibus arsit. Non omittebat veterator serpens pectus illi effodere, et angere animum; non Clericus precandi, praedicandi. modum faciebat. Vicit demum fraus, et importuna assiduitas; humanaq. cessit fragilitas; nec virgo celare ignem, nec ferre aestum quibat. Despondet virginitatis animum, datque victas manus. Ante tamen, quam deserto monasterio pessundaret votum, ad aram Virg. Matri suum quaesta malum, claves Custodiae impositas altari temporis mutuam in sacrilegio usuram, subit animum Clerici seu flagitii facies, et fastidium, seu metanaea, aut propudium; apostatricem animo exculit, domoq. omni spe abrupta remenandi. Vaga illa, et inops, ad coenobium reverti depudescens; se lupam prostituit meritoriam: et talis degebat infanda ipsos annos quindenos. Demum seipsam respiciens merendi finem fecit; revertit ad Monasterium, sciscitantiq. ex janitore num Sororem Beatricem nosset, respondit *illa, et optime optimam novi Custodem, praeclaram omnibus jam diu.* Quibus illa auditis se avertit abitura, dum miratur dicta, nec intelligit: sese tibi protinus ante oculos ei astitit Deipara, nota facie, qua in ara visebatur sculpta; at ait: *Age. Officii ego tui vices gessi totus tot per annos: revertere nunc ad locum, munusque tuum capesse, et invade paenitentiam. Nec enim mortalium quisquam tuum excessum novit.* Cum voce hac evanuit. Redit illa; reditq. ipsi nota olim sub pectore virtus, et spes nova animo: Clavibusq. resumptis se cellae reddit, vitaeq. pristinae. Neque sensit quisquam. In forma siquidem, et habitu illius Dei Genitrix vices egerat. Custodiae Beatrix uni soli, quo a confessionibus utebatur, rem ordine pandit; qui quoad ipsa vivebat, secretam observavit.

X. Terribile. Confusio Damnandorum. Haec erit isthic inaestimabilis, et incomparabilis, juxta modum, mensuram, et causas praedictorum Terribilium. Cogita hic, et finge etiam animo quantamvis infamiam, publicamque confusionem cujuscumque, seu verecundissimi, sen impudentissimi; factam edicto, scripto, vocis praeconio, pictura, aliove modo quocumque; imo quaecumque infamiae, et confusiones, dum orbis stetit, visae in unam convenient, istius tamen partem minimam non attigerint. Ad suam quisque obscoenitatem partem minimam non attigerint. Ad suam quisque obscoenitatem ipsi nunquam alias cognitam, nunc et intimis animi, cordisq. recessibus productam obstupescet, et exhorrescet. Augebitur itaque in immensum confusio ea per vim quandam divinitus impressam mentibus; ait s. Aug. Mag. 4. sentent. Distinct. 43. qua omnia **((p.181))** omnium, et singulorum singula singuli intuebuntur infanda; ut sunt reprobi quoque coram bruta, ac inanima creatorum natura verecundantur. Ad haec Deus ipse revelator iniquitatum, scelerum obscoenitatem vi sua indita obscoeniorum faciet apparere: oculosq. sceleratorum aperiet, et in ipsos sese intuitu acrius aspectu proprio discrucientur: se aversentur, et averti tamen a se non queant. O confusionem inevitabilem juxta et intolerabilem! Sed et aeternam. Quare ut tanta evadatur maledictio: Benedictus Jesus per benedictam Sanctae verecundiae Virginem Matrem exoratus, et in Psalterio utriusque

saepius adoratus, sedulo voce *Benedictus* consalutetur. Quae enim cum dignitate Matris salvum tenere Virginitatis pudorem meruit: tam profanum, ac infelicem a sui cultoribus pudorem avertere dignabitur, ac prohibere confusionem. Hoc igitur agite: Psalterium Jesu, et Mariae terite, benedictae Benedictum cum Benedicta.

EXEMPLUM.

Male sibi insueverunt cum sacrilegio libidinoso quidam Sacerdotio sublimis, et professa Sanctimonialis. Cauta diu sese tectam observavit, celavitque furtiva Venus. Sed quid in sagacem non proserpit suspicionem? Haec quod arguto subodorata nare semel est, quantumvis procul, et obscura: indagatrix percallida, sagacitate subdola, et peracri, ipsam per dissimulationem indagatum, explorare non omittit. Pergunt illi in coepta consuetudine; haec indagine; Atque eo demum usque vestigia collegit insectatrix suspicio, ut male cautos in securitatis retia sese nil tale metuentes induerent. Hisce circumscripti, atque decepti captos se ambo complices prius sentiunt, quam capturae insidias. Ergo in flagranti facinore de repente obruti sunt, ac deprehensi; simul carceribus inditi, catastaeq. inclusi. Dum ita luunt separati, sancti ambo, sacriq. homines ab ordine, ac genere status quisq. sui; et in sanctis item exerciti quondam studiis religionis, cum scelus inficiari, aut defensare nec possent: reliquum erat deprecari. Et hoc sedebat animo certum. Itaq. primum ad Deum toto versi humillimoque conatu, ad certa respiciunt sua pietatis studia, repetunt seu omissa diu cum scelere timidae conscientiae observata. Idquod in coeco possunt carcere, actitant Psalterium, orant; veniam ab Deo, per interventricem Virg. Mariam deprecari, confirmato cum proposito tenendae per omnem vitam poenitentiae; veniam condonante Deo meruerunt, et par eventus comprobavit. Utriusque personae reae cum dignitas sacra, tum ordinis sanctitatis, et gesti forte officii, gradusq. autoritas, ut certam sacrilegii vindictam; difficilem tamen deliberatione Judici pariebant, et haec ideo tardabat executionem. Quae reis usura more accidit salutaris, ad veniam certius commerendam in Psalterio. Ecce enim ipsa Deipara nexos vinculis exiit, carcereq. exemptos in unam transfert Ecclesiam viciniorem: ubi sic, ut orantes degerant in nexibus separati, **((p..182))** exsolutos sese uno in templo contuentur, et admirati vix sibi ipsis sat credunt. Interea Alma Liberatrix Virgo cacodoemones duos, instigatores criminis, in locum inq. nexus enexorum substitutos stare jussit. Orta luce dum ad captivos visitur, informia doemonum monstra religata conspiciuntur. Miraculum, horridumq. spectaculum allatum Judici, ipsum cum pluribus evocat: Ad quos evociferati rem gestam Spiritus maligni, in habitu, cultuq. captivorum; sese diabolos esse, ut mendaces, tamen vera jam fateri coactos. Elatrabant etiam: fuisse suos illos, at ereptos **desuisse**: de innoxii modo se scelus novisse nullum. In fidem dicti factiq. appellabant ecclesiam, in qua, comprecantes ambos ferent oppressuri: tantum iret visum Judex, sibiq. fas abire sineret. Dictum utrumque factum. Ut in tartarum ris redeundi copia facta est: *Inimica*, ululant *Maria*, *huc nos adegit in catastam, et veritatis confessionem*: quae cum hoatu terrae motum cient, ingentique post se foectore relicto sub orcum aufugerunt. Vis haec Psalterii est ad gratiam promerendam.

Atque haec quina Judicium comitantia signa terrifica, ad alteram Psalterii Quinquagenam pie commemorata, acuunt precandi studium, et accendunt, ut Regno coelorum vis fiat, ac rapiant illud violenti volenter poenitentes. Jam si quodque dictorum Terribilium quinque per septem dona Spiritus Sancti, et partes tres Poenitentiae ducantur: et ad haec merentes iudicium culpae discutiantur: totidem salutare fient meditationes, seu mentales preces, quot repetuntur Salutationes in Quinquagena. Ad Mariae igitur laudem psallite Psalterium.

III. QUINQUAGENA

DE SUBSEQUENTIBUS JUDICII SIGNIS.

Sunt ea quina, singula ad quamq. Decadem consideranda. vel intuenda. 1. Separatio a Bonis. 2. Poenarum gravitas. 3. Perennitas suppliciorum. 4. Societas damnatorum. 5. Tormentorum universitas.

XI. Terribile. A Bonis separatio: Nam sicut boni cunctis abundabunt bonis: ita mali cunctis privabuntur: ut Dei visione, fruitione, comprehensione, quaternisq. dotibus Beatis. O jactura, in aeternum deploranda! Unus abscindit, omnia mucro sententiae hujus: *Ite maledicti, ec.* Vidisti malefactorem in expectatione capitalis sententiae pallere, tremere, ac tantum non semianimen expectorari? Quid isthic: ubi non vita vertitur mortalis, non momentanea mors, non fortunae, recuperabile bonum, non malum consolabile: sed infinite contraria omnia. Quare *vivens, vivens, ipse confitebitur tibi Domine; non mortui laudabunt te, ec.* Hic, dum licet, Psallite Domino in Psalterio dechacordo Jesu, et Mariae: in quo saepius illud reperitur, *Fructus*: Et in eo meus pia precantis recolit aeternorum, beatorumq. fructuum Merita Divina, ae Beneficia tertii Fructus Jesu: Recolendo autem **((p.183))** sibi deserpit eosdem, **snoque** reddit: cum his simul honis repletur universis: quibus quia Angelica redundat Salutatio: minimo potest carere Psalterium, bonorum thesaurus coelestium, Divorum gazophylacium.

EXEMPLUM.

Legimus s. Eduardum, Regno Angliae expulsum, orasse Psalterium: et ad proprium Regnum rediisse. Haec totidem sunt B. Alani. Equidem de duobus invenio Regibus Angliae Sanctis, sed Eduardis idemq. esse nomen opinor, alia atque alia sub appellatione; sicut Henricus, Hericus, Ericus eadem sunt, ec. Prior s. Eduardus ab Episcoporum Concilio auctore s. Dunstano Cantaut. Episcopo, in electione, prae fratre ex noverca nato, Rex creatus, et coronatus: dolo novercae percussus, latrocinio vitam amisit: continuoq. multis clarebat miraculis, sub annum 975. Baron. to. 10. Annual. Hic igitur is esse nequivit: continuus Edgari parentis successor.

Alter post illum annis ipsis septuaginta, s. Eduardus: defuncto Canuto Angelorum Rege, ejusq. simul duobus filiis insperato morte sublatis: praecipus, et fortunatius de Regia stirpe superabat exul, et procul in Northmannia degens cum uxore virgine Egitha Comitissae filia, Regium par conjugum, ex voto, mutuoq. consensu perpetuam virginitatem, alter custos alterius, colebat. Atque hoo impensius Dei, Deiparaeq. cultui, ac honori sese impediens: (qui inde usq. ab Vener. Bedae benedicta memoria vigebat Anglia tota usus plurimus Psalterii:) huic maxime tam sanctum par conjugum dedit, Jesum, et Mariae, ut Sponso, et Sponsae delectis sibi placere studebant. Respexitq. devotos sibi exules Jesus, et praestita sibi Matrisq. obsequia etiam temporali isto remuneravit beneficio, ut ex inopinato ambos evocaret ab exilio ad Regiam, avitamq. coronam, etiam adeo nulla cuiquam apparente prolis posteritatisq. Regiae propagandae. Quippe qui tot jam annis exors prolis in matrimonio degisset nam de servata, celataq. in eo virginitate illibata aestimare caro, et sanguinis nesciebat. Verum Deus servo suo Brituvoldo. Vintoniensi Episcopo, revelare dignatus est saeculi istius ab tali conjugio felicitatem. Is enim, cum Regis Canuti tempore apud Glastonem coelestibus lucubraret excubiis: subjissetq. eum cogitatio, (quae frequenter virum angebat:) de stirpe Regia pene deleta: sopore pressus irrepente, extra sese ad superna rapitur: viditq. ab Apostolorum Principe s. Petro ipsum Eduardum, in Northmannia exulem, in Angliae Regem consecrari; simul vitam ei designatam commendari coelibem in virginitate sancta, et absq. liberis infaecundam. Videbat item Regni annos ipsos quatuor supra viginti eidem ab eodem adnumerari. Cum vero Episcopus sanctus de Regiae posteritatis extinctione conquereretur: Respondit ei s. Petrus: *Regnum Anglorum est Dei: post te providit Regem Deus ad placitum suum.* Ista fere Baron. to. 11. et Bzovius anno 1045. Eum Alex III. petente Rege Henrico Angliae, **((p.184))** in Sanctorum album adscripsit cananizatum, ann. 1161. Tanta sanctitatis exercitium magna pars fuit Psalterii.

XII. Terribile. Gravitas Poenarum incomprehensibilis. Damnatorum enim tam infinita est ab Deo, Divis, creaturisq. universis. Quis isthic sensus erit molliculis delicatulis in croceis enutriti, qui in bonis duxerunt dies suos? Vae maledictis. Quam se bufonem aut nihil unquam fuisse nequicquam optabunt? Et his, quae patiuntur, graviora metuent, ut in praesentibus, aeternumque instantibus discrucientur. Tantis oro praevenite malis arrepto saluberrimo Angelici Psalterii usu. Hoc Divae Divorum Virginis favorem sibi quisque demereri adlaboret, offerendo illi, velut Arcam fructificationis, vocem hanc: *Ventris*. Hujus mente castitatis, et supra hominem dignitatis, genus hominum universum gehennalis poenae diluvium evadere potius valet, quam quos arca Noe ferebat Benedicti ventris illius apotheca quosvis consonare morbos corporis, animique potest.

EXEMPLUM.

Suam novit civem Joannam Picardia, nominibus multis insignem, sed omnem, seu generis nobilitatem, seu fortunarum affluentiam vincebat, ejus virtus illustrior, et hanc vero, foemina, et seipsam pietate, ac Religionis cultu, superabat praecipue adversus Reginam coelorum Inclytam constanter observato. Hanc pertinax quaedam infirmitas annis viginti, et supra, miseram habebat, et afflictam: ut nulla ei vel ars, aut industria, aut medicina levamen afferre posset, quo aliquantisper a morbo respiraret. In dejecto tamen corpuscolo animum, in Deum Advocatamque Mariam spem gerebat minime dejectam; sed tanto insurgentem robustius, quo gravius premebatur. Eoq. contentius in assiduas inhiabat orationes incumbens, illas praesertim, quae in Psalterio Jesu, et Mariae litare consueverat. Hisce temporis aegri molestiam aegriorem fallens, et sibi consolationem solidam parabat, et denique reddendae miraculo valetudinis reparaturam. Cujus gratia certo numero Psalteria quotide, stata, solemniq. religione perorando, excurrebat. Atq. ad fixum illud, quoad posset, pia quadam contentionis pertinacia, adversus illam infirmitatis pervicaciam, destinatum abfirmarat animi devoti propositum ad utrumque parata, seu votis superare Deum, superareq. Divam, seu certae occumbere morti: facta tamen sui, seu aegrae, sanandaeve, integra in Dei voluntatem resignatione. Sat tot jam annorum, quos tenuit vis morbi, docuerat ipse successus: stare masculinum foeminae pectus inexpugnabile: ferre morbum, aut recuperare sanitatem, juxta paratum: quin et cordationem invalescere animum in dies, aegroque in corpuscolo spiritum et orandi zelum effervescentem roborari. Quo igitur Divina Sapientia commendatins cunctis proponeret, in aegra, et restituta, exemplum cum suae Misericordiae, tum orationis in Psalterio constantiae, atque efficaciae; hujus probandae, laetitiae munerandae; formulam suam aliquando, post quartum et vicesimum **((p.185))** annum, derepente pristinae postliminio restituit valetudinis integritati. Psalterii vis in corporis depulso morbo declarata, de virtute, in animas per Deum infundere ipsi consueta, testatur.

XIII. Terribile. Cruciatuum Aeternitas per respirantiunculam, nec minimam interrumpenda. Nam ita decretoria sententia: *Ite in ignem aeternum*. O Aeternitas quid es? *Annos aeternos in mente habui*. O Aeternitas, quam raro versaris in mentibus hominum? In mentibus nostris? Heu Aeternitas; quid dicam, aut quomodo dicam? Quis exprimat, quis, concipiat, quid sit aeternitas? Cogita mille annos: cogita millies millenas annorum myriades: cogita tot annos, quot sunt orbe condito ad usque Judicium momenta: et de aeternitate nihil adhuc habebis: et haec sunt initia dolorum. Vae aeternitas! Quis potest aeternitati par esse in tormentis? Volo dicere, et nescio dicere; quam diu Deus erit Deus: tam diu durabunt tormenta. Quamdiu hoc erit? Aeternitas, aeternitas! Non est effari, non est concipere, non est invenire istud quamdiu: Quare, *o Deus, hic ure, hic saeca: modo in aeternum parcas*: orabat s. August. in medit. *Tua Deus, tua est aeternitas Justitiae vindicantis, et misericordiae glorificantis*. Illam prohibe: hanc dona nobis Jesu. Donabis autem iis, quicunque annos aeternos in mente habentes te aeternum amant, et amando tibi psallunt in Psalterio tuum illud *Tui*: Tui inquam, Tabernaculi sancti, Tui Templi, Tui Sanctuarii, Tui Throni, Delicique Tui. Quis enim mortalium sic est Dei, atque Deipara? Atq. Ea, in qua Electi omnes sunt Dei? Istius non grata admonet memoria *Tui*: proculque dispellit infestos Doemones ab iis, qui esse Dei student.

EXEMPLUM.

Virgo quaedam multiplicem a spiritibus nequam patiebatur infestationem: ex occulto Dei Judicio, id ita permittentis: sed omnis ea insectatio intra inania solum terriculamenta stabat, noxie nihil, aut damni inferre orci sinebatur blatta. Cedebat ea tentatio in egregium piae virgini proventum, cumulumque meritorum: tanto namq. sollicitius suum illa receptum ad Deum, Matremq. Dei, quae serpentis infesti contrivit caput requirebat: et ab omni peccandi licentia, refugiens, innocentiam animae integram servare connitebatur. Non tamen nihil praeterea exquirebat consilii, et auxilii, quicquid Divini, humaniq. usquam habere poterat. Nihil autem erat, quod veteratoris coereret illudendi nequitiam, aut averteret insultationes larvarum. Demum fidere jussa Deo, unique se Virginem castam exhibere: et Angelicam Salutationem, rite in Psalterio frequentatam, devote honori Divino, Matriq. Virgini offerre: deque caetero expertas terriculamentorum inanias habere prorsus despiciatui. Paret monitis virgo, nihilq. perinde, ac Psalterium, corde, ore ruminat, adeoque manu praeferens terit, collove, corporive suspensum quaqua versus perdia, et pernox circumferebat. Et vero istud quieti, salutique fuit. Ex quo enim illud tenuit propositum: jam nequam tentator nunquam accedere **((p.186))** eam propius, sed ab ea velut ab gehennali flamma procul refugere a longe tamen illi sese tanto saeviore,

ostendebat. Tantas autem tamque horribilas evomebat blasphemias, atque in Alman Dei Virginem maledictiones: ut piaae aures, animaeq. devotae Christi Sponsae nimium quantum ad eas exhorrescerent. Consuetudo demum illas fecit auditu leviores, planeq. spiritu generosiore contempsit. Quin et illam ad tanto ardentes Deo, Deiq. Matri patronae, laudes ad Psalterium dicendas Sathanicae stimulabat injuriae. Inter blasphemiarum autem voces numquam de nomine *Ave Maria*, aut Psalterium, Angelicamve Salutationem appellare fuit ausus, vel potuit: sed Murmura, per derisum fremitu mistum, vocitabat infandus. Denique vicit constantia Puellae invicta freta Deiparae patrocinio, usuque sedulo, meriteque Psalterii.

XIV. Terribile. Societas Damnatorum. O cruciabiles zizaniorum collectorum fasciculos colligatos! *Quid tibi vis, o miser*, exclamat s. Hieron. *cur peccas? Quorum in terris amasti vitam: eorum in poenis habebis Societatem. Vae, vae tibi! Socius ejus istorum damnatus, quos etiam in vita metuebas, et fugiebas, ut immanes, sacros, et intestabiles.* Pro, quos foetores, quos cruciatus, quos clamores, quantos furores ea comportabit societas? Quisque proximo immanissimus erit cacodoemon: lacerabunt invicem se dentibus, discernent unguibus, modisque saevissimis dilaniabunt. Dicere non est, aut cogitare saevitiam. O quanto foret exoptatior cohabitatio cum bufonibus, et serpentibus, dracones inter ac struthiones, aliasq. belvas immanitate quantavis immaniores quietior esset, felicioq. sempiterna etiam commoratio. Quapropter ad Jesu, Mariaeq. Psalterium toto mentis, studiiq. impetu convolate: in quo toties illud salutificum Nomen Jesus frequentantur: ad quod omnes adversae potestates contremiscunt, et enervantur: neque est aliud Nomen, in quo nos oporteat salvari. Ubi illud est, coliturq. adoratione debita patriae ter sanctissimum nomen Regis Regum, omniumq. Triumphatoris: isthic adest continuo innumerus Angel. chorus, atque Societas segura.

EXEMPLUM.

In Dacia Petrus quidam nostra pene memoria, aut paulum superiore, (jure, an injuria non sat liquet:) ad perpetuos damnatus carceres, in profundam fossam, seu turrim, bufonibus saevisq. serpentibus scatentem, demittitur: ut vel ab istis periret absumendus, vel horribili, et inevitabili inter bestias volutatione sui, metuq. miserabilius cruciaretur. Moestam, miseramq. matrem sors filii acerbissima habebat: atque in primis illi justus metus: neu qua humanam fragilitatem sathanae tentatio, tantas inter aerumnas, ad desperationem induceret. Nato igitur mater tum precibus ipsa suis ad Deum, Divam, Coelitesq. fisis: tum alia, quacunq. occulte poterat, opella veniebat solatio: maxime autem Psalterio olam illi submisso: quod ut perdius, et pernox, quanta posset cum devotionis indefessae contentione, orare non omitteret, oppido moneri (((p.187))) eum simul curabat. Multa captivam, aut vivum potius consepultum ad parendum matri, etsi parum ante comprecationi consuasset, movebant tamen, ac impellebant etiam ut assuescens experitur. Necessitas ei fecit orandi usum, copiam captivitas, Rosarium, sen preciariorum collectio globulorum occasionem dedit in manus: usus facilitatem, facilitas peperit voluptatem: haec deniq; vere gustum pietatis attulit: unde crescente in dies in majori Devotione ardere ipsi pectus totem amore, honoreq. Dei, Matrisq. servatricis. Sensit quoq. miseriae suae mitescere sibi acerbiter: absterget animo metus, et augores: venerari nihil nocere sibi tactu, seu afflato: moeroribus gaudia superne immissa permisceri: mentem saepius dia solatii, speiq. optimae suavitate delibutam permulceri: ignorantiae tenebras insueta luce cognitionis collustrari; seq. in alium, a priore diversum, verti hominem, ac infelicitatem suam in optatam quasi felicitatem commutari. Nec diu demum ipsa Regina coeli cum illustr. coelitem, Virginumq. comitatu suo adstat famulo, multo in lumine manifesta quem pancis plurimum consolata, secum e squalore, et carcere eductum liberavit: Adeoq. velut in momento horae alio procul hominem transmigravit: ac plus quam per centum milliarum distantiam avectum, alieno n solo collocavit securum, et innoxium. Hoc dato illi mandato: quod in suum filiiq. sui honorem coeptum salutare didicit Psalterium captivus: id liber jam, et securus tantum non omittat, aut in eo torpescat: sed gratus ferventius, quoad vitam viveret mortalem, frequentaret. Dixit, seq. ab oculis comitante corona abstulit in coelos. Petrus autem, circumspicis omnibus, se in vasta, ignotaq. comperit solitudine adversari. Nec dia anceps fuit animo de commoratione consilium. Quo ajebat sibi: quo ibo usquam alio, quam ubi Divina me posuit miseratio? Quid ego locum, ant inquisierim, aut delegerim unquam beatiorem illo; quem mihi dedit Deus, favet Deipara? Haec requies mea, Deus, hic habitabo: quoniam, (ecce nunc dixi), elegi eam. Exorsus igitur continuo, animum inspirante Deo, vitam eremiticam multis exinde feliciter annis ibidem duxit: celebre demum construxit templum Dei, Virginisq. honori sacrum: et vitam hanc ausit e fonte vitae Psalterio Jesu, et Mariae.

XV. Terribile. Cruciatuum universitas. De qua quid dicam? Cogita quodcunq. genus crucis, torturae, necis: cogita a rebus singulis quae sunt, fueruntq. unquam usquam, omnia tormentorum genera conferri in unum:

adhuc nec minimam umbram gehennalium cogitaris poenarum. Damnatis certum est, omnia eos in seipsis supplicia perpeti debere sempiterna: neque in iis ullum esse remedium posse: Idcirco sua ipsis desperatio rationem vertit in rabiem furiatq. animum: ut diuis ipsi Doemonibus in sese ipsos omni cum diritatis immanitate desaeuiant. Si maligno insessum Spiritu furere conspexisti, vidisti, quod dicendo explicare possis: at istas furias, nec cogitatione quisquam complecti unquam (((p.188))) potuit. O desperatio, quo, ad quid te vertas? Omnia cogitatem omnia inimica distruciant. O furor, o rabies, quo evades, ubi desaeuias? In te usque repulsa reverteris insanior. Quaro nunc, nunc dum integrum est, ad certum properate remedium furoris, coelestis planum suavitatis, beatae unctionis plenum. Et istud vix usquam alibi seu copiosus, seu efficacius, quam in Angelico Jesu, et Mariae Psalterio, est reperire. In eo quoties, et quanta cum gratia conditum repetitur illud, Deoq. consecratur unctissimum, sicut oleum effusum, nomen *Christus*? Vel sola hujus devota memoria potens est quantumvis dispellere animo desperationem, quae malorum ultimum est. Hoc igitur orate Psalterium, amate, et praedicat.

EXEMPLUM.

Baroquidam, in Regno Franciae inclytus in saevam Regis iram, quo casu lapsus dire luebat. Nam inexorabili Regis sententia in perpetuos adjudicatus carceres, postquam perdiu nexus jacuisset; nec via, ulla ratioq. ejus indidem expediendi succederet; tentata multum Baronis patientia, tandem abiit in furorem. At illum tantum, ut suos ipse digitos modicos praecisos, et arrosos devoraret, in lapides quoque morsibus saeviret, ac ligna, aut quodcunque aliud victu apprehendere valebat. Ac nisi ferro constrictus, fixusque sedisset sese ipsum frustatim discerptum e vita eiecisset. Fidelis furenti uxor sua, matrona pissima, viro saluti venit, et per Psalterii precem, ejusq. meritorum pretium captivo subvenit. Ipsa denique omissis omnibus, imo et desperatis, et damnatis aliis humanis auxiliis, se totam, spemq. omnem in Dei Deiparaeq. misericordiam trajecit, et ad indubitam salutis anchoram, in coelestis portus fida statione fixam, affixit. Hic acquievit. Huc indefessa precando, frequentissima, et ferventissima cumulavit Psalteria: quae pro mariti salute, per Almae Matris imploratam deprecationem, Deo rite consecrabat. Fidem, spem, vimq. foeminae, votis damnavit Deus exoratus: ut fieret, sicut crediderat. Neque vero quidquam fieri petebat viro: nisi quod illi Deus fore nosset, ac vellet salutare. Itaq. misericordiae Mater, quam victa a Psalterio, salutatem exorare dignata Baroni est, ipsa eam afferens illi praestitit. Nam nil tale petenti, aut speranti, imo nec cogitant lapsa coelo apparet, et adstat: suscitatur de terra inopem, et de stercore erigit ferro, vinculisq. gravem. Surgit ille, vincula cadunt: animusq. redit, et sueta revixit sub pectore virtus: sese mens, respiratioq. recognoscit. Adesas virgo manus Scaevolae redintegrat, sanumq. totum hominem, liberumq. sibi redditum, ad Regem dimittit. Simul manifestavit ei signa, quibus secretissima Regis scelera, in intimis conscientiae fibris addita judicaret soli, et commonefaceret poenitentiae. Ad haec praediceret ei certa, et proxime impedita capiti ejus, regnoq. mala pessima: quibus una mederi vera possit scelerum metanaea. Si enim vel temnat superbus, aut emittat, tardatve ut securus, denunciari jubet, non tardatam (((p.189))) paratam, nunc vindictam. Rex ipso in visu Baronis attonitus haesit: audituq. in medio tam dirae denunciationis contremuit. Neq. sese deservit, aut salutis curae deesse voluit. Ut primum Deo supplex factus se reum accusavit, pro gratia actis rite gratiis, obedienter paruit consilio dato, et poenitentiam heroico pectore totus invasit. Quod autem Baroni Psalterium tam extitisse videbat salutare: tametsi ante non ignoraret, parum tamen accuraret: illud vero prae omnibus unum arripit, inque eo dignam Rege, gratissimam Deo Poenitentiam suam exequitur, et sui ipsius, et Regni conservator. Quapropter *Psallite Deo in Psalterio Dehacordo: Psallite Deo sapienter* in tertia Psalterii Quinquagena, cum dictorum quinque Terribilium, quae judicium consequutura sunt, et aeternabunt. Ea vero quina si per octo Beatitudines, et duo naturae mandata, scilicet: *Quod tibi vis fieri, fac, et alteri: Quod tibi non factum velis, alteri non factum velis, alteri non feceris*. Per haec inquam dena, si dictorum singula, pia cum meditatione, seu commemoratione, duxeris: Quinquagenam qua vocali oratione, qua mentali rite complevisti, dignam Matre Dei, Angelorum Regina, Domina nostra, Benedicta in saecula. Aman.

CAPUT III.

Tractatus devoti Doctoris ALANI, de Excellentissimis Sacerdotum.

SUPER THEMA

Ave Maria, Gratia Plena.

Psalterium justissime Trinitatis concordiam conciliat: quoniam Incarnatio Filii Dei, *Utraque fecit Unum*: Divinam, humanamq. naturam in unum concordatas Personam univit. Quo ex fundamento: quod Christus posuit, et nemo alius posuit: reliqua dein consecuta per Ecclesiam, est conjunctio: qua *simul positi sunt in unum dives, et pauper*. Haec autem divina, hodicque constans, Concordia accedente ad Salutationem Angelicam assensu Virginis gloriosae, et illibate Matris, cunctorum, Sponsae Sacerdotum, consummata est.

Quia causa jure suo merito eadem Divorum Diva Advocata nostra in Psalterio suo, Jesu et Maiiae dicto, digne est debiteque salutanda: cum a Corona Fidelium universa, tam vero vel sanctissime ab Sacro Regalis Sacerdotii Choro Psallenda et praedicanda. Concordiam vero triplicem hic accipio: Prima est, per Sacerdotalem Dignitatem: nam Christus est *Sacerdos in aeternum, secundum ordinem Melchisedech*. Altera est per Virginis Matris, cum Figuris sacris, legitimam veritatem; Tertia est per judiciabilem Autoritatem, ex altera Alma Virgo Parens habet admirandae Dignitatis Majestatem; ex tertia, meritum ac praemiorum faciet cum proportione Deus aequalitatem.

((p.190)) Quoad primum: Sacerdotalem, inquam, Dignitatem: huc intero praequemitto quandam ipsa singularitate sua pereximiam, Dei gratia, Revelationem, jam olim abs Deo factam s. Hugoni Episcopo Carthusiensium Ordinis Sanctissimi, totius Sanctitatis viro, et vero Psalterii Mariae Virginis a juventute praecipuo amatori atque cultori. Quam et ipse revelationem descriptam alias legi. Quidam etiam novellus Mariae Sponsus, de quo scio, Domino revelante, eandem ex ipso Jesu Christo cognovit, sub annum Domini octavum, et sexagesimum supra millesimum quadringentesimum.

NARRATIO.

Novellus saepe memoratus Mariae Virginis Sponsus, eidem Sponsae suae in Psalterio stabili Devotionis foedere junctus, ad quotidianas Missarum celebrationes ardenti zelo desiderii anhelare diu consuevit: tametsi, heu semper, indignus. Accidit autem, ut, quo nescio pectus incessente spiritu acediae, per intervalla dierum operari Sacris ipsi allubesceret: et quidem subinde haud raro Diam facere Hostiam omittens, ob volatiles phantasias animum forte suggestas, tanto insistere Mysterio sibi duceret religioni. Itaque timida mentis anxiae ad nugas inanes concessio, fit morosa cessatio; quae reditum eo difficiliorem parabat sensim ad ter maximum Opus. Dum utentiores meticulosum terunt animum scrupoli; spiritum atterunt; illudque faciunt tepescere, atque adeo demum aegrescere virum bonum, et rarescere amplius ad ter Augustissimum Sacrificium Deo litandum. Correptum denique corpusculum morbus affligit gravior, lectuloq. affigit, ut, quae ante Divina timebat attingere; jam ad ea nec valeret assurgere, ut vellet. Festivam, s. Joanni Baptistae sacram, sol Ordinis Ecclesiastici adduxerat solemnitatem; cum ecce Deus, immissa viro extasi, totam ad superna raptam evebit mentem; ut omnino simile mortuo jaceret, ceu videbatur, exanime corpus. Interea spiritus relictae tenui ereptus animae divinorum arcana mysteriorum luculentior aspectabat in coelis ministrari. Dominus Jesus Christus, Pontifex ter Opt. Max. illi sorgere videbatur, inque medium, juxta Ritus Ecclesiasticum, innumera Coelitem comitante Corona, et consistente circum. Orditur Divina orbis utriusque Pontifex, et adusq. Synexes faciendas prosequitur. Cum subito fit vox praeconis; Sancta Sanctis; *Proparate viam Domino*. Nominatim peregrino per raptum isthuc introducto, dicitur, ad communionem se comparet. Monito conterritus heu me, exclamat, necdum exhomologesi facta sum mente expiatus. Alter adest illi, s. Praecursoris erat Domini et Baptista; juhetteque: *Parate viam Domino*. Cui iste; heu mihi confessione opus est. Sequere, ait, ocyus, confessarium, ecce, beatissimum Principem Apostolorum Petrum, Aurem denti poenitens adgeniculatus, sese scrupulis exuit, tanta cum expiationis consolatione ac luce, quanta alias in vita numquam. Simul ab eo ad Mysteria libanda missus, eum accidit arae **((p.191))** supplex adorans, et Sacramentum, et Redemptorem Jesum: hic istis eum increpabat. O serve tarde, serus ades. Piger et remisse; quo tanta tibi a me Potestas Sacra patranda facta est, per electam Matrem me pro te intervenientem? Et ilam, Tu in sudario religatam abscondere voluisti. Cum dico hoc trementi guadentique, mirifice utroque sensu contemperato, Jesus ei ter sacram porrigebat Synaxim. Continuo cernebat Dominum Jesum intra sese verissime inesse medium, et multa familiarissime, cum ineffabili suavitate, monentem audiebat. In caeteris vero sermone eum gravissimo corripiebat, de commissa nimium grandi negligentia Missas celebrandi. Talibus demum doctrinae monitis formabat, et firmabat fluctuantem. *Ita certum habeto:*

Nihil tibi unquam tanti videatur; cujus vel amore vel metu tremenda frequentare Officia intermittas. Excipe solum mortale crimen evidens, et incofessum. Addebatque clare; Nec ab eis quenquam retardare Sacerdotem debet ariditas indevota mentis, non occupatio urgens, non urens tentatio, non pollutio nocturna: quodque magis, nec diurna: si involuntaria contingat et inimica: qualem aut Confessiones lubricas excipientem, aut equitantes, aut anxie solliciti et properantes perpeti queunt: istud namq. Haud pondero: moror minus: quod ita contingit humanitus, ut quam talibus consentire, prius vitam despondere quis mallet. Ecquid ita; quaeris?

Ratio I. Nam similes casus, vel quaedam magis sunt poenae: vel ex doemonum vi ac illusionem inferuntur: quo horrorem incutiant, sub religione mentis specie de indignitate corporis passi: pariterq. ut hac fraude, animarum procuracionem et salutem, laudemque meam imminuat, ac retardent.

Ratio II. Sed nihil ista metuenda; etsi cavenda sunt. Si namque diabolus conspurcat invitum; ego mundo latum et gratum: quin et pro tali pollutione centuplam reddo munditiam.

Tunc ille percunctari. Domine Jesu, animarum Sponse dulcissime; cur Doctores et jura talem arcent Communionem Sacram?

Et Dominus Jesus. 1. Magis id ex zelo Timoris, quam Charitas, usurpant. Nam perfecta charitas foras mittit timorem. 2. Deinde, quia olim etiam laici in quotidiana, aut minimum Dominicana fractione panis sacram ad mensam sese triciebant: ideo ob istos, plurimum rudiores, ita statuerunt Ecclesiae Doctores, post extimam corporis maculam, de consilio esse abstinendum. 3. Disparitas vero permagna est Communicantes inter et Celebrantes. Illi solis sibi proficiunt: hi Bona Optima et Infinita orbi toti distribuentes administrant. Qua causa Laici ipsa sibi abstinentia meritum aquirunt; Clerici dispendium toti faciunt Ecclesiae, operatione Divinorum illi subtracta. Laici per se ex voluntate pia vescuntur ab ara; ad aram per me Sacerdotes operantur, et ego sum, qui operor in ipsis. 4. Vide quantis quot quantos privent Bonis sua desides cessatione Sacerdotes. Privant Deum gloria in tantum; Me potentia, ac voto: Matrem meam materna dignitate; Angelos honore; Sanctos laetitia: auxilio militantes: (((p.192))) defunctos redemptione. Privant infirmos medicina, ignorantes scientia, alimonia esurientes, pauperes divitiis, suo mundum Rege, et universa suo privant Servatore. 5. Atque tametsi Presbyter ex suae personae conditione fuerit indignus; illa tamen integra semper illibataq. perseverat in eo dignitas; quam ex mea gerit Persona et Nomine, vel ex Officii munere velut Ecclesiae publicus Minister. Hanc omnis habet Sanctus, id est Sacerdos: haec in ipso per me operatur interminabilis. Divine Officium, non personale, nulla personae cujusquam incommoda queunt impedire, quae nolentibus possunt evenire. 6. Igitur: hac in re, et causa terminationis decreta Doctorum promanant ex devotione et reverentia non ab ulla necessitate seu praecepti violandi seu peccati exinde consecuturi. Quare celebrate, Fratres: quia non agitis hoc ut digni, mundi, justi: (nec enim vel Angeli pares Muneri sunt Tanto) Celebrate, quia id perpetratis ut indigni, infirmi, et impotentes: quo adimplemini bonis, consanemini a morbis et corroboremur ab animis.

Huc, ecce tibi revelo XV. Excellentias inclitas; quas omnia Sacerdos habet, dum sacrificat, ex merito Angelicae Salutationis; cui vis meae virtusque inest Incarnationis. 1. Et vero sicut tali in Epitalamio sum incarnatus semel de Virgine Matre; ita quedammodo rursus in quolibet Missae Sacro, esse Deus Homo, in arca sancta existens, sacramentaliter incipio. 2. Quod enim *Verbum* in verbo salutationis *Caro factum est*: qui Deus homo factus est in utero Virginis; idem *Verbum* in consecratione, idemque; *Homo Deus*, fit in manibus Sacerdotis: Modoque licet diverso; eodem tamen obumbrante Spiritu sancto. 3. Forma istud potuit verborum vitae per os salutantis, perque Mariae vocem consentientis: hoc forma valet verborum vitae consecrantis, per ministerium Missam celebrantis; Dei spiritu utrinque mediante. Cum itaque tali ratione Sacerdotes fiant mihi quodammodo Patres; par est, ut eadem mecum sortiantur Matrem Mariam, et in sponsam acceptent: Par est, ut et Me, et ipsam in communi nobis Salutatione ad Psalterium venerentur, et (me tamen prae ipsa) supplices adorent: Par est, ut sacra Salutationis verba perinde sancta aestiment. Adeo ab una illa Salutatione totum Novum pendet Testamentum; ut quod in ea, velut arbor in semine, virtute totum contineatur.

PROPOSITIO TRIPARTITA.

Quare Cognosce, Accipe, Doce XV. Excellentias Sacerdotales, quas ecce, tibi nunc pando: I. Quinas priores supersubstantiales, ex quinque Stellis Divinitatis dimanantes istis: *Ave, Maria, Gratia, Plena, Dominus*: II.

Alias item quinque medias Substantiales, e quinque Fontibus Verbi Dei, seu Evangelii promanantes istis: *Tecum, Benedicta, Tu, in Mulieribus, et Benedictus*. III. Quinas posteriores Accidentales a quinque Castris invictis repetitas istis *Fructus, Ventris, Tui, Jesus, Christus*. (((p.193))) Dixit; simul ac si longo sermone edisservisset, animo sponsi impressit. Quae etsi multis enarrare videor, tamen vix umbram partis nedum dimidiatae, me reddere verbis posse diffido.

CAPUT IV.

DE EXCELLENTIS SACERDOTUM.

I. QUINQUAGENA

De quinque Stellis Excellentiarum, hyperusion, sive substantialum S. Sacerdotii.

I. Excellentia est Potentia Sacerdotum. Dei Patris Magna est Potentia Creationis: unde Pater et Creator audis universorum. *Dixit, et facta sunt*. Sex diebus operatus est: prima, lucem: altera, firmamentum: tertia, maria, terras, et plantas: quarta, luminaria coeli: quinta, pisces et aves: sexta, hominem omnium Dominum: septima quievit. Haec Patris in creando potentia, qua facit Res creatas, terrenas, corporeas, corruptibiles.

Sacerdos vero sua Officii sacri Potentia quid producit? Increatum; Causam causarum; Jesum Christum, Deum et Hominem, qui non moritur, nec videbit corruptionem.

Ad hunc unum sacerdotalis functionis Effectum ter Maximum, age, confer milles millenas mundorum myriades, manifeste comperies, finitorum omnium ad unum. Infinitum nullam esse comparationem posse. Atqui mundum, et ea, quae in eo sunt, produxit potentis Patris Dei; Sacerdotis vero potentia producit, Filium Dei in Sacramentum, et sacrificium.

Quo admirabilior Potestas est, ac dignitas Sacerdotii transubstantiatione Filium Dei, quam Creatione res perituras Dei Patris producentis?

Jam vero, quia potentibus debetur *Ave*; potentiae Creatoris Paternae illud offerri condecet, in primis ab Sacerdotibus, qui tantae sunt ex Deo potentiae viri. 1. Nusquam autem dignius, gratiusq. Deo obitur ea salutatio, quam in Psalterio. Par est igitur hujus usum Sacerdotibus esse commendatissimum frequentissimumq. oportere: ut quo suae praecellentiae Potestatem mirifice condecorare queant.

2. Dignum *Ave* Deo est, cui deferatur, qui fecit, Angelos, solem, stellas; Dignum igitur, et Sacerdotibus idem est, quod Deo, Deiq. Filio, ac Genitrici deferant, psallantque illi, qui Regem producunt, Angelorum: Solem justitiae, Stellam, et secundum Adam innocentiae, etc.

EXEMPLUM.

Quidam in Hispania honore Sacerdotii inclytus, ad illud super inculpatae vitae decorem, et sanctimoniae splendorem adjecit. Verum quod in caeteris suis religionis, devotionisq. privatis, et publicis exercitationibus,

illam Psalterii facile plurimam assiduus (((p.194))) coleret, ac frequentaret; tantam in eum Deus conferre miraculorum vim, et gratiam est dignatus, ut non vivis perfunctos superas revocarit ad auras. In primis autem ex ignis purgantis cruciatibus animas plurimas evocavit; et in heatorum mentium asseruit felicem stationem.

II. Excell. est Scientia Sacerdotalis. Dei Filio est infinita Sapientia, qua mundum gubernat, eique intelligentiam communicat, et scientiam; quam quidem maximam produxit in Angelis, ut per eam mira, magna, multa queant operari. Sed quanta illacunque sit; creata est, atque finita. 1. Quo longius eam antecellit data Sacerdotibus gratia; qua nihil creatum, finitumve producunt; sed ipsum Dei Filium, omnis scientiae, ac sapientiae Dominum, et Autorem. Quod quidem multo mujus esse debet; quam si data foret eis potestas omnem conferendi, vel e medio tollendi creatam illam scientiam. Confer, age, ter sanctissimae Eucharistiae divinam praecellentiam, cum quantacunque scientia Angelica; necesse fateri est, hanc neque sat dignam videri, quae vel adoret illam. Atqui sanctissimum Sacerdotium est dignum, quod eum tremore Angelis praebeat adorandam. 3. Honoras virum amictum purpura aureo in annulo gemmam incomparabilis pretii gerentem: atqui eam nec producere possit, nec dare velit alteri, nec acquirere plures. Quo venerabilior esse quis debet Sacerdos, qui gemmarum gemmam Divinam manu praeferit: oris voce producit una plurimam: distribuit in plurimos, nec deficit unquam. 4. Huic honori omnis cedit Angelorum honor, quin et supplex ei succumbit, tremensque servire gessit; et hoc denique summo sibi ducit honori, atque felicitati. 5. Quale foret quantumque gaudium illi, qui dare sibi, aut alteri cuicumque summam quamque scientiam posset? Ad s. Eucharistiae tamen Donum ea conferri nec potest, nec debet. Heu mihi! Quantum igitur Bonum orbi adimit, qui perpetrare Missam omittit? 2. Vae, quam difficile erit de omissione subtractum bonum posse restituere? Factum infectum reddi nequit: utq. dies hesterna fugit, revocabilis unquam; sic et cum die ipsa fugit hesterna ommissio Missae.

Cum itaque in una Orbis Eucharistia Sacra habeat omnia lucem luminum, scientiarumq. Auctorem largitorem: *Cumque labia Sacerdotis custodiant scientiam*. Cum etiam esse Deus Mariam noluerit a Filio proximam, ac maximam orbis, et omnium illuminatricem, non par solum, sed, et oportet vel in primis Sacerdotes istam in Angelica Salut. Stellam *Maria*, appellando in orbis lucem, ac salutem producere. Quod cum nusquam sanctius, ac saepius fiat, quam ad Psalterium jesu, et Mariae, plane idem hoc a sacerdotibus frequentissime, religiodiddimeq. usurpari oportebit, adq. plebem laicam exemplo, et praedicatione commendari. An non Ecclesia semper coluit Deiparam Mariam pro Advocata, (((p.195))) et patrona omnis scientiae, ac illuminationis a Patre luminum consequendae? At Sacerdotum est. Christianae pietatis custodire, inq. sese in dies angere, populo tradere, et propagare scientiam. Quo cordi magis fit eis oportet Psalterium, aquirendae, et a Deo promerendae omnis scientiae instrumentum sacrum.

EXEMPLUM.

Vixit in Thuscia, quidam sacerdos, idemq. paroecialis Curio animarum: neque id quidem, quod scientia clarus aliqua humana, vel inter mediocriter doctos accenseri posset; sed vitae sacerdotalis integrae simplicitate recta, atq. perfecta, vir sanctus cunctis existeret morum optimorum Magister; et non venerationi dumtaxat, sed ed admirationi. Quae constans inculpatae vitae sanctimonia non sinebat quicquam excitatae jam de eo exstimationis luminibus efficere mirificam simplicitatem, rudemque ignorantiam tantam: et velut idiota vix dum aegre Missam legere sat nosset. Accessit huc aliud non jam admirabile, sed verissimum miraculum. Quotiescumque ad praedicandum surgeret, gregemq. Evangelii doctrina pascendum, ea cum, et scientiarum varietate, et gratia eloquentiae, et vi, efficaciaeque. zeli, ac spiritus dicere consuevit; ut nec doctissimi quique illius in concionibus ullam scientiae partem, desiderare inquam, imo neque admirari sat possent. Tenebat auditores; suspendebat animos, movebat affectus, inq. omnem partem versabat, quaque vellet, in coelum, in tartarum, in conscientias, in sacra omnia, sequaces pertrabebat auditores; et quoquo illius impetus spiritus ferebatur; ibant iidem, et aquiescebant. Fuit ille tantus Chrysostomus, Tulliusque fulminator Christianus admirandae in cathedra doctrinae, extra cathedram purae quidem vir ignorantiae; sed admirabilioris vitae et constantiae. Verum hujus, et illius gratiam uberem ex ipso fonte hauriebat, Psalterio inquam Almae Divae illuminatricis mariae, sancte culto semper, ac usurpato. Usurpato tantum? Et praedicato tali cum fervore, affectu, et fructu, ut quanto maximo. Vitae suae innocentiam, ac perseverantiam ipse ad Psalterium supplicandi Deo pascebat suavitate; regebatque assiduitate, et religione. Doctrinae suae quamprimam ex umbone vocem mitteret, *Ave Maria*, Angelica erat recitata Salutatio. Cujus quidem certam reddebat rationem istam: quod, *Ave*, Angelicum vox prima fuisset Evangelica, Evangeliiq. totius Evangelistarum et Apostolorum fons, et origo, compendium perfectum, summa, atq. medulla: isti dein postea

lectionem Evangelicam, explicationemque exordio tali parem, ac dignam subiciebat. Utinam Beatus Alanus hujus divini viri de nomine meminisset, atque similium exemplorum viros, foeminasque appellasset: non tam ut fidem sibi faceret: quam ut apud hodiernum aevum criticum, ac sciolum plus quam pium, fidem inveniret. Sed viventibus pepercit: et quia ex revelatione dedicerat; illud tradebat, quod acceperat.

III. Excellent. est spiritualium Donorum Elargitio Sacerdotalis. (((p.196))) Sancto Spiritui attributa proprie functio creditur Donatio Charismatum, virtutum infusio, largitio Fructum Spiritus, et octo Beatitudinum collatio. Est ea omnino maxima potestas; facultas uberrima; benignissima largitas, et in homines miseros divina pietas. Sunt illa multa, et maxima: et plurima dona Spiritus Sancti constant in mundum. Unum tamen Sacerdotale donum ista facile universa superat inquam Eucharisticum: hoc est, ipse Dei Filius Homo Deus Jesus Christus benedictus in saecula. Potest illa s. Spiritus? Hoc possunt Sacerdotes. Dat ille fructum Arboris vitae? Hi cum fructibus Arborem ipsam Verbo plantant; Officio sacerdotii rigant, augmentant, sustentant, atque in Ecclesia conservant; inter manus propagant; intra animarum ora, hortosque positam conferunt; ex ea, perque eam tot jam saeculis omnium mentes fidelium pascunt, et in montem usque Horeb coelestis provebunt quietis, ac beatitudinis.

Ex quo aestimare cuique jactura est. 1. Qua Sacerdotum, ad celebrandum tarditas, (tam pia parum, ut pene impia sit appellanda): Matrem suam mulctat, mactatque Ecclesiam. 2. O quantis olim poenis exsolvent tam pudendam, minimeque ferendam socordiam: ne damnabilem dicam acediam? Tantillam sacrificandi opella intermissam quantis olim redempturi forent; si per divinam liceret justitiam tunc explendam. 3. Verum nulla hominum, aut saeculorum esse facultas tanta usquam potest unquam (extra Sacerdotalem): quae omissi, vel semel divinorum Mysteriorum Sacrificii resarcire valeat detrimentum: vel cessatoris Presbyteri correctae negligentia, vel alterius ad aram operaturi Sacris diligentia praeteritae sola post Deum potest jacturae praestare supplementum. Unam solam sibi, mariam Virginem divina delegit providentia, destinavitque solam ex qua Redemptor orbis nasceretur, beneficio Dei in perditum mundum tanto, quantum, effari? Vel angelicis mentibus complecti non est. Redemptori vero ipsi ad unum solum complacuit Sacerdotium; quod paravit sibi, ac destinavit, ad suos suae Redemptionis thesauros, ac dona, per Sacrificium, et Sacramentum, orbi cunctis saeculis dispensanda. Et ea maxima pars gloria est Dei, Deiparae pars gaudii maxima Beati: Beatorum deliciae: purgatorium summa solatii: viventibus auxilium Beatis est, ac firmamentum. O Dei gratiam super omnem gratiam! Non illam praedicent Sacerdotes, tanta aucti, donatique gratia? Non illi Pastores, ac Patres multarum gentium, et per honorem Ordinis Principes populis non illi ad exemplum vulgi laici, non ad auxilium Ecclesiae, non ad gaudium Mariae, conciliandumque patrociniun Deiparae usurparent summa cum et Religione, et zeli contentione Psalterium? Inque eo istud, *Gratia*, Deo redderent in sacrificium laudis; in gratiarum actionem; in satisfactionem culpae; in certio rem vocationem faciendam salutis, et gloriae?

EXEMPLUM.

Literis proditum accepimus, religionis observantia exercitum (((p.197))) diu, atque probatum virum, insigni devotionis cultu adversus illibatam Dei Matrem ferbuisse: et vero ipsam in pervetusto illo ad Psalterii coronam praecandi ritu libenter venerari, ac familiariter quotidie salutare consuevisse. Neque solum sua illa sat ista fuerat devotio: verum etiam, quod in concionibus ad frequentem populum habendis praecipuum nomen ferret, ac laudem: in hisce ad Sanctum Dei, Matrisque Dei cultum latius proferendum, quod ipse genus orandi deamabat, ac ferebat psalterium: idem, ut laicis, rudiisque vulgo proprium, impense pro suggestu commendare solebat. Neque Deus zelum viri Sancti tantum, vel hoc in vitae pelago irremuneratum dimisit: ut dignum in terris Christi Vicarium ageret, Caput Ecclesiae, lumen, columenque factus, Papa Innocentius dictus. Quas ille muneris partes non explevit solum; verum seipso major, et supra hominem pene augustior, tam in vita, quam post facta claruit miraculis. Tres ad B. Alani tempora Innocentios numeravit Ecclesia: singulos vita, rebusque gestis magnos, et vere admirandos: verum, (si uti fas sit comparatione:) dixerim in plerisque primum hujus nominis a secundo: et hunc a tertio, hand paulo superatum intervallo. Ut opiner, Tertium, isthic a B. Alano designari; cui Lapsantem austentari Ecclesiam a s. Domenico, humeris eam succollante, quondam ostendit Deus.

IV. Excell. Actio Sacerdotalis circa Humanitatem Christi 1. In Humanitate sua Jesus quicquid egit, eo commeruit sibi, et nobis plurimum; ut oratione, jejunio, peregrinatione, praedicatione, labore, vigilia, siti, fame, passione, morte etc. Quae tametsi jure meritissime sint maximi aestimanda; ut pares illi pro iis, nec laberi grates, ac landes, nedum referri, nunquam valeant; eae tamen actiones ipsi Deo, nostra carne

circumdato, quaedam duntaxat velut accidentia fuerunt; quae Deus non sunt. Sacerdotis autem actio, opusq. operum caput est universorum Dei, ut quae circa non humanitatem solam; sed unitam cum Divinitate versetur: non tam ut mereatur nobis, quam ut merita Servatoris communicet nobis, nec ut redimat nos; sed ut redemptos servet, sospitet, salvosq. in beatitudinis possessionem introducat. 2. Atq. ut velut de plano cognoscamus, quantum inter Christi, (solum ut hominis considerati), et Sacerdotis, (qua talis Divinorum Mysteriorum Dei ministri, ac dispensatoris) intersit; nescium esse neminem oportet; Jesum, qua Hominem, more humano conversatum, humana omnia, praeter peccatum, egisse, et perpessum subiisse. At vero in opere operato Sacerdotum, Sacrificio inquam, et Sacramento; ubi Humanitas cum Divinitate hypostatice unita agitur; non esse nisi Divina omnia possunt. In his Sacerdos occupatus versatur; in his ab Angelis suspicatur, colitur, et defensatur. 3. Transubstantione; Deum mortalibus dare; Deum orbi per Deum reconciliare; Regno coelorum, Regique Divorum, ac Regnum vim facere: ista inquam operari, Sacerdotum est: non Angelorum. 4. Opera Humanitatis Christi erant, ut accidentia Christi; sine **((p.198))** quibus esse ipse plerisq. poterat. Se ipsa absque illo esse non poterant. 5. Corpus Christi sine loco, situ, quantitate certa similibusq. esse cathgoriis nequibat, juxta naturae modum, et conditionem. Sanctissima vero Eucharistia, Sacerdotale opus divinum, ista supergreditur universa: ad indiget subjecto: est tanta sine quantitate; est talis absq. qualitate; est in loco citra circumscriptionem; est in situ, quietem praeter et motum; est cum modo omne supra modum; est in tempore absq. mensura, deniq. .iraculum est miracolorum; idemq. opus est Sacerdotum. 6. Si in contentionem duo quaedam adduxeris; hinc Eucharistica ista admiranda pariter, et adoranda; inde haec; Virginem concipere absque viro; parere absque perrupto claustro matrem fieri, et virginem permanere, haud facile statueris inquam, quid alteri anteponas. Naturam superant utraq. divina omnipotentia operatur utrinque: sed hinc in Virgine: Unica: semel, ad breve tempus, una in Palaestina: inde vero operatur in homine Sacerdote, Angelo corporeo, terrestri Deo: nec in uno, sed plurimis, sed multo saepissime; sed usque ad consummationem saeculi: ubique locorum ab ortu solis usque ad occidentem jure Sacrificium operatur. Fuit in conceptione Maria Mater gratiae gratia plena; sed nullo per hoc speciali Characterem insignita: ex cujus vi, et potestate plures tales productura foret pariter gratia plenas, pariter concepturos, pariterq. parituros. Quid vero in sui inauguratione quicumque Sacerdos? Hic divino in anima interiore imprimatur Characterem: quo et a cunctis Deo segregatur Christianis; et prae cunctis Angelis devovetur Deo; unitur Deo; Deum rebus adesse humanis, et homines gaudere, fruique Deo faciat ex officio. Vae tibi Sacerdoti, qui geris officium tantum: nec ad Dei illud exercis servitium, nec ad hominum, aut raro, aut torpide, aut indigne, id exerces beneficium. Quid ita, divino plenus thesauro, mortales miseros despicias, ac dimitis inanes; cum toties operari Divinis intermittis? Tantilline tibi, ad Genitricem Dei, non, aut raro, aut improbe, te accedere velut Genitorem Dei? O meliora Deus! Ut ne in tam sacram, et instabilem Sacerdotes inducamini tentationem: viri Deo pleni, viri sancti: agite, amabo, respicite in faciem Christi vestri Sacerdotis Summi, Advocatam Christi Matrem invocate: utriusque Psalterium utriusque psallite, psallite sapienter istud, *Plena*, in sapientiae divinae Evangelico Salutationis Marianae, Christianae, Divinae. Psallite, et praedicate.

EXEMPLUM.

Christianissima Regnorum Christi Regis Francis tulit, haud ita pridem virum, virtutis merito, in religiosa observantia feliciter cumulato sublimem, ac dignum, ut in Abbatiae demum apicem proventus, Abbas cunctis fratribus praepoueretur. In quo ut alia multa, et magna eminerent; istud tamen ad memoriam illustre, **((p.199))** plurimarumq. semen virtutum, et exemplorum in eo existeret; quod ubi conspiceretur ipse, non absque Psalterio viseretur; non quod ad spectaculum ostentaret; sed gestaret ad usum omnino familiarem. Orabat id assiduus, ac tacitus; docebat id rudes humiliter sedulus; hortatur ad idem subditos suos religiosos ferventer zelosus, commendabat illud saecularibus summis, mediis, infimis indefessus, sed minime importunus, mirifice gratiosus, et magnifice fructuosus. Cujus viri zelum, ac laborem consolator Deus, hic quoque remeteri famulo suo voluit, ac laborem consolator Deus, hic quoque remeteri famulo suo voluit, ac remunerari. Nimirum sicut ipse per Mediatricem Mariam venerabatur Deum; ita per eandem ipsum consolabatur Deus. O gratia ex Deo! Sed et meritum psaltes in Psalterio. Ergo Regina coelorum, psaltarum Domina, et Patrona Maria servo suo Abbati saepius apperere manifesto in lumine, merifico cum solamine, dignata est; et cum eo adusque familiaritatem conversari, mutuasque audire, et reddere voces consuescebat. Neque dulcissimis duntaxat suis cum affatibus, aspectuq. permulcebat; verum et divina saepe arcanorum Dei revelatione informabat, aut coelestium visione beata velut praegustum libare sinebat.

V. Excell. Comparatio Sacerdotis ad Beatissimam Virg. Mariam. Dia Virgo, Dei est Mater. 1. Habendo se passive. 2. Idque benedicto solum ventre, et carne sua. 3. Contulitq. ad prolem id, quod suum ventre, et carne sua. 3. Contulitq. Ad prolem id, quod suum erat, humanum, ex sua naturali potentia, licet Deo supra

naturam operante. At vero Sacerdos. 1. Quatenus dici potest esse Pater Christi, habendo se active; unde dicitur Sactis operari, facere Sacra, Divina patrare. 2. Idq. ex intentione mentis, ventre nobilioris, exq. dativi Spiritus divini. 3. Confertq. ad transubstantiationem, id quod Dei est divinum intra se, et supra se, et tamen in voluntate sua ad operationem, aut omissionem liberum; estq. illud Potestas Characteris, quae pure est Spiritualis, habetq. se effective. 4. B. Virgo obumbrata Deo, consentiens concepit intra quinque verba; Fiat, en passive se habens, *mihi secundum verbum tuum*. Sacerdos vero active velut generans, certe efficientia sua verborum quinque transubstantiant, dicens; *Hoc est enim corpus meum*, Item, *Hic est Calix Sanguinis mei* ec. 5. Denique B. Virgo Parens genuit Dominum semel, parvulum, non loquentem, non ambulans, servulum, passubstantia panis, ac vini cessante, salvus accidentibus, saepe ad placitum suum, perfectum, regnantem, Dominum, impassibilem, et immortalem. O inesplicabilis Potestatis Excellentia! 6. Hoc tamen Deiparam inter ac Sacerdotes interesse tenendum est, quod in jam dictis, illam quidem hi superare videantur; verum quoad modum, duntaxat, non autem quoad substantiam facti. Quia Virgo Beatissima Dei Mater est eatenus substantialis, quod dederit illi esse verum Hominem novum ex se talem, qui ante fuit non homo; Sacerdos autem jam ante Hominem Deum fecit existere jam sub speciebus. Ut non nisi analogice, quasi Christi patres, queant (((p.200))) appellari. Itaq. praecellunt in Modo; in Facto Deipara, eo, quod Sacerdotalis operationis est fundamentum. 1 Cor. 3. *Fundamentum enim nemo aliud ponit*. Nos autem. 1. Thes. 6. *Thesaurizamus nobis fundamentum novum*.

Quaeris: Tanta vis unde venit? De sursum a Patre luminum; et eo, qui de coelo descendit, Domino Trinuno. Unde in Salutatione merito dicitur *Dominus*, sc. Deus Tecum est in operatione, nam velle Dei operare est; at in suscepta carne *Dominus*, Dei Filius tecum, est ex hoc, et Filius tuus hominis. Hinc cum Filius sit Dominus dominantium; mater quoque jure divino, et naturae domina est dominantium. Cum autem quilibet Sacerdos in Modo praedicto sit Excellentissimus; recte praecunctis laicis terrenisque Dominis, Dominus audit, et est, dominus dominantium; ut qui solus spiritaliter, et sacramentaliter pascit gregem laicum fidelium; eumq. regat in vita per scientiam sacerdotalem, absolvat a morbis, et mortibus delictorum per potentiam; dirigatque in patriam. Quare, ut omnibus christianis, at vel in primis decet, et oportet Sacerdotes Domini ferventer, et frequenter, adeoq. familiariter illud Elogium in Angelica Salutatione *Dominus* domini sui, dominaeq. Honori acclamare. Quod sane cum nusquam saepius, rectius, aut sanctius fieri queat, ac in Psalterio Domini, et Dominae: idem quoque ut frequentent tum ipsi, tum et frequentari abs plebe praedicationibus efficiant oportet. Quo cum officio suo tanto debitam, dignam Deo, Deipara dignam: omnibusq. salutare meos praestare memo vir bonus inficiat: valebit. Psallite ergo et praedicate psalterium Domini, et Dominae nostrae, o Domini Sacerdotes. *Vae canibus mutis, non valentibus latrare! Vae Dominis pigris: nam durissimum iudicium fiet his qui praesunt. Vae servis pigris; auferetur ab eis talentum Evangelii hujus Psaltici, et dabitur genti facienti fructum*.

EXEMPLUM.

Plebanus quidam in Provincia Provinciae, Petrus nomine, praeter coeteras suas paraeciales curas, et functiones: ad illam quoque pari, et spiritus impulsu, et conatus annis ferebatur: ut cum ipse plurimus esset in orando Psalterio Jesu, et Mariae: tum vero etiam pro concionibus idem plebi ferventer commendando multus esse consuisset. Et fructus in gregem pium constabat insignis. Isq. dupliciter plus quam centuplus. Alter spiritalis animarum: quas ille Psalterii coelestium charismatum gratia plenas Beate opulentes ditabat; sic ut in uberrimam morum segetem optimorum procreans multiplicaretur in immensum: atque ad Sanctorum messem meritorum feliciter albescens maturesceret, gratissimum Deo, Angelis, hominibusq. spectaculum. Alter vero temporalis fortunarum: quos per sedulum oblatis Deo, Deiparaeq. Psalterii sacrificium plantabant ipsi: rigabat Patrona Maria; incrementabat Jesus. Quin et securissime tutabatur. Nam plagae duae, per temporum intervalla, toti provinciae miserandam intulerunt (((p.201))) vastitatem, pestis, ac bellum. Ab utraque tamen solam servavit immunem Deus Psaltarum parcoeciam pestilentiae vis saeva epidemiae longe lateq. hominibus provinciam exhaurit; non attingit psaltarum parcoeciam. Belli circumlata saepius tempestas stragem mortalium fecit plurimorum; aedium sacrarum, profanarumque juxta rapaci depopulatione nundationem primum, tum postea injectis ultricibus flammis exustionem solo tenus intulerat; agros etiam, terrasq. miseranda calamitate saepius evastarat; in dictae psaltarum parcoeciae regionem, atque discriptum pedem infestum nullus unquam hostis, aut posuit; aut velut erepta eis hostili mentis barbariae, nunquam nocere cuiquam attentarunt.

II. QUINQUAGENA

De quinque Fontibus Excellentiarum Substantialium S. Sacerdotii.

Hae censi possunt istae. 1. Angelica potestas. 2. Patriarchalis potestas. 3. Apostolica. 4. Beata Sanctorum. 5. Sancta Religiosorum.

VI. Excell. est Angelica potestas Sacerdotum. Esto, sit sua, ut vere est, SS. Angelis mirifica potestas in res creatas universas; sit et supra has praeclarissima ipsius nobilitatis praestantia; qui vero nullam habent sibi concessam a Deo facultatem inter sanctissimum Christi corpus, nullam inter augustissimum vel Sacramentum, vel sacrificium Eucharistiae; habent aut pro officio sibi demandatam soli Sacerdotes. 1. Quo in munere incomparabilis dignitatis, ac potestatis, Choros Angelorum, quotquot existunt, ultro concedere Sacerdotum S. Collegio, nemini orthodoxos, dubium esse, vel obscurum potest. 2. Qui ipsum Angelorum Creatorem ad aras pro nutu suo, ac officio faciunt Sacerdotes; qui ipsum inter manus gerunt, et contrectant sacri: qui manducant, dantq. manducandum Sanctis: qui immolant victimam incruentam pro cunctis vivis, et viva perfunctis vivis: eos ipsi colunt, mirantur Angeli ac cernui venerantur; nec ab iis sese ita adorari patiuntur, ut in prisci Lege Testamenti. 3. Quicquid Beatis inest Spiritibus, creatum id est, ut in creaturis: solumq. id valet in similia sibi, quanto vis licet intervallo, finita pariter et creata. Sacerdotis vero infusa a Deo potestas visq. Characteris non solum tempore aeternabit, sed opere posset perennare, cum perpetua potentia: ni Deus eam functionis executionem ad mortaliu in terris officium, aeternq. contulisset. Ut Legislatoris Summi Pontif. sit standum voluntati. 4. Age, si unum aliquem e novem Chris Angelorum in quam Ecclesiam demissum apparere juberet Deus: prae stupore, ac veneratione qui te sat digne, depiteq. haberes, difficulter tecum forte statuere posset: jam vero, ecce, Sacerdos Regem Angelorum Jesum e coelis evocatum, coram oculis exhibet tuis: et quid agis, quid cogitas? Novit id cordis inspector. Judexq. tui ipse qui est, et adest. 5. Ex quo ommissae (((p.202))) Missae jucturam, et indignitatem existimat. Num quid vero inde debes Psalterio Jesu, et Maiae, o sancte Sacerdos? Et quidem multum per omnem modum. 1. Tum quod Christianus es, Christum induisti. O ingratus, et in Salutationis voce illa *Tecum* non creberrimam tibi innovares istius memoriam quod Christus sit *Tecum*? 2. Deinde, quod Angelus Domini es Sacerdos, et dignitate tanta indigne, Domini degentis *Tecum* raro recordaberis: praesentem raro venerabis? 3. Ad haec quod Domine Angelorum potestatem in Titium potestate tua characteristicam vincis Sacerdos: quod Sponsam cum inauguratione tui Mariam, dante Deo, sortibus es Sacerdos: et inhumane Thrax in suo eam laetificare Psalterio cessas oblata ei jacula devotionis, de fonte *Tecum* reserato? Psallite igitur, et praedicate Psalterium Sacerdotes.

EXEMPLUM.

Thomas quid in Normania, Archidiaconatus honore inclutus, post stata sua solemnia religionis cultusq. Dei in Ecclesia publici officia, partem magnam primae suae pietatis exercitia in Deiparae, Christi. in primis cultu ad psalterium arbitrario consumebat. Et cujus amore captus ipse, illius observantia trahi optimum quemque in votis gerens: commissos vero sibi subditos omni diligentia, et industria ad idem studium sanctum inductos accendere adlaborabat. Ergo suoapte experiens exemplo, suus virum zelus, ipse, nulla specie affectata, sed veritate solida, et virtute, subditis praebebat ad spectaculum venerabiliorem tanto, quanto in psalterii praeculis assiduitate, in consuetudinem versa, dimissiorem esse probabat. Ad duplicatam exempli vocem, vocem caetere addebat virtutis efficacem tertiam: quartam quoque adjiciens vocem praedicationis psalterium, quibus poterat, per conciones publicas admirabili cum gratia, atque facundia libenter, saepe, et vehementer commendare insistebat. E diverso Deus suum in Roseto continuum tamq. strenuum operarium mirifica haud raro consolationis ambrosia delibutum permulcere: ut ex alia in aliam usque virtute virtutem aufereret, veluti lux justi procedens crescit in perfectam diem. Communia ista forte: at singulare prorsus illud erat. Meruit, (nihil tamen rogans tale) abs Deo per Mariam suam unicum columbam ultro impetrari gratis sibi datam illam gratiam: ut quoscunq. seu Eugenios, seu cacogenios Angelos suis aspectabiles posset oculis ubique contueri. Quod equidem verum esse existimo, quo tamen id modo, hoc ignorare me, nihil diffiteor.

VII. Excell. Patriarchalis Potestas Sacerdotum. 1. Adae, Enochi, Abrahae, Gedeonis, Samuel, Davidis, Eliae, etc. admiranda produntur opera, et dona virtutum, umbram tamen praetulerunt solum veritatem reddunt ipsam novae Legis Sacerdotes. 2. Eorum prodigiosa facta coelorum intra orbis steterunt, in elementis, rebusque creatis sese declararunt. At supra coelorum coelos supergreditur sua Potestate Sacerdos. Hic e coelo Christum evocatum in ara sistit: quem illi prophetaverunt procul. 3. Utq. Caeteros (((p.203))) mittam universos: Baptista Joanne Domini Praecursore, *inter natos mulierum non surrexit major*, meritis id quidem suis; at potestate, inquam, haud paullo major surgit quilibet Sacerdos. Joannes Christi fuit praeco, lucerna, amicus, vox, et testis: Christum digito monstravit, haptizavit, SS. Trinitatem conspexit: quid Sacerdos? Christi est effector, et Sacrificator; Dei pacificator; Fidelium pastor, ac servator; Mariae Sponsus, Angelorum Dominus Domini Servatoris frater, et interior Amicus. Hic verbum inter manus verbo parit, tractat, versat, custodit, in cibum porrigit. Tale nihil Patriarcharum valuit potestas. Vae Sacerdoti igitur, cujus acedia, vel unius dieculae, praetermittitur Missa? Resarcire damnum potest; sed neglectum, et subtractum orbi bonum utriusque redhibere non potest. Quid cogitas? Benedicte Dei, te respice, te agnosce: et metue maledictionem. Arripe psalterium Marianum, imo Jesu Christi Christianum, psalle Jesu, psalle Mariae suum illis in Salutatione istud *Benedicta*. Benedic, ut benedicaris omnem contra maledictionem. Bibe saepe salutem de Fonte hoc *Benedicta*. Offer Davidi tuo aquam de Cisterna Bethlehem etc.

EXEMPLUM.

Psalterii ictus amore diu, et honore simul, et utriusque juris quidam in Hispania, summas quasque Scholarum cathedras eximus SS. Theologiae Magister, multa cum celebritate, famae, et nominis laude condecorat adeo, ut demum ad Episcopalem fuerit Thyram evocatus. Qui altissimus sacer honorum apex nihil eum a consueta supplicandi humilitate dimovit, sed altius confirmavit. Jam enim Pontifex ad caetera Pontificalia ornamenta illud gestandi psalterii velut praecipuum sibi consuit adjiciendum: vetus ipsi quidem et familiare diu: sed Episcopo sibi novum. Verum non quale prius tenere, et circumferre secum assolebat in minoribus minusculum, et vulgare: sed grande, pretiosum, insigne: quo hominum traheret oculos: sibiq. id praedicandi occasionem praeberet, ac argumentum. Quo portabat animo, studio ostendebat; zelo idem praedicabat majore, maximo cum fructo animarum.

VIII. Excell. Apostolica potestas Sacerdotum: in electis XII. Discipuli Domini duo considerantur; Apostolatus: in quo degerunt ultra triennium inde ab Vocatione, et Sacerdotium: quo in coena pridie Passionis sunt initiati? 1. Unde utriusque connexio haud esse necessaria ducitur: estq. posterius prioris Apex, atq. coronis. Quo circa. Sacerdotalis potestas, atq. dignitas longe antecellit Apostolatium solum. 2. Nam hic Apostolatus, discipulatus est; et ministerii manus: Sacerdotium vero summi est Mysterii Potestas. 3. Quemq. Discipuli praedicant; eum Sacerdotes conficiunt, et praestant. 4. Apostolatium simplex constituit vocatio: Sacerdotium instituit Unctio Sancta. O immemores sui, ingratosq. Deo: qui vel indigne, vel tarde, ac frigide munus tantum obeunt Sacerdotale! Non se Christos Domini esse recordantur? Saudeo, emanant aurum ignitum, probatum, ut a facie ejus duri, superhique (((204))) montes **fuant**. Quare divini arripiant psalterium amoris, honoris, et honestatis: in illo suo Unctionis eos praeclare admonebit toties in eo repetitum illud *Tu*. Hoc demonstrabit Sacerdoti, *Tu* qui es: annuntiabit de Christo. *Tu*, quantus es: docebit de Maria. *Tu*, qualis es; ut *Tu* similis esse Tui Sacerdotii, Christi, Mariaeq. studeas.

EXEMPLUM.

Frater quidam noster sacri Ordinis Praedicatorum in Lotharingia, non obscuri nominis Concionator, in more, solemni positum observabat: **nt** nunquam ordiretur sermonem, nisi communiter Maria salutata. Nec perorabat ante, quam supremam praedicationis suae partem occupasset, aut almae Matris Mariae insignitum praeconium, aut ejusdem psalterii Angelicaeve salutationis commendatio. Utrumque solemni auspicabatur formula tali: *Nunc salutate Mariam*, aut, *os dulce faciamus*. Istud autem quia singulari cum zelo, affectusq. interioris fervore, ac devotione frequentare amabat, perpetuaque constantia: fidem ejus respexit Deus, respexit ardorem Maria, gratiamq. gratiosae praedicationis, sub ipsius vitae exitum, ad exemplum memorabile declararunt: simul insignite suum ipsi zelum sunt remensi. Cum enim vitae cursum pene

consummasset, jam spiritum redditurus Deo, tanta et consolationum suavitate, et quadiorum ubertate perfusus exundare coepit: ut vegeto, prorsusq. sano esse corpore videretur: ita vis Spiritus vim morbi, ac mortis superabat. Quin et sua ipsum Regina coeli dignata praesentia, sese ei manifesto praebuit aspectabilem, innumera coelitem circumsistente corona gloriosa. Quo haud paulo majorem egressus sui testibus oculatis reliquit mentis suavitatem: quam suarum concionum auditoribus Angelicae Salutationis praedicatione dulcedinem oris, ac spiritus consiliare consueverat.

IX. Excell. Beata Sanctorum Potestas Sacerdotalis est. Fortitudo Martyrum, Fides Confessorum, Castitas Virginum ex vi magna gratiae, atque potentia emanarunt: Verum: si effectum attenderimus: inesse vim gratiae gratis datae potentiorum Sacerdotibus fateamur oportet. 1. Enimvero fortes illi in martyrio contra Tyrannos, aut bestias, aut tormenta perstiterunt: aut eorum merito gratiam Deus super gratiam accumularet: idemque fidem Confessoribus exaugeret: Verum isti duntaxat rivuli fuerunt ab inexansto Fonte gratiarum dimanantes. Fons vitae Christus est. Hunc autem fodiunt, parantq. Fontem in corpore Ecclesiae Sacerdotes. Quare eam, ex qua rem tanto praestant diviniorem, potestatem esse multo efficaciorum, et digniorum necesse est. 2. Et si effectus adaequari causae debeat, omnino debet ea esse infinita Dei potestas in Sacerdotibus, quae effectum producere infinitum, Deum, hominem Jesum Christum, verbo potenter, et infallibiliter velet. Sanctorum nullus constantiae, fidei, alteriusve gratiae suae fuit infallibiliter securus: nisi (quod perraris obtigit felicitas) ex peculiari revelatione Dei; at rite, et ordine institutus sacerdos, **((p.205))** quantumvis, improbus, collatae sibi potestatis omnino Fidei habet certitudinem: ut cui ex vi pacto, et fide suae Institutionis Jesus non velit non parere, et adesse: cum primum verba Institutionis sacrae super panem, et vinum integra pronuntiarit. Ita nimirum vult, jubetq. Sacerdos Sacerdotum ipse suum sanctum Sacerdotium firmatum ac honorificatum permanere. Totus igitur ille Dominus Jesus cujusque sacerdotis est: quo de particulas aliquas quisque Martyrum, et Confessorum velut decerptas participarunt: meritoque jure sortes sunt, et admirabiles visi. Quae cum ita habere nos sacra fides doceat: age nunc, fac ita esse; posse quem et velle Martyrum aliquem, v. g. S. Stephanum, e coelo detrahere, exque rerum natura exturbatum, extinctum in nihilum redigere: quis illud non facious infandum detestaretur, et prae grande inflictum Ecclesiae vulnus, importatunque damnum deploraret: atqui unius duntaxat Sancti jactura ea foret tot inter myriades Divorum. Ista liquet de plano.

Adde: Sacerdos aliquis ex acedia, aut quaqua alia socordia, omisso diurno sacrae Missae sacrificio: quid age, quem quantumque subtrahit utrique, et Militanti, et Triumphanti Ecclesiae? Unum aliquem e Divis? Unum ex tot militibus? Unum Deum hominem Deo pro Ecclesia offerre omittit: ut hoc minus habeat in aeternum Ecclesia, idq. culpa unius sui ministri Ecclesiae. O inaestimabilem, et irreparabilem jacturam! Si hoc non credis, Christianus non es: Si floccipendis, nec bonus est, nec pius. Te respice, o Mysta Dei, nosce te, et miserere animae tuae. Tuum sanctum honorifica sacerdotium. Sin. exonorabit te Christus. Huic tibi factum a Deo prebende adjutorum, Jesu, Mariaeq. psalterium, in quo ex maledicto nati habent orandi gratiam, pro omnium salute natorum ex mulieribus, per merita Benedictae *In Mulieribus*. Natus enim ex Muliere Virgine Maria, per hanc ex orbe maledictionem eliminavit; Ipsamq. substituit Benedictam *In Mulieribus* et hoc nomine suo eam merito voluit digne honorari, ut mortalium factam *In Mulieribus* adju totium. Et vero peculiarem sacerdotibus sponsam, in ipsa eis inauguratione sua datam. Quo interius, familiaris, ac impensius ipsam ab iis sancte coli, non par solum, sed et omnino necesse est. Idq. in psalterio ipsa dignissimo, cunctis facillimo, Christo Deo, Divisq. coelitis dignissimo idest angelico prorsus, ac divino. Hoc igitur *Psallite, psallite sapienter*, et praedicate.

EXEMPLUM.

Novit Civem, colitq. suum Picardia tellus, gesti Decanatus insignem honore; insigniorem vero longe SS. Theologiae Magisterio. Quod tamen utrumq. meriti splendoris lumen vir ipse modestissimus tanti non facere; quin alio de altriore, sibi a Patre luminum accedendo, solícite cogitaret in cujus luce, vere lucis filius illustrior versaret. Atque istud aut in psalterio requirendum, aut ab eo repetendum, aut per illud impetrandum sibi esse persuadebat, **((p.206))** et fefellit nihil. Psalterium, cui ex puero insuevisset pro consuetudine, provecior usu pro Religione magni semper facieus, attentius usq. frequentavit; et constanter. Sive quod gustu quodam sapidiore intus lactaretur: sive quod rationis perspicacia, et efficacia veritatis; quam in eo precandi ritu solidam, et divinam, minimeq. exambitam, affectatam, fictam, fictitiamque precularum more caeterarum libellaticarum, pervideret. Quicquid id erat; viro ad psalterium mirifice adlubescebat et ratione, et spiritus inspiratione. Ad psalterium Deo Divaeq. maximae supplicabat; Psalterium ad corpus suum e zona propalam

gestabat, prae alio quocumque gloriosus ornamento; Psalterium privatis congressibus, publicisque sermonibus, multo cum ornatu, etiam e suggestu praedicabat. Et tanto cum affectu, ac studio, ea cum frequentia, et exhortandi ardore: ut non persuaderet solum, verum etiam persuasos psaltas in praecipuam sui verteret admirationem. Nec tenuit illa sese: quin eximiis percunctantibus ab eo Magistris collegis suis erumpere: ecquid est, Clarissime D. Decane, quaerunt; adeo genere argumenti, re vulgari, deque trivio, mulierculis nota ipsiq. puellis? Eximius es, neq. ut unus e multis, s. Theologiae Magister, ad sublimia natus ingenio: usu factus, et exercitatus ad magna: inque his ad extemporaneam usque promptitudinem paratus, ac probatus, Trivialia triobularibus relinqueret graculis, monent.

Quibus vir, altae mentis, prudentiae magnae, tacito auditis cum dolore, altius pressit animo omnem scientiae profundoris altitudinem (quod ex hujus imo fundo isti Magistri sc. nostri responsum sibi fore superciliose rebantur) vicissimque et ipsos familiariter percunctatur: *Agite, cur omni die panem, potumque repetitis eundem semper, et quanto nancisci valetis optimum? Cur iisdem fere semper induimini vestimentis? Cur eodem continuo habitatis domicilio? Cur ex uno vestro, seu Magisterio, seu Sacerdotio vitae omni reliqua victitatis?* Respondent. *Quia sunt ista necessaria.* Subjicit ille; *Comedere, bibere, docere, sacrificare ex die in diem, semperque idem actitare, et repetere in orbem, nil vos piget, pudetve: Nec ego verebar Divinum quotidie gestare, orare, et praedicare Psalterium, quod panis, potusque vitae est, quod vestimentum est, gratiae quod initium, et compendium Evangelii, et Christianae fundamentum est Theologiae; quod in Corona Sacerdotii gemma est, et ornamentum; praesidium vitae, gloriae palatium, Beatorum gaudium, Angelorum Canticum, Delicium Sanctissimae Trinitatis.* Dixit, obstupuit, et obmutuit sublime circumstans Magisterium. Et ea intelligentibus pauca. Ergo ex eo tempore, et ipsi, velut indicto certamine mutuo, psalteria sibi comparare spectabilia, circumgestare secum in publico orare, dilaudare, propagare contendebant.

X. Excell. Sancta Religiosorum Potestate major est Sacerdotum. **((p.207))** ea, quam hactenus demonstratam, admiramur. Et parem potestati Sacerdotali dignitatem consequi oportere, nemo non videt, planeque intelligit. 1. Jam igitur omnium qua Religionum sacrarum, qua Religiosorum s. Augustini, Benedicti, Hugonis, Bernardi, Dominici, Francisci, Thomae, et quorumq. caeterorum, colligi unquam eis a Deo concessam, etiam miraculorum potestatem: et hanc ad unam sacerdotalem compone, disparem maxime compositionem ipsa ea comparatio demonstrabit. Adeo omnis ea finita sub Deo, superq. res finitas solum erat: at illa vero sacerdotalis origine sua est ex infinita aeternitatis duratione: effectu operis divini immensa: miraculorum miraculosissima: datarum gratis gratiarum gratiosissima; siq. caetera responderit, (praeter laureolas) gloriarum coelestium gloriosissima potestas est, ac dignitas Sacerdotum. 2. Demus: uni alicui omnium Religionum concedi gratiam, et potestatem instituendarum, et ad ultimam usq. in terris perfectissimo provebendarum: par ea tamen sacerdotali esse non potest ex se: cum haec sola sit potestatem sortita in omnis gratiae operatorem, ac glorificatorem *Jesum*: qui quanto cunctis major est summo Pontifice, tanto Sacerdotes prae cunctis aliis Ordine sunt, et honore. 3. Vide nunc, o Sacerdos. Vel unum aliquem Religiosum Ordinem extinguendi licentis abutaris licet: fac te ita, posse: aut unius dieculae divina ad aram operatione, et sacrificio Ecclesiam priva: quod potes, et heu, saepe minis audes. Jacturam porro utriusq. Expende facti. Ordinem undequaq. finitum, perq. se finiendum sustulisti: eumq. innumeris expositum tentationibus, ac miseriis subtraxiisti in ipsa felicitate miserum, mortalem in sanctitate sua: at missam omisisti? Deum *Jesum* Ecclesiae non dedisti: non Deo sacrificium obtulisti: quin Deum tanc in tantum, quo ad te, et poteras, ex Ecclesia sustulisti, cum dare negasti. Exhorrescis? Et hoc amplius, quod in summa mundi miseria Consolatorem; in tot, tantisq. periculis Conservatorem, in scelerum infelicitate Redemptorem, quantum in te, avertisti. O horrendum malum? Time, time ne Sacerdotalis benedictio in gehennalem habeat maledictionem, prius, quam circumspicere queas. Quapropter oro, et obtestor, *Christos Domini*: vos, vos Benedictos *Jesu Christi* compello; in benedictae Virginis Psalterio dignissime illud *Et Benedictus*, frequenter, frequenter Psallite Deo, et fidei praedicate populo. Ille fons est variae benedictionis.

EXEMPLUM.

Anglia inde usq. ab Ven. Bedae sancta institutione et cultura, velut hortus Rosariorum, floruit in Ecclesia semper, fragrantissimeq. spiravit. Vixit illo rosa nobilis Angelica Angelicus Episcopus, vel ab unius Psalterii laude ita celebris; ut in posteritatis memoriam ipsa facti illius, studiiq. celebritas omisso viri, lociq. nomine, pleno cursu invaserit. Qui is caetera cum zelo, et honore munia explevit, cunctis Episcopis communia, peculiare illud **((p.208))** unum, prorsusq. singulare satis luculenter declarat. Psalterio *Jesu*, et *Mariae* non devotus solum Deo servire proq. virili placere nitebatur; parum viri zelo videbatur, idem crebro, sedulo, et

oppido praedicationibus suis evangelizare: in eo gregem suum ita pascere diligenter, ut ipse rudem populum, grandaevam cum tenella aetatula puerili catechizaret, adq. usum psalterii informaret, ac istaret: parum inquam haec Episcopo. Vide, admirare, imitare, qui potes, ingenium Psaltae Mariani. Quas usquam pecuniarias culparum multas accidere contingebat ex commissione sive laicorum, sive clericorum sibi subditorum, collectas eas ad Psalteria, tam numero plurima, tum pretio, ac forma quaedam insignia, coemenda expendebat: Psalteria vulgo distribuens, omnia per Episcopatum suum implebat psalteriis. Quo an, et qualem sui plantarit nominis memoriam in terris inter homines: quo fructu Mactas suas reddiderit Ecclesias; quae vitiorum senticeta per Rosariorum procuratiorem a roseto suo probibuerit: quanta virtutum fragrantia complevit Episcopatum: suo meritorum gloriam in coelis construxerit: aestimare rectius quisque cogitatione potest, quam ego oratione, stiloq. complecti.

III. QUINQUAGENA

De quinque Castris Excellentiarum Accidentalium S. Sacerdotii.

Suis haec vocabulis appellemus. Potestas 1. Miraculosa. 2. Ecclesiastica. 3. Politica. 4. Reliquaria. 5. Gloriosa. Nunc breviter explicemus.

XI. Excell. Miraculorum Potestas in Ecclesia, ut divina sit, multoq. maxima: admiranda aequae, ac veneranda: illa tamen ad transubstantiandum sacerdotalis eo videtur imprudentiae, vel ignorantiae minor, quod communior sit, adeoq. vulgaris appareat. Eo autem par illi miraculorum dono censetur: quod utraque sit in ordine gratiae gratis datae. Culpandum istud: hoc approbandum est. Isto autem quod infinitis illam, ut ajunt, parasangis antecellat; quia effectum operis divini infinito pretio, ex infinito duratura characteris potestate, producit sacerdotalis potestas: ex supradictis liquet. Excitare mortuos, reluminare caecos, morbos depellere, effugare daemones, linguis loqui novis: horumque similia ad unum istud: Patrare Missam: sunt minutiora, quam ad universos coelorum unica stellarum minima. Parum dixi, nec probe satis. Nam miracula designantur in creatura aliqua: at hoc miraculorum miraculum in Creatore: quantum igitur hic prae illa, tantum sacerdotio insignes, et miraculis celebras ab sese longissimo longius adsunt. Si igitur magna orbi, et Ecclesia qua beneficia, qua ornamenta conferri miraculis censentur: et recte, quid afferre sacerdotium conferri miraculis consentur: et recte, quid afferre sacerdotium aestimari debet? Verbo: Dei filium. Quo item quantoque orbem privare bono credes sacerdotem, unius intermissione (((p.209))) sacrificii? Dicam semel: Dei filio. Quid quaeris amplius? Quid dicimus? Numquid aliud damnosius? Utinam non et damnabilius istud aliis foret? Deus o tantum probibeto malum! Et vos o Christos Domini testor, testor Christum Jesum: ipsi vos a vobis tantum, si vultis, nostis, et minimo potestis prohibere malum: minimo, inquam labore: maximum honore, pretio, merito. Et istud est psalterium Jesu, et Mariae: hoc psallite, hoc praedicate. In illius die salutationis Angel. Angelico castro hoc *Fructus* dicto vos includite votis, ac animis totos, et devotos. O Fructum sancti sacerdotii! O Fructum sancti psalterii! At uterque idem in utroque plane, pureq. divinus est.

EXEMPLUM.

Nostra nobis Brabantia civem extulit, virum in Ecclesiastica luce Canonicum, multis salutarem, honorabilem patriae: venerandum visu, auditu admirandum. Is orare, in portare, is privatim commendare, praedicare publice, ac etiam dono dare multis multa jam diu consuevit psalteria. Quid illi Deus rependere? Quid reponere Deipara? Unam quidem in coelo pro mille psalticis, sed millies mille millenis meliorem coronis coronam. Hic vero quid? Qui sua sese constantia coepit, in excellentia zeli psaltici, cunctis, diu praebuit in exemplum: hunc Deus, nec raro, optimo quique, aequis etiam et iniquis juxta dedit in spectaculum. Qui multis per psalterium divinitus venit in auxilium: hunc ipsum Deus, ejusque opera vocavit, esseque jussit in miraculum. Hac inclutus miraculorum gratia dumq. Canonicus vir factus est divinus: ut solo suo per psalterium contactu salutes corporum procurarit. Neque id obscure, quaeri possit, vel debeat. Adeo saepe,

adeo publice, quod semper manu prae se ferens versabat, velut per lusum, familiare psalterium: hujus attractu ab aegris, quos libenter intervisebat, morbos graves, nunc praecipites, alias diurnos, momento depellabat. Desperatos crebro pestilentias tactu Rosarii extinxit: malignos febrium aestus fregit, abegit suae tactu coronae. Ex utero graves gestato praegnantibus ad partum facilem felicitavit: in puerperio difficili periclitantibus, allatum Canonici oratorium, protinus saluti fuit et partui, et parenti, clementerq. vinculis exolvit; dolores dentium acerbos admoto Psalterii calculo praecario mitigavit, et abstersit. In quibus nulla viro sui fiducia meriti erat; sed tanta de Psalterio fides, ac reverentia per Angelicae vim Salutationis, Maximae Divae Patrocinium, Dei. adversus tam Sanctum praecandi ritum favorem, ac honorem.

XII. Excell. Ecclesiastica potestas, quam jurisdictionis vocant, ut santa illa sit, exq. Deo, ad sacerdotalis tamen potestatis excellentiam adspirare non potest. Ex uno metire caetera: Pontificatus summi in terris praecellentia nil alius, aut sanctius: postq. Christum in Ecclesia militante nil prius: sed unam excipere sacerdotii potestatem. Ratio liquet: Haec est in corpus Christi verum, ista Pontificalis in mysticum, quod est Ecclesia; ut vel in ipso **((p.210))** Papa nihil sit admirabilius, potentius nihil sacerdotio. Quid ergo, o Sacerdos, ait Hugo, Pontificatum amabis. Hic spuma sacerdotii est; quae ut aquis vitae supernatet altior gradu; at inanior est pretio, ac inferior. Agnosce igitur te Christum Christi, tuumq. honorifica sacerdotium sanctum. Huc viam, rationemq. ex ipso repete Christo tuo. Hic Sponsus Ecclesiae unde processit? Ex benedicti uteri thalamo virginali Matris Mariae. Huic acclamatum est. *Beatur venter qui te portavit*. Sed mulieris anonymae vox illa fuit; accipe Arcangeli, et s. Elisabethae istam, quamvis Sancti Spiritus utraque. *Benedictus fructus ventris tui*. Benedictionem ventris acclama Nato, matriq. Acclama. Et ubi gratius, sanctius, salutarius, quam in Angelicae Salutationis psalterio? Psallite psalterium sacerdotes, ac praedicate Jesum, et Mariam.

EXEMPLUM.

B. Albertus noster re, et nomine Magnus, ac mirum, vir quantus? Ut ipsius comparatione Alexander Macedo, Cn. Pompejus Romanus etc. sit parvus appellandus. Doctor is, quantum humana pene fert conditio, vere Omniscius; aut Christianus quidam Varo, Gorgiasque Leontinus; prope dixerim, qualis alter Trismegistus. Tester loquuntur condita ab eo volumina, et maxima, et plurima. Verum aequa via, modoq. ad tam insolitam, planeq. incomparabilem rerum omnium scientiam sese emerit? Aperuit, inquam, os suum, et postulavit a Deo, qui dedit illi sapientiam. Ab pueritia divinae Sapientiae Matrem amavit, ac laudavit. Haec coelestem apud Salomonem oravit pro ipso, exoravit; ac modesti commemoravit. Quaeris, quo potissimum observantiae, ac pietatis genere rem tantam per tantam Patronam apud Deum obtinere valuit? Dicam verbo; psalterii merito. Neque abs vero, aut ratione. Vidit in Mente Divina Virgo, ac providit, qualem foret, quantumq. sui ipsum habitura cultorem. Quippe quem prima sua pueri aetatula, Dei Parentis ictum amore, ac devotum, esset Virginis observantiae servulum mancipatura. Hujus igitur ab teneris annis addictum Religioni puellam, nec dum prima literarum elementa balbutientem; Dei Genitrici tamen orationibus deservientem; alio usum orandi ritu, modoq. esse non potuisse certum habeto, quam vulgatissimo, ac facillimo psalterii, id aetatis per S. Dominicum innovato. Dominici *Pater*, et *Ave* Angelicum puer iterabat Albertus. Hoc commeruit sexto supra decimum aetatis anno apparentem sibi Dominam videre Mariam; quae ad suum illi Ordinem Praedicatorum viam ostendit; et aperuit. Alias eadem, in Religione novellum, philosophiae adhibitum auditorem, sed ingenio spissiore, illuminat, ac ingenitum miraculo: eoq. provebit scientiae, ut orbis, aetasque omnis sat eum suscipere non queat. Cum vero immensa in ipso Dei gratia eluceret certa: incertum esset autem sollicito, quo evasura foret scientia tam insolens: ideo suis **((p.211))** se viribus tacite metiebatur Albertus, et dono Deiparae utebatur aperte. Venit tamen in mentem illi vereri subinde, non quando sui immemorem abuti contingeret ingenio, ac in mirabilius supra sese ambularem, hoc gravius excidere vero, quo saperet altius. Metuebat, ne per occulta Naturae, per alta Philosophiae, per sublimia Theologiae, per sacrae scripturae profunda, per arcana interiora provectum forte quis fallens inadvertentem scopulus exciperet, et error Doctoris posterior, priore fieret Discipuli habitudine deterior. Ergo illi dum cura haec in omnibus una potior urit animum, ac urget: ipse consuetis sibi precibus instat pernoti jam praesidii Advocatum: ipsa, quae dedit, et dirigat scientiam; flectat ab errorum syrtibus currentem Magistra veri. Nec irritae cecidere preces: hocq. minus, quo magis utebatur Salutatione Matris filiolus. Experitur, citius illam ea velut materna orantes lingua Salutationis suae audire. Adeoq. vel in ipsis precibus Dei Mater opprimit supplicentem, audire dignata, ac reddere voces salutanti. Fili, insit, metus: altiora te ne sapias? Euge, beatus, qui semper est avidus! Erit tibi

hisce timor Domini principium sapientiae longe inoffenso, summo omnia scientiarum, ac sapientiae mihi permeabis; lumenq. de lumine, simile tuo, quin et haud paulo majus, post te relinques. Per hoc orbi non ullus error dabitur; sed omnis extirpabitur. Erit isthoc tibi signum. Sicut in studiosae vitae tuae limine per me tibi a Deo infusa omnium scientia venit; ita quoque olim, et repentina veniet ejusdem oblivio. Nimirum quando non procul fueris a limine mortis. Dixit, abscessit. At ille Virginem, Virginisque prolem in psalterio ferventius benedixit. Inde porro qualem vidit, ac sentit Dei Matrem; talem, et describere instituit libro admirando, et eo in genere argumenti incomparabili? Quem de Laudibus B. Virg. Mariae voluit inscriptum. Atque ita evenit, ut a Magistro Magno majorem ad Discipulum D. Thomam Aquinatem: velut ab Elia ad Elisaeum, sapientiae spiritus transiret duplicatus uterq. merito psalterii.

XIII. Excell. Polytica potestas ultro cedit subjecta Sacerdotali. Illa enim terrena est, ac brevis, superba, violenta, saepe cruenta, in Regibus, inquam, et Potentatibus, nam in se ex Deo est justa. At haec de coelo est coelestis, sacrosancta, sanctificans inq. totum modum dominatur, et in animas. Nam sacerdotes in Baptismo fiunt patres, in Eucharistia nutritii, in Poenitentia Judices benigni, mediciq. Salvatores: in extrema Unctione tutores, et consolatores, in Matrimonio Senatores, contractoumque confirmatores; in Confirmatione Duces: in Ordine, Angeli Dei; in praedicatione Apostoli, Doctores, Pastores etc. Quid ergo, quibus data est potestas in Papas, in Imperatores, Reges, quid degeneres, timetis illos nec Sacerdotalem tenetis Constantiam? Quid divinum ordinem pervertitis, divinamque cum potestate dignitatem humanae substernitis. Si causam quaeritis: illa est, vestra vos subnervant peccata, pessundat conscientia saeva. Vos ipsos aufertis ipsi **((p.212))** vos vobis prius, ac proditis profanae potestati, ipsi proditores vestri, aut saecularium adultores facti, profanatores sacrorum, Christi. traditores Judae. Hinc sicut populus, ita sacerdos. Quia Christum non confessi estis, et ipse dicet: *Nescio vos, ite maledicti*. Tantis, oro, occurrere malis: ad vestrum concurrere Castrum Marianum, Civitatis supra montem positae, quod aedificavit sacrosancta Trinitas, dedicavit Archangelus in Salutatione, possedit Maria, Dominae Dominantium propria esse omnia Divina, humana; postquam cum uno dedit omnia. Eum ad nutum habet, in quo omnia, per quem omnia, et ex quo omnia. Quae professio possessionis cum in salutatione fiat Angelica, et Sacerdotes sint Angeli Dei; Psallite idcirco Deo in psalterio Jesu, et Mariae, psallite sapienter et praedicate Evangelium ab Angelo nunciatum, in psalterio custoditum.

EXEMPLUM.

Cum S. Franciscus, Ordinis Auctor Seraphici, et Patriarcha, suos per orbem Fratres quaqua versus dimitteret praedicatum Dei Evangelium, quidam in Alemanniae delatus regiones, commune sibi cum Archangelo praedicationis exordium esse duxit frequentandum. Haud dubie, sicut s. Dominico submissus a Deo in sortem, partemq. praedicationis venit, tanquam coelo lapsus, s. Franciscus: unoq. Spiritu mutuis in amplexibus hausto, pari orbem passu peragrarunt sic et utriusque Fratres, iis in principiis, idem praedicantes Evangelium, ac Evangelii laudantes Genitricem Mariam; per eadem inceserunt quaeq. vestigia praedicationis sanctae. Unde simili imbutus spiritu Frater ille, per Alemanniam suis praedicationibus Angelicae circumtulit salutationis commendationem. Quo differendi genere, ac studio cum mirificum late fecisset animarum fructum: et dictis facta, vitaq. docentis responderet doctrinae; eam de sese apud omnium animos excitavit sanctitatis opinionem, ut tanquam verus Christi Apostolus aliquis observaretur.

XIV. Excell. SS. Reliquiarum mira Potestas per orbem sese declaravit, hodieq. demonstrat: at jure meritissimo sanctae eis Religionis observantia debita sit deferenda. Quot enim et quanta Deus per eas est in terris prodigia operatus? Nec solum: sed et ipsae quanto in miraculo sunt reponendae. Ut cruor Domini asservatus: Crux, clavi, lancea Christi, inconsutilisq. toga, sacra ossa Apostolorum, ac myraides Martyrum, Confessorum, et Virginum Sanctarum. Sacerdotia componere singula quid attinet? Crux mortuum sustinuit, custodivit sepulcrum Servatorem Sacerdos vivum servat, et gloriosum. Quid multa? Non est potestas super terram; quae comparetur illi sacerdotum Christi. Quia fortes facti sunt in Christo. Quare ut fortitudinem suam ad eum custodiant: suum istud proprium incolant castrum oportet. *Jesus* dictum: in praecelso positum monte Psalterii; hoc praedicent ac tueantur. **((p.213))**

EXEMPLUM.

Celebratur in Tuscia, multa laude, et sanctitatis opinione Episcopus quidam; quod in habendis ad gregem suum concionibus sit ipse non ordinarius tantum; sed et perfrequens, et pari cum doctrina ferventissimus in dicendo. Idq. cum in omni genere argumenti paratus; tum vero in Psalterii Jesu, ac Mariae praedicatione exercitatus, et omnino singularis diu quidem, ac prope solus. Verum postquam coeteros Curiones suos complures nihil permovebat exemplo, ad imitationem psalterii commendandi; uti coepit imperio. Itaque pro Episcopali auctoritate, universos suae ditionis pastores animarum ad praedicandum psalterium edicto, poenisq. Coegit intentatis; ac in eos etiam inflictis, quos sensit contumaciores. Et via vi facta est. Ut saluberrimi in precando ritus in aliquam piae plebis notitiam pervenit; haec ad usum viam aperuit; in primis Dei gratia tum ad praedicandum coactorum voluntates reddidit promptiores; tum auditores quoque subditos, defensa ignorantiae nebula, serenior gratiae radius afflavit, ut paratiores ad usurpandum psalterium manus, animosque applicarent. Quo factum brevi est, ut principii tarditatem exinde **consequenti** progressus celeritas compensaret. Ita mitioribus uti pleriq. moribus, obedentiores Magistratus degere subditi, inq. alios repente mutari homines coeperunt. Ut nec dubium esset illi, nec obscurum; quod Digitus Dei hic adesset, et Virtus Altissimi obumbrasset eos. Id quod, secundum Deum Deiparae patrocinio, psalteriiq. merito nemo non ferebat acceptum. Deus etiam, placere sibi pietatem plebis zelumq. Praeconum psalterii: non dubiis subinde miraculis declaravit. In primis autem Sacrum Ecclesiae istius caput, auctoremq. praeconum Religionis in praecando renovatae, Episcopum praecipui honore, seu miraculi, seu divini spectaculi condecorare dignatus est. Nam in Festivis solemnibus Almae Virg. Matris Purificationis sacris, cum sanctus Antistes prae suggestu, ad frequentissimam concionem perorando, dignis laudibus Reginam coelitum veberet, adq. Hyperduliam ejusdem ardentius accenderet auditores; multa in psalterii commendationem gravissime dicebat sic, ut omnium animos, in illius raptos admirationem, pariter, ac venerationem, teneret. Quodq. et disserentis, et audentium fervori interesset Deus, isto luculente fuit ostensum. Visa Dei Mater fuit suo adstare praeconi in ipsa cathedra, dictareq. singula verbatim, quae praedicaret. Et plerisq. astantium visa est: denique etiam praesuli encomiastae suo fronte serenissima dulce osculum figere, simul data illi benedictione: omnem circa populum auditorem aequae ac spectatorem talium, coelesti compunctionis aqua sic perrigare: ut una voce omnium celebratur, nulli, ex praesentibus unquam meminisse, omnibusq. communem.

XV. Excell. Gloriosa Beatorum Dignitas gaudet quidem visione Dei, fruitione, et comprehensione: pleriq. Deo ipsi hauriunt **((p.214))** beatitatem: at non tamen conferunt, non dant ipsi beatificatorem ipsum: ut sacerdotes. Cum autem, quam accipere, dare sit felicius: non potest non esse felicissimum, dare felicitatorem: quod verbo praestant sacerdos. Quem semel dedit orbi Virgo; saepius dat presbyter; alio licet modo. Jam sua si justam potentiam gloria comes sequitur; divinae sacerdotum potestati parem esse dignitatis gloriam necesse est. Quanto major igitur sacerdotum est potestas in dando Redemptore, quam illa Beatorum in fruendo: tanto quoque altiore illi respondere gloriam oportere videtur. Quare eos, dicit s. August. *consortes fecisti potentiae tuae: ut sint quasi Dii terrae.* Quapropter cum in Christos Domini tanta promanet qua potestas, qua dignitas ex unctione sacra manuumq. impositione: quos prius, potiusve in Angelica salutatione decebit, ac etiam oportebit frequentare illud *Christus* suumq. consalutare summum Sacerdotem: quam sacrum Ordinem ipsum Sacerdotum? Quo impensius, o Sacerdotes psallite psalterium, et praedicate. Atque ut velut verbo praedicta contrabam: Tametsi adductae hactenus partes in quindenam comparationes Meritis saperent singulae: Sacerdotes tamen praestant divina potestate: dedit Deipara Esse Substantiale Christo: dant vero Sacerdotes Esse illi Transsubstantiale. Et haec summa brevis.

EXEMPLUM.

Eremita quidam Sacerdos in Lombardia admirabilis extitit ab memorabili adversus Deiparam observantia et religione in psalterio: quod multis insigne trophaeis nobilitavit. Loca illa deserta vastae solitudinis, pluribus jam incolens annis, solitariam, et asceticam exagebat vitam, multa cum austeritate, disciplina, et opinione sanctitatis. Aspectus ipse venerandus, et exempli rari singularitas, et mirandorum ejus operum gratia, et doctrinae monitorumq. vis, ac salubritas, quam advenae auferre ab eo consueverant: viri famam late celebrant differebant: ut hominum procul ad eum affluxu eremus ipsa pene in exempti spectaculique amphiteatrum verti videretur: non mediocri ipsius cum luctu, et molestia. Post solemnia vero sacerdotii munia rite, et ordine peracta, reliqua sanctarum illius exercitationum pars erat, Psalterio sese Jesu, et Mariae toto spiritu impendere; seu vocati id oratione prosequendo, seu delecta mentali contemplatione condiendo. Atq. ita sibi, et Divis canebat intus. In publico autem a quibus solatii quaerendi causa, vel consilii capessendi, aut

auxilii ergo spiritalis petendi, invisibatur; eos ad Deiparae cultum, Psalteriiq. usum inhortari, atq. imbuere praestandum rite solebat: si quando populosior confluxisset multitudo: tum vero solemne istus statumq. observabat, ut comparata ad hoc oratione, cun insigni doctrina, et praeconio memorando, Psalterii dignitatem, Utilitatem, Necessitatem, Facilitatemve disertissime, ac zelose praedicaret. Fructum animarum, sed nisi malignis, invidendum vidit cacodoemon, et invidit. 1. Ergo fremens, frendensq. tanto saevius excitat sese, furiatque: **((p.215))** mille promens artes, ac fraudes, clam palam citat omnia: mirificis juxta, et horrificis sanctum tentationibus pulsat diu pertinax, ad rupem. 2. Diris quoq. plagis subinde multarum diverberat; at aerem. Immanibus incursat monstribus frequenter; tetris infandarum visionum larvatis spectris horrificat inopinato: Divinis intentum adversus Sathan vellicat, trudit, versat, planeque divexat. 3. Jam terraemotum intremere omnia, mugire tonitrua, fulmina micare; jam moveri omnia circum videbantur. 4. Aliquando crepantibus in flammis cellulam suam stare mediis credebat, incendiumq. globus ignium volvere in auras: omni ut humana ope desperata. Adjuva o Virgo Maria, exclamaret. Nec in ventum. Audiit vocata, adestque spectabilis insigne manu, praetendens psalterium: quo phantasticis objecto flammis, et hae disparuerunt, et immani daemones cum ejulatu diffugere confusi. 5. Alias sic ad exemplum permittente Deo, cum atroci lumbifragio, a truculentis accepto spiritibus jaceret contusus, livore, et cruore corpus totum informis, ac semianimis, mediae velut morti interveniens Vitae genitrix, defectum corporis viribus, ut non animo virgineo uberum suorum lacte in potum ei dato, protinus integrum persanavit. 6. Quandoq. horribili cacodoemonum irruentium furore eversum funditus, dispersumq. domiciliolum Sancti, ipsa Patrona Maria psaltae suo intra breve tempus eductam ex fundo aliud collocavit. Atque ista de Psalterio Mariae, quod C. et L. Angelicis salutationibus constat; cum quindenis de sacerdotio meditationibus, ad idem utiliter commemorandis; quo in primis uti familiariter convenit Sacerdotes, pro tuenda sua Sacerdotalis Potestatis Excellentia, atque etiam Laicos pro digne honoranda tanta in terris concessa hominibus potestate.

CAPUT V.

APPENDICULA

De Sacerdotali psalterio jesu Vhristi.

Hoc C. et L. Dominicis Orationibus absolvitur, Apostolorum Symbolo, Angelicaq. Salutatione quindecies interposita; idest, semel post quamque decadem sic, ut totidem liceat applicare et commeditari jam praedicatas Excellentias quindenae Sacerdotales. Quas ipsas item es Oratione Dominica, uti e Salutatione, quemadmodum repeti atque deduci valeant, sua ipsi illi Novello Sponso Maria, eadem in apparitione revelavit.

I. QUINQUAGENAE Decas 1. Sacerdotes potentiam habent Patris, ex stella Pater noster. Sic Filius commeruit, et omnia, ait, quae habet Pater, dedit mihi, et mea sunt; et ego tradidi vobis; et mitto vos, sicut me misit pater meus. 2. Filii quoque habent potestatem sacrificandi, ex stella. *Qui es.* Ait enim Ego, et Pater Unum sumus in essentia. 3. Spiritus sancti habent potestatem, ex stella *In coelis.* Nam Spiritus Sanctus inauguratione **((p.216))** impenditur cum caractere. Et is tertium coelum est Sanctissimae Trinitatis. 4. Humanitatis Christi habent potestatem, ex Stella *Sanctificetur.* Ipsa enim est Sancta Sanctorum, e qua omnis in Ecclesiae corpus sanctitas dimanat. 5. B. V. Mariae habent potestatem, ex stella *Nomen Tuum.* Hoc enim sanctificavit eam, et glorificavit, cunctis Angelis supervectam.

II. QUINQUAGENAE Decas 6. Angelicam potestatem habent ex Fonte *Adveniat regnum tuum;* quod sc. Angelorum est. 7. Patriarchalem habent ex Fonte *Fiat voluntas tua,* quae in Lege naturae, et Moysis quidem praescripta est, et facta; verum in Sacerdotibus excellentibus. 8. Apostolicam, ex fonte *Sicut in coelos.* Nam Apostoli sunt quasi coelum, ait August. 9. Beatam Sanctorum; ex fonte *Et in terra.* Terra cultissima Deo fuerunt Sancti, agri, et vineae; Christus Colonus eorum. 10. Sacram Religiosorum habent potestatem ex fonte *Panem nostrum quotidianum:* Quo praecipue Religiosi pascuntur.

III. QUINQUAGENAE Decas 11. Miraculorum habent potestatem altiore Sacerdotes, ex castro *Da nobis hodie*. Solus enim Deus dat tanta. 12. Ecclesiastica majorem habent, ex castro. *Demitte nobis debita nostra*. Hoc enim ex Deo possunt, et Sacerdotes. 13. Politicam, ex castro *Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*. Quod hominum est, et necessarium. 14. Reliquiarum, ex castro. *Et ne nos inducas in tentationem*. Cum qua pugnando Sancti etiam ossa sua post sese reliquerunt Sancta. 15. Gloriosa Beatorum majorem habent potestatem Sacerdotes, ex castro. *Sed libera nos a malo*. A peccato enim liberant Sacerdotes.

Porro I. Quinquagena ordinatur ad decem Mandata Dei. II. Ad Virtutes septem Morales, et tres Theologicas. III. Ad septem dona Spiritus Sancti, et tres Poenitentiae partes. Eo fine, et intentione, ut Dei beneficio, patrocinio Mariae, et Psalterii merito ista petantur bona, et contraria mala deprecationem evadantur.

CAPUT VI.

Scala religionis B. Magistri ALANI, ad quemdam Carthusianum in domo Legis Mariae.

Noveris, amantissime Frater, cuique Religioso Gradus esse quindenos, quibus in coelum disponat ascensiones in corde suo. Et ii tripartiti sunt, juxta tres Psalterii Jesus, et Mariae partitiones: ut similiter, et nostrae apud Deum innotescant petitiones.

I. QUINQUAGENAE Gradus Essentialium sunt Religionis sacrae. 1. Obbedientiae humilis: *Ave*. 2. Continentiae purae: *Maria*. 3. Paupertatis voluntariae: *Gratia*. 4. Observantiae regularis perfectae: *Plena*. 5. Hilaris, et alacris diligentiae: *Dominus tecum*. Nam ita servire Deo regnare est.

II. QUINQUAGENAE Gradus Propriorum sunt Religionis. Nimirum. 6. Est Orationis intentae, et attentae: *Benedicta*. 7. Studii (((p.217))) devoti, et sacri: *Tu*. Studendo enim quaeq. demonstrantur. 8. Compassionis cum passo Christo: *In Mulieribus*. Maria enim acerbissima compassa Filio est. 9. Aedificationis ad proximum: *Et benedictus*. 10. Est delectationis in Divinis: *Fructus*. Enim est ille, et praegustatus coelestium.

III. QUINQUAGENAE Gradus sunt Accidentalium Religionis. 11. gradus est Discretionis in corporalibus afflictionibus in jejunio, vigilia etc. *Ventris*. Naturae enim necessitatem debemus. 12. Custodiae sensuum, *Tui* ut tuus tibi maneas; nec sensus depraedentur animam. 13. Silentii, *Jesus*: qui in passione sicut agnus obmutuit. 14. Communitatis sequela: *Christus*, qui erat subditus parentibus. 15. Laudis, honoris, et gloriae Dei, ad quam omnia cogitata, dicta, facta referat Religiosus. *Amen* idest fiat. Haec carissime, meditare: ad psalterium precare, et alios exhortare.

CAPUT VII.

Speciales gratiae, et praeconia Angelicae Salutationis.

Legi in domo Carthusiae apud Ludonias Anglie, Dominum Jesum Christum cuidam sibi devoto revelare dignatum fuisse; et nunc scio, tribus diversis uno, eodemque tempore in oratione pernoctantibus, idem ipsum a s. Joanne Evangelista Mariae Virginis Custode apertum, esseq. eam verissimam revelationem. Nimirum ea talis est. 1. Quisquis in honorem fusi a Domino sanguinis pretiosi, solidos per annos XV. omni die quindena *Pater*, totidemq. *Ave* recitarit pie; annorum XV. circumactis periodis, cum reddiderit expletum numerum; qui fusarum sanguinis Dominici guttarum est, riteq. singulas salutarit, Deo Deiparaeq. gratissimo

cultu Religionis. 2. Idem quoque simul, (si tamen a mortali noxa fuerit immunis,) subjectas quinque praecipuas a Deo gratias poterit impetrare.

I. Trium animas de cognatione sua per annum istum morte decentium, servatio a damnatione; Deo ipsis misericordiam faciente, orationum merito sancte oblatarum in merita sanguinis fusi Redemptoris.

II. Merebitur sibi per merita sanguinis Dominici, ut non ante agat animam, et in fata concidat; quam ab omni puras macula peccati, qualis e fonte Baptismi emererat, Christo Judici queat sisti, inq. beatarum mentium gaudia transcribi.

III. Veniet idem in partem meritorum, sortemq. gloriae, quae est, Laureola Martyrii; perinde, ut si suum pro Christo sanguinem profudisset. Idq. ex quotidiana compassione cum Christo passo, meritiq. passionalis communicatione.

IV. Item quas defunctorum animas in societatem meriti dictarum Orationum, per modum suffragii, venire voluerit; easdem, miserante Deo, ex poenis purgatoriis eductas in beatam afferre quietem valebit. **((p.218))**

V. Qui dictas orationes certo, fixoque proposito per ipsos XV. annos continnandi coeperit; anno autem primo, aliove, aut mense quocunque abripi morte contigerit; praedicatas gratias haud minus obtinet, pro coepto voto, atque pro completionis facto impetrasset.

3. Auscultet nunc Rosarii Confrater sanctissimi nominis tui Laudes amator, atque zelator, o Maria.

Cum dico AVE MARIA

1. *Coelum gaudet; omnis terra stupet;*
2. *Sathan fugit; infernus contremiscit;*
3. *Mundus vilescit; cor in amore liquescit*
4. *Torpor evanescit; caro marcescit;*
5. *Abscedit tristitia; venit nova laetitia;*
6. *Crescit devotio; oritur compunctio;*
7. *Spes proficit, augetur consolatio.*
8. *Recreatur animus, et confortatur affectus.*

Si quidem tanta est suavitas hujus Benedictae Salutationis, ut humanis non possit explicari verbis; sed semper altior manet, et profundior, quam omnis creatura indagare sufficiat. Haec Oratio saluatoria. Parva verbis, magna mysteriis; Brevis sermone, alta virtute. Super mel dulcis, super aurum pretiosa; ore cordis est jugiter ruminanda, labiisq. puris creberrime repetenda. Verbis enim paucissimis contextitur; et in latissimum torrentem coelestis suavitatis diffunditur.

CAPUT VIII.

XXX. Excellentiae Religionis B. M. ALANO revelatae.

Psalterii Prioris, et I. Quinquagenae Decas. 1. Religiosi mundo sunt mortui; eorumque in coelo est Angelis conversatio. 2. Religiosorum operibus piis ex professione, ac statu vis inditur quasi operis operati: quo vivum

Deo fiunt holocaustum: alioque extra Religionem degentes antecellunt quasi in immensum. 3. Ex eo dignior et perfectior est status: quod grandia saeculi vitia evaserit; invaserit virtutum mundinationem. Ecclesiastici tamen Ordinis respectu Episcopali eminentiae sese ultro postponere gaudent. 4. Cum ex fragilitate labuntur, minus, quam saeculares peccant. 5. Vivunt purius: stant securius, cadunt rarius, resurgunt citius, operantur confidentius.

II. Quinquagenae Decas. 6. Meritum Religiosi tantum pene superat meritum saecularis, v.g pariter jejunantis: quantum actio operis operati, et idem operis operantis excedit. 7. Parentibus altius provenit bonum ex filiis in Religione, quam si ad Regium eos sceptrum provexissent: quia Christo, Mariaeq. sunt desponsati. 8. parentes veniunt in parem creteris anteibunt. 9. unus ad Religionem conversus multis in saeculo praestare potest conversis (((p.219))) ad frugem bonam. 10. Esse religiosus in coelo sedes inter Seraphicos potest: quod hic statu perfectissimae degerint charitatis.

III. Quinquagenae Decas 11. Regia eos dignitas in coelo manet; quia *Beati pauperes spiritu quoniam ipsorum est Regnum coelorum*. 12. Iudices orbis erunt. *Amen dico vobis, quod vos, qui reliquistis omnia, et sequuti estis me; sedebitis super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel*. 13. Religiosis mundus crucifixus est, et ipsi mundo, ideo dabitur eis cum Christo Laureola. 14. Sepulchro Christi gloriosiores sunt: vivum enim continent, quem illud mortuum servabat triduo. 15. natali Stabulo Domini sunt digniores; quantum homo re inanima melior hocque amplius.

ALTERIUS PSALTERII.

I. Quinquagenae Decas. 1. Religio in Ecclesia est delictum Christi. 2. Religio antestat omni creatae scientiae, quia omnium schola virtutum est. 3. Major est quam sacrae scripturae scientia; quia est Dei sapientia in vivorum animabus, non in litera mortua. 4. religio est alter quasi **baptismns**: quod primum ad ingressum remissio culpae fiat, ac poenae. 5. Paradiso dignior terrestri est religio. II. Quinquagenae decas. 6. Toto dignior mundo est: quia Deo mundus ea vivus est, atque perennat. 7. Dignior Reliquiis Sanctorum; eatenus quod faciat reliquas, dum Sanctos producit Ecclesiae. 8. Major dono miraculorum est: haec enim corpus, illa mentes perficit, et justificat per Christum. 9. Dignior imperio, regnisq. est: quantum anima corpore. 10. Religio est specialis Sponsa Christi.

III. Quinquagenae Decas. 11. Curationum dono dignior est. 12. Potentia creandi magna est: major justificandi per Christum: at haec religionis est. 13. Dignior omni orbis honore est: quia veri, aeterniq. honoris parens est. 14. Dignior pars terrae est religio, quam inhabitat: Tametsi terra ea septem manaret fontibus. I. Aquae viveo. II. Vini. III. Luctis. IV. Olei. V. Balsami. VI. Medicinae. VII. Anditorum, et gemmarum. 15. Religio est Civitas Dei, Castrum divinae potentiae, Schola salutis, Fons bonitatis aeternae. Ita Gloriosa Virgo maria cuidam Religioso, novello suo Sponso revelavit.

CAPUT IX.

De modo meditandi Psalterium, S. Dominico revelato.

Hic triplex est, et suus cuique in Psalterio Quinquagenae. *Primus*

I. Quinquagenae, et Vocalem Orationem, et Meditationem refert ad Christi Incarnationem: idque per sensua applicationem, in mysterii illius partibus; quae sunt, Annunciatio, seu Conceptio, Visitatio ad s. Elisabetham, Nativitas, Circumcisio, Praesentatio, Fuga in Aegyptum, Reditus indidem, Inventio in templo, Subjectio Christi sub Parentibus. (((p.220))) Ex his quinque delecta pro libitu mysteria, cuique unum decadi, mente designare oportebit; per cuius merita precantis intentio pia offerat Deo Trinuno; assumpta in Advocatam Inclita Virgine

Matre Dei, Quinquagenae primae in Psalterio inter preces, laudes, et grates, Salutationesque repetitas, et illa conditas cogitatione, ac intentione. Et haec tunc ipsam vocalem orationem quasi animat intus; exteriusq. viva afflat luce; velut accensa sedentem in tenebris candela circumfulget: cujus in luce peragit sua rectius. Sed in uno quoque ditorum mysterio ad Psalterium oraturus duas menti personas proponat, Deiparam cum Jesulo pusione. Ubi sensuum applicationem sic exercere devote licebit, ut Deipara mater capite ad calcem usque obeatur, et ad quodq. ejus, quod Filio pro te saepius inclinavit. 2. Oculis, aut puellum pie intuitis, aut suaviter larymatis. 3. Ori, Jesulum basianti. 4. Genis, ipsi eis appressis. 5. Labiis, ac linguae, Jesum laudantibus. 6. Auribus, voculam ejus haurientibus. 7. Uberibus, eum loquantibus. 8. Brachiis, illius gerulis. 9. Sinui, Jesum foventi. 10. Cordi, ipsum deamanti. 11. Ventri, ipsum gignenti. 12. Genibus, ipsum adorantibus. 13. pedibus ei discurrentibus. 14. Manibus, ei ministrantibus. 15. Corpori toti, puello deservienti.

Hanc ad praxio, haud parum conduxerit, iconem aliquam Deiparae, cum Filiolo in sinu, vel vinis, pictam sculptamve oculis obiectam habere; et elegantior erit ad affectum aptior. Ubi Jesus inter brachia Matris erit ad instar libri; ejusdem membra, velut libri divini folia, ad aquae mens praecantis intenta, fixaque evolvat ea meditabunda corde, ora orabunda. Quomodo praeterita, ac etiam coelestia adsunt nobis praesentia. Pariter, et puelli membra queunt considerari, ac adorari in psalterio Christi.

Secundus Modus. II. Quinquagenae ad Christi passionem vertit orationem, et vocalem, et mentalem: ducendo utramque decadatim per 1. Orationem, agoniam, captivitatemque Christi in horo. 2. Per flagellationem. 3. Coronationem. 4. Crucis bajulationem. 5. Crucifixionem, cum sensum applicatione ad res partesque singulas Christi patientis; velut supra praescriptum est, v. g. Capillitium Domini, barbamq. faede laceratam, oculos, aures, vultum, caputq. totum. Genas, linguam, humeros, brachia, dorsum, pectus, manus, crura, pedes, indignissime tracta omnia: cum situ stantis sedentis, gemiculantis, jacentis: cum motu euntis, tracti, trusi, raptati, volutati etc.

Inter haec, aliaq. talia: versante animo, vox obit salutationes in Mariano, aut Dominicas orationes in Dominico psalterio: pietasq. psallit spiritu, mente, psallit spiritu et ore, ad cytheram tensam Christum, ad Dechacordum Davidis veri: honorat, coronatq. singula Domini membra, modo, rituq. omnibus apto, per quae facili Christianis, tam salubri, quam digno Deo, atque grato. Huc imagines de Christo passo conferunt plurimum, praesertim rudiori vulgo; quin, et intelligentioribus; qui praeclarius pervident modum **((p.221))** praesentis Christi in imaginibus, sic consideratis, et cultis. Qua causa miracula circa eas multa contigit a Deo designari: haud secus, ac si aut vita, aut sancti, aut ipse Deus inesset ipsi, tanta potest fides, per visibilia ascendens ad invisibilia Dei, eaq. cognoscens: ut qui, sicut in naturalibus adesse naturali modo; ita supernaturali in Ecclesiasticis talibus visitur.

Tertius Modus. III. Quinquagenae ad Christi Gloriosam Resurrectionem orat decadatim mente, et ore; ut sopra, Partes tantum considerationis hic sunt istae: 1. Ut Mysterium Resurrectionis. 2. Ascensionis. 3. Sancti Spiritus Missionis. 4. Deiparae in coelos Assumptionis, et 5. Coronationis.

Hic in glorioso Domino possunt attendi, inspicq. quoad licet, dotes glorificationis; in Anima vero divina Attributa, Sapientiae, Scientiae, Bonitatis, Veritatis, Misericordiae, Justitiae etc. Quibus singulis apte quadrat Angelica Salutatio; ut quae originaliter per ipsam in Christo mortalibus fuerit collocata participationi. Sunt illa nuper etiam cuidam novello Sponso Mariae divinitus ostensa sub diversis schematis, ac figuris. Vidit enim Tres civitates admirandas. Prima ex auro obrizo, argentoq. purissimo constructa: et in ea singula quae Christi attinent Infantiam. Altera ex gemmis pretiosissimis, priore altius eminente: et in ea Passionis singula ab dictis, gestisq. Expressa: ut si geri modo cernerentur. Tertia ex Stellis composita praeclarissimis: editissimo sita loco: in qua Divina Dei, coeliumq. procul visebantur. Ex harum prima in secundam, inq. tertiam distantia justa ducebat per altissima intervalla, perq. Scalas Tres: quarum cuiq. Gradus erant quinquaginta: et hos inter denos singula Castra munitissima, et elegantissima: numero quina. Has per Scalas, perq. Castra sua deq. commeantes cernebat innumeros Angelos, Menteseq. sanctas. In numerum, et tactum modificatum illorum motus edebat in imo, medio, summo scalarum, et castrorum, ineffabilem melodiam. Dum visu in medio, audituq. talium stat raptus: vox ed eum accidit. *Hoc age, et tu quotidie tres Psallens Quinquagenas; et verum in te fiet istud: Nostra conversatio in coelis est.* Et istud. s. Chatarina Senensis egit, s. Augustinus usitavit, s. Hieronymus frequentavit, s. Ambrosius observavit, et pleriq. Sancti.

Sunt igitur, Dominica Oratio, et Angelica Salutatio, duo Evangelia, omni creaturae cum signis magnis praedicata semper, et praedicanda. Sunt ea, ut lapides pretiosi, ad Domum Dei aedificandam: sunt, et vasa Domini sancta quibus devota Deo sacrificia offerentur: sunt, ut Arma Josue, Gedeonis, Sampsonis, Davidis, et Josiae, ad partes adversas debellandas.

CAPUT X.

De Ariditate in orando: deque punctis meditandis ad Psalterium.

Misericordissima Regina coeli una inter Octavas omnium Sanctorum **((p.222))** die novellum suum Sponsum clementissime visitare dignata est: culto, vultuq. ad usq. Miraculum sereno, et jucundo apparens videnti, ac vigilantanti: verum non mediocri mentis aegritudine dejecto. Dolebat enim impense, quod ex aliquanto jam tempore retro, sine ullo succo, et gustu: quin cum maesto tedio, insipidaq. Ariditate mentis quotidianum Psalterii pensum devoluisset magis, quam persolvisset, nec aliter potuisset. Unde pusillanimitas ipsius rebatur: operam Deo suam accidere gratum non valere. Hisce accessit veteratoris callidi ars fransq. maligna: qua positum inter malleum pusillanimitatis, auxiae, et aridi incundem, toedii, cimmeriis involuit tenebris sua mentem ei obscurans fascinatione. Quibus intus, forisq. pressus die, demum victus abjecta velut hasta fugere ex Ecclesia meditantem opprimit ex improvise Dei Virgo apparens, atque retentat aversum talibus affata. *Quo te, filii, pedes? Non ita fugeris mihi.* Dictoque in ipso stetit fixus, humiq. immobiles adhaesere plantae: ut laxum obrigit. Sed hic corporis: major erat animi stupor ancipitis: verane facies haec Virginis: an phantastica Sathanae foret illusio? Sensit Deipara, *Et si de me, inquit, meisque dubitas puellis, Age, signa me, omnesque circum Virgines, signo s. Crucis: si quidem ex parte maligni simus, defungiemus, sin, fortius stabimus, et clarius refulgebimus.* Paravit sana monenti, factaq. cruce cum SS. Trinitatis appellatione, respondit effectus: simul illi nota redit sub pectora virtus.

Tunc Regina: Quid, sponse, dubitasti? Ubi tua lux, mensque pristina? Momento: 1. Militia est vita hominis super terram. Et filius meus tentatus per omnia: probatus inventus est. *Et tu, quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te. Et nunc misit me Dominus, ut curarem te.* Nec ego immunem tentationis vitam egi mortalem. Optimi sunt et maximi quique patientia, ad fortiora te instrue. Non ego te delegi, ut ignava despumes toedia: sed ut in acie bella fortia belles: vincas Te fortius ausis. Itane putido cedere toedio, aridaeq. succumbere menti? O dulcibus assuetum! Non sic amabo: fortem volo: adeo non sine me ista tibi tentatio venit: quam te in satisfactionis meritum, et virtutem patientiae vertisse oportuit: quin et hac usus recte, purgatoriis afferre lucem, pacemq. poteras. Quid cogitas, Sponse mi? Corporis, aut morbum, laboremve subire. Dei amore dignum coeli corona nostri, et animi devorare fastidium, ac languorem sustinere majoris esse virtutis, ac praemi nil recordaris? In te, quod fuerit, facito: fecerisq. satis abunde Deo. Qualiscunque fies, aridus absq. gustu, an madidus ex Deo: dummodo extra lethalis noxiam peccati.

Exemplo disce. 1. Ejusdem medicina virtutis est; sive ab ignorante eam rustico, sive medico sciente **sumatur**. 2. Sic et gemma, sive manu geratur noscentis, seu nescientis vim ejus. 3. Sic ignis, flores, **iorum**, pari pollent efficacia. Scias eam, nesciasve licet. **((p.223))** Ita quoque orationi suum constat et pretium, et praemium an ex arido, pinguive cordis sensu promanet: dummodo forti animo emissa feratur in Deum. Non orantis impetrat sensus, aut gustus delitiosus, sed fortis animus et spiritus constans: in prosperis, asperisq. idem. Quin uti, difficilia, quae pulchra: et gaudet patientia duris: ita devotio Lucretrix fit gloriosior victrix. Operis facilitas est gratiae: at gloriae difficultas. Quo magis de ariditate irruente gaude, et faveto patientiae die lucta coronam. In patientia possidebis animam, non despondebis. Scias, quod oratio aridi, non tamen pusillanimitas est medicina Dei, vinum solatii, robur auxilii, sol Ecclesiae, campus florum, denarius Regni. Fac esse matrem: et illi tres filios: major natu sit eloquens: minor, halbutiens, infans tertius, vagiens singulorum illa petitiones audit perinde, ac intelliget: proq. facultate subvenit: infanti tamen prius, et affectuosius: ita Deus exultantes spiritu, et psallentes audit, pro re, et usu: simplices, amat, et procurat: gementes, nec sese sat intelligentes, miseratur etiam ac in numero suscipit gaudens. Quare, si attentius orare non possis: fac velis, hocq. ipsum offeras velle Deo. Hoc tuum est, istud Dei. Te poscit, tuaque Deus: et hoc cum agis: sua recipit cum lucro: at eo tuo. Ergo sta, persta, et tanto in statu, insta, quo supplicas difficilior. Nam *Regnum Coelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.* Cave Psalterium unquam omiseris, quia frigidus invitussq. oras sed eo fortius urge. Esto, sis invitus, at non involuntaris es. Quia invite invitus es: acceptior Deo es: et ego tibi prior, pro te preces offerro, ac precium precis confero. Verum ut ex hoc orare queas attentius: articulos vitae mei filii distincte tibi pandam, mentiq. imprimam totidem, quod in Psalterio repetitas Deo consecratas salutationes. Sic autem habeto: filium meum eosdem olim s. Dominico sponso meo visibiliter item revelasse: addita visione perfecta, de totius passionis ordine, ac serie; atque cum miraculosa ejusdem passionis, in Dominico susceptione. Deinde postea. Ego ipsa eidem rursus id ipsum, aliisq. Sanctis

compluribus ostendi. Ipsos autem illos Articulos quotidianus vocaliter orabat s. Dominicus: et alias saepe alta meditabatur attentione, et cum acerbiore compassione. At vero tu similes; sed confuse nimis, ordineq. nullo meditaris, et turbaris; hinc et attediaris. Quisquis iis institerit meditatiunculis. 1. Sanguine mei filii non poterit expiari, ac salvari. 2. Ideoq. vivens in virum alium immutari secundum cor Dei. 3. Meque sibi Patronam demereri, ac Sponsam sempiternam. Dixit Articulos Sponsi animo impressit; et ab oculis recessit in coelos.

Notat hic Transcriptor ALANI posthumus quod in M. S. ALANI reperit Articulos hos preloxe, illos breviter perscriptos; se vero inaequales ad aequalem brevitatem revocasse, ut sequitur.

ARTICULI MEDITANDI

AD PSALTERIUM

PRO QUINQUAGENA I.

DECAS I.

Ave Maria, Gratia plena, Dominus tecum, Benedicta Tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui Jesus Christus.

1. Amabilissimus: qui ab aeterno a Deo Patre suo est genitus, et pro nobis secundum hominem praedestinat, qui cum Patre, et Spiritu Sancto unus est Deus, Dominus par in gloria, aequalique in essentia. Amen.
2. Amabilissimus, qui in principio coelum creavit, et Angelos, quos in novem sapientissime distinxit ordines, suaeq. aeternae beatudinis, ac gloriae fecit esse participes. Amen.
3. Amabilissimus, qui Luciferum cum suis Angelis de coelo ejecit, quia Creatori suo similis esse voluit, bonosque a Deo in sua charitate solidavit, quod ex tunc usque in perpetuum manebunt, quales eos creavit. Amen.
4. Amabilissimus, qui potenter mundum creavit, et elementa cuncta solem, stellas, lunamq. sua produxit omnipotentia imponens singulis ordinem proprium, et officium. Amen.
5. Amabilissimus, qui terram super maria fudavit mirabiles, et diversas creaturas in eis creavit, quas sapientissime gubernat, prudentissime disponit, ac potenter in esse conservat. Amen.
6. Amabilissimus, qui paradisi voluptatis in oriente plantavit, arborem vitae, scientiaeq. boni, et mali, in ejus medio locavit, in quo primum hominem posuit, quem post praecepti praevaricationem inde ejecit. Amen.
7. Amabilissimus, qui sanctos Patriarchas elegit, de quorum semine homo fieri decrevit, quibus notitiam sui, ac timorem inspiravit, et multa de futuris revelavit. Amen.
8. Amabilissimus, qui suam ex te Incarnationem, Passionem, Resurrectionem, et in Coelum Ascensionem, per Prophetas mundo denunciavit: quos ad hoc divina providentia praeordinavit. Amen.
9. Amabilissimus, qui in matrem suam dignissimam ab aeterno praelegit et sponsam, conceptionemq. tuam: ac sanctam nativitatem parentibus tuis per Angelum praeannunciavit, et vitae seriem. Amen.
10. Amabilissimus, qui te praesentatam in Templo, omni grata replevit, o dignissima Virgo, ac omni virtute pulcherrime te decoravit: sic quod in Templum suum dignissimum mirabiliter consecravit. Amen.

DECAS II. Pater noster. Ave Maria.

1. Benignissimus, qui te per Angelum suum Gabrielem reverentissime salutavit, qui suum in te adventum tibi pronunciavit, dicendo voce serena, *Ave gratia plena*. Amen. **((p.225))**
2. Benignissimus, cujus Angelus te turbatam animavit, et concipiendi modum indicavit, virtusque altissimi te tunc obumbravit, et ad consentendum inclinavit. Amen.
3. Benignissimus, cui consensum proebuisti, *Ecce Ancilla Domini* dum dixisti, quam mox Virgo permanens concepisti, et centum, et quinquaginta gaudia tunc habuisti. Amen.
4. Benignissimus, qui conceptus statim in anima poenam infinitam sensit, atque tristitiam, quae etiam erat tanta, ut omnia excederet Inferni tormenta. Amen.
5. Benignissimus, qui existens in utero tuo Joannem Baptistam, visitavit, quem nondum natum sanctificavit et parenti illius loquelam reddidit, ac Elisabeth spiritum praebuit. Amen.
6. Benignissimus, cui Angelus in somnis Joseph apparuit, ne te repudiaret, admonuit, quem etiam novem mensibus in thalamo virginali fovisti, et portando nullum onus sensisti. Amen.
7. Benignissimus, cum quo in Bethelhem perexisti, et vilissimum stabulum pro hospitio elegisti, ubi Virgo permanens Dei filium peperisti, et centum, et quinquaginta gaudia tunc iterum habuisti. Amen.
8. Benignissimus, quem pannis involuisti, ac in praesepio, humiliter reclinasti; flexisque genibus reverentissime adorasti, quia eum Dei filium esse cognovisti. Amen.
9. Benignissimus, cujus nativitatem Angeli pastoribus nunciaverunt, quem pastores sollicitè quaesierunt, inventumque adoraverunt, visaque et audita ab Angelis retulerunt. Amen.
10. Benignissimus, cui caput tuum Virgineum saepius inclinasti, et oculis castissimis frequenter inspexisti fragrantiam sui corporis in naribus sensisti, et labiis frequenter oscula impressisti. Amen.

DECAS III. Pater noster. Ave Maria.

1. Clementissimus quem uberibus tuis virgineis saepissime lactasti, et amore ardentissimo semper adamasti, manibus mundissimis humiliter tractasti, vestisti, atque cibasti. Amen.
2. Clementissimus in carne pro nobis circumcisis, mandatisque legalibus per omnia subjectus, cui flenti, et dolenti es compassa, atque more matrum es pie lacrymata. Amen.
3. Clementissimus cujus nativitatem stella Magis indicavit, atque ad quaerendum vehementer instigavit, quam praeuntem usque Jerusalem sequebantur, et ubi natus esset Rex Judoerum scicitabantur. Amen.
4. Clementissimus quem tecum in stabulo vili invenerunt, in terraque Prostati reverenter adoraverunt, munera etiam mystica devote praebuerunt, nam aurum, thus, et myrram Domino obtulerunt. Amen.
5. Clementissimus quem in Templum praesentasti, ubi Deum Patrem suppliciter adorasti, unigenitumque suum sibi obtulisti, et immenso gaudio repleta tunc fuisti. Amen.
6. Clementissimus quem senex Simeon per Sanctum Spiritum **((p.226))** cognovit esse filium, pro redemptione cujus par turturum obtulisti, et sic ad civitatem tuam humiliter rediisti. Amen.
7. Clementissimus quem Herodes interficere voluit, sed ipse aliter disposuit, Angelus sanctus in somnis Joseph apparuit, ut tecum fugeret in Aegyptum admonuit. Amen.
8. Clementissimus, cum quo nocte media fugisti cum anxietate summa, famem, sitim in itinere patiundo, ac corporis defectum prae teneritudine incurrendo. Amen.
9. Clementissimus cum quo castissime, et humillime, laboriosissime, et pauperrime, verecundissime, ac sanctissime inter Paganos, in Aegypto habitasti per septem annos. Amen.
10. Clementissimus quem ad terram tuam ex admonitione Angeli reduxisti, ubi una cum ipso dulciter vixisti, in summa sanctitate, ac morum gravitate. Amen.

DECAS IV. Pater noster. Ave Maria.

1. Dulcissimus qui tecum annis singulis in Jerusalem, ascendit, ubi pro redemptione mundi tecum exoravit, sicque salutem plurimorum a Patre impetravit. Amen.
2. Dulcissimus quem semel in Jerusalem per triduum perdidisti, et inter notos, et cognatos lacrymose quaesivisti, quibus diebus nec bibere, nec comedere, nec dormire potuisti; sed diebus singulis inconsolabiliter flevisi. Amen.
3. Dulcissimus quem invenisti post triduum, sedentem in Templo in medio Doctorum, audientem illos, ac interrogantem, sacramque scripturam eis exponentem. Amen.
4. Dulcissimus qui tibi semper in omnibus fuit obediens, surrexitque de medio tecum revertens, quem cum lacrymis prae gaudio, amplexabaris, et osculo virgineo. Amen.
5. Dulcissimus qui tibi, et Joseph obsequiosissimus erat semper, et familiarissimus, tecumque quotidie de coelestibus loquens, ac divina secreta tibi plurima pandens. Amen.
6. Dulcissimus qui anno aetatis suae duodecimo, revelavit tibi ore suo divino maximam animae suae poenam, quam a sua conceptione sustinuit, et usque ad mortem continue pati habuit. Amen.
7. Dulcissimus qui tibi etiam omnem numerum salvandorum, mirabiliter revelavit, et damnandorum qui unquam fuerunt, sunt, et erunt a mundi initio, quos congregabit, ac separabit in extremo iudicio. Amen.
8. Dulcissimus quem Joannes in Jordane baptizavit, ubi sacramentum Baptismi inchoavit, super quem tunc Spiritus Sanctus de coelo venit, et cui Pater testimonium verum dedit. Amen.
9. Dulcissimus qui quadraginta diebus jejunandi praemonstravit, et jugiter suum Patrem pro peccatoribus interpellavit. Amen.
10. Dulcissimus quem Diabolus ter tentavit, sed ipse sapienter eum superavit, primo in deserto, super pinnaculum templi, secundo, et tertio in monte excelso. Amen. (((p.227)))

DECAS V. Pater noster. Ave Maria

1. Elegantissimus cui Joannes testimonium perhibuit, ac digito suo demonstravit, dicens *Ecce Agnus Dei summi, qui tollit peccata mundi*. Amen.
2. Elegantissimus qui sibi duodecim elegit Apostolos, Petrum, et Andream, ac decem alios, qui devote cuncta, quae habebant; propter amorem Jesu prompte relinquebant. Amen.
3. Elegantissimus qui vocatus est ad nuptias in Galilaea, ubi matrimonium sua praesentia confirmavit, ibique primum signum fecit, mutans aquam in optimum vinum. Amen.
4. Elegantissimus qui de Templo potenter ejecit ementes, et vendentes cum flagello quod fecit, et cathedras vendentium columbas evertit, ac nummulariorum aes audaciter effudit. Amen.
5. Elegantissimus qui, et alios 72. sibi elegit discipulos quos ante faciem suam misit binos, et hinos, dans illis potestatem, ut daemones fugarent, ac cunctas infirmitates in suo nomine curarent. Amen.
6. Elegantissimus cujus pedes Magdalena cum lacrymis rigavit, ac capillis sui capitis devote tersit, quae omnium suorum peccatorum accepit veniam a Domino propter veram poenitentiam. Amen.
7. Elegantissimus, qui per triennium cum discipulis Judaeis praedicavit nequissimis, quibus multa, et varia ostendit signa, quae nunquam fuerunt audita. Amen.
8. Elegantissimus qui leprosos multos mundavit, caecis visum, claudis gressum reparavit, mortuis reddidit vitam, infirmis sanitatem, a Daemonibus obsessis plenam libertatem. Amen.
9. Elegantissimus qui multas fatigationes sustinuit in corpore, jejunando, vigilando a sua juventute, praedicando, laborando, et orando, Judaeorumque insidias frequenter patiundo. Amen.
10. Elegantissimus cui occurrebant in die Palmarum, sternerentes in via vestes, et ramos olivarum, quem cantantes, et laudantes Jerusalem introduxerunt, sed paulo post cum opprobrio ingenti ejecerunt. Amen.

II. QUINQUAGENA

Quinquagena de Christi Dolorosa Passione a coena usque ad sepulchrum.

DECAS I. *Pater noster, Ave Maria.*

1. Familiarissimus, qui coenam suam ultimam cum discipulis comedit, quos antea de mundo sibi elegit, vestesque suas post coenam confestim deposuit, et linteo se praecingens aquam in pelvim misit. Amen.
2. Familiarissimus qui genua flexit humillime, pedes Discipulorum lavit, tersit, osculabaturque lacrymose, atque post suam traditionem discipulis revelavit, quos ut permanerent in fide praevisavit. Amen.
3. Familiarissimus qui tunc consecravit panem, et vinum, in verum corpus, et sanguinem suum discipulisque omnibus illud dedit, quos tunc in sacerdotes, et Pontifices ordinavit. Amen.
4. Familiarissimus, qui post coenam sermonem pulcherrimum fecit suis discipulis longum, et profundum; qui deinde Jerusalem exivit tristissime in hortum ubi orare consuevit saepissime. Amen.
5. Familiarissimus, qui in horto ter cum lacrimis ad Patrem oravit, ut calicem ab eo auferret suppliciter Patrem, rogavit, sed tamen ut fieret Patris voluntas, non sua, orationem conclusit cum anxietate, et tristitia summa. Amen.
6. Familiarissimus, qui in oratione tertia usque ad mortem agonizavit, guttasque sanguineas tunc abundanter sudavit, quem tunc Angelus sanctus confortavit, ut mundum redimeret sua passione animavit. Amen.
7. Familiarissimus, qui in oratione surrexit, et ad discipulos dormientes iterum perrexit, quos admonuit, ut vigilent, et orarent, ut ne tentationes diaboli fallentis intrarent. Amen.
8. Familiarissimus, qui Judaeos quem quaererent interrogavit, quos tunc virtute Divina ter in terram prostravit, et alia signa ibi ostendit mirabilia fortissima protestate divina. Amen.
9. Familiarissimus, qui a suis Discipulis flebiliter est derelictus, et a Judaeis impiis cum immenso strepitu comprehensus, cum catenis in collo, et brachiis et funibus in corpore dire est ligatus. Amen.
10. Familiarissimus, qui sic ad civitatem poenalisime est tractus, per vicosque plateas confusibiliter ductus, et Annae Pontifici primo est praesentatus, a quo de doctrina sua fuit interrogatus. Amen.

DECAS II. *Pater noster. Ave Maria.*

1. Gratosissimus quem Annas de multis interrogavit, cui ad interrogata mansuete respondit, ubi a servo gravissime est alapatus, irrisus, illusus, et contumeliose injuriatus. Amen.
2. Gratosissimus, qui Petrum se negantem humiliter respexit, et ad flebilem poenitentiam fortissime commovit, quem deinde ducebant ligatum de domo Annae, cum strepitu horribili usque in domum Caiphae. Amen.
3. Gratosissimus, quem Caiphas dolose examinavit, et Dominum respondentem morte dignum pronunciavit, ubi iterum a Judaeis multa sustinuit opprobria, irrisiones, subsannationes, et gravissima verbera. Amen.
4. Gratosissimus, quem Caiphas hora prima misit ad Pilatum, per sanctissimas manus suas poenalisime ligatum, ubi iterum a Judaeis maligne est accusatus: sed a Pilato in nullo culpabilis notatus. Amen.
5. Gratosissimus quem Pilatus misit ad Herodem qui tunc praesens erat in Jerusalem, a quo de multis est interrogatus iterum, sed Jesus nullum penitus dedit ei responsum. Amen.

(((p,229)))

6. Gratosissimus, quem tunc Herodes cum suis conspuebat, subsannabat, et illudebat, ei vestem albam induebat, et confusibilissime ad Pilatum remittebat. Amen.
7. Gratosissimus qui in reductione ad Pilatum, saepius ad terram corruit in plateis propter longum vestimentum, quem Pilatus denuo examinabat, et a morte liberare cogitabat. Amen.
8. Gratosissimus cujus corpus Deificum, a Ministris confusibiliter fuit denudatum, et in collo, et in brachiis, et tibiis adstrictus, ad columnam fuit dire ligatus. Amen.

9. Gratosissimus qui fuit cum virgis plumbatis, atq. scorpionibus usque ad mortem flagellatus, adeo quod Ministri cum dimittebant, quoniam prae fatigatione amplius flagellare non valebant. Amen.
10. Gratosissimus, cujus corpus sanctissimum vulneribus erat plenum a vertice capitis usq. ad plantas pedum, ex quibus sanguis sacratissima copiose manavit, et usque ad terram guttatim distillavit. Amen.

DECAS III. Pater noster. Ave Maria

1. Humillimus, quem de columna tunc soluerunt, et super cathedram ignominiose posuerunt, vestem coccineam, et purpuram eum induerunt, flexisque ante eum genibus velut fatuo illuserunt. Amen.
2. Humillimus, quem cum corona spinea poenaliter coronabant: cujus spicula acuta usque ad cerebrum penetrabant: atque arundinem pro sceptro illi dederunt, cum quo ejus caput spinosum frequenter percusserunt. Amen.
3. Humillimus, quem Pilatus sic castigatum foris eduxit *Ecce Homo* ad Judaeos malignos dixit. Sed Judaei pessimi de hoc non contenti Crucifige, Crucifige, eum clamabant voce ingenui. Amen.
4. Humillimus, quem cum ingenti strepitu ad domum judicii trahebant, et cum latronibus impiis ante Pilatum statuebant, voce tunc terribili furiose clamaverunt, sanguis ejus super nos, atq. nostros filios impie dixerunt. Amen.
5. Humillimus, qui fuit injuste a Pilato ad mortem condemnatus, qui vere erat Rex, et dominantium Dominus, creator omnium, ac conditor legis, et filius Dei Omnipotentis. Amen.
6. Humillimus, qui crucem per plateas laboriose portavit, et ad terram saepius sub cruce se prostravit, tandemque sub cruce totaliter defecit, tunc Simon Cireneus ad crucem manus adjecit. Amen.
7. Humillimus, qui cum ineffabili poena, et labore; cum latronibus pervenit ad montem Calvariae, ubi vestes ejus per caput spinosum detrahebant, et omnia corporis sui vulnera poenaliter renovabantur. Amen.
8. Humillimus, quem sic nudatum cum videbas, confestim velamen de tuo capite sumebas, cum dolore immenso, et lacrymis accessisti, lumbosque ejus virgineos cum isto praecinxisti. Amen. **(((p.230)))**
9. Humillimus, qui super crucem fuit tunc flebiliter prositus; et cum funibus in membris crudeliter extensus, cujus manus benedictissimae, fuerunt cum clavis obtusi cruci affixae. Amen.
10. Humillimus, cujus pedes sanctissimi, cum clavo grossissimo fuerunt transfixi, sicq. ejus membra virginea potuerunt cuncta dinumerari. Amen.

DECAS IV. Pater noster. Ave Maria.

1. Innocentissimus, quem cruce, in altum elevabant, et sic sua vulnera poenaliter dilatabant, quae denuo sanguinem fundebant, qui super tuam vestem, et faciem copiose distillabat. Amen.
2. Innocentissimus, cui Mater lacrymosa dolenter assistebas, pendentem in cruce Filium cum summo dolore aspiciebas, et usque ad mortem tunc doluisti, quod in tantis poenis auxilium illi nullum ferre potuisti. Amen.
3. Innocentissimus, qui te sub cruce stare videbat, et cum immensa compassione discipulo commendabat, ubi pro filio summi Dei tibi dabatur Joannes filius Zebedei. Amen.
4. Innocentissimus, qui fuit in cruce a Scribis, et senioribus, a pontificibus, et ministris multipliciter illusus, sed ipse fuit in omnibus patientissimus, obnixae etiam oravit pro suis crucifixoribus. Amen.
5. Innocentissimus, qui latroni in cruce paradisum promittebat, et omnia ejus peccata ibidem remittebat, ut nemo de suis desperet peccatis, cum regnum coelorum videat latroni dari gratis. Amen.
6. Innocentissimus, qui in cruce est locutus, *Eli, Eli, lamasabacthani?* Quae verba lacrymosa, in lacrymas convertunt etiam corda saxea. Amen.
7. Innocentissimus, qui etiam in cruce usq. ad mortem sitiivit, *sitioq.* cum rauca voce clamavit, cui acetum amarum in spongia, praebebant impii cum virga arundinea. Amen.

8. Innocentissimus, qui iterum in cruce locutus est in summa poena, dicens *Consummatum est*. Et ultimo clamavit tam valide: quod omnia cum terra tunc coeperunt tremere. Amen.
9. Innocentissimus, qui in cruce spiritum suum Patri commendabat, quando tam alte, et flebiliter clamabat. Et inclinato capite, cum angustia tradidit suum spiritum ineffabili. Amen.
10. Innocentissimus, qui permisit Sathan subtus crucem sedere, qui observabat si posset aliquid in eo habere, ut animam ejus raperet, et usque ad tartara perduceret. Amen.

DECAS V. Pater noster. Ave Maria.

1. Karissimus in cujus morte poenalissima, dolebant cuncta Elementa. Terra horribiliter tremebat, erbores, et reliqua in ea se movebant. Amen.
2. Karissimus in cujus etiam saxa sunt scissa, et monumenta **((p.231))** perspicue patefacta. Velumq. Templi pretiosum fuit divisum a summo usque deorsum. Amen.
3. Karissimus propter quem Sol est obscuratus, quando in altum cum cruce fuit Deus elevatus, et multa signa alia tunc fuerunt facta quae ab Evangelistis non sunt omnia notata. Amen.
4. Karissimus cujus latus Longinus in cruce aperuit, ex quo sanguis, et aqua largiter manavit. Quod cum piissima mater vidisti, prae compassione valde doluisti. Amen.
5. Karissimus quem de cruce deposuerunt Joseph, Nicodemus, cum nonnullis aliis praesentibus. Et super tua genua ipsum reclinaverunt, et cum lacrymis tecum tunc planxerunt. Amen.
6. Karissimus quem cum tristitia inaffabili in gremio tenebas, cujus vultum, et pectus cum lacrymis rigabas. O Mater dolorosissima quot quaerimonias, et gemitus tunc dabas, quando filium tuum dulcissimum sic mortuum cernebas. Amen.
7. Karissimus cujus corpus sanctissimum plenum cruore, cum aqua lavabant. Et coronam spineam de capite trahebant, quod Nicodemus unguento pretioso perungebat, et s. Joseph syndone munda involuebat. Amen.
8. Karissimus quem ad sepluchrum cum ifinitis lacrymis portabant, et dolore inaestimabili cuncti, qui aderant: quem tunc sequebaris cum infinita tristitia, positumque in sepulchro adorasti cum summa reverentia. Amen.
9. Karissimus ad cujus sepulchrum lapidem advoluerunt, quem postea Judaei cum custodibus signaverunt. Deinde tecum ad civitatem cuncti remeabant, in viaq. continue uberrime plorabant. Amen.
10. Karissimus in cujus passione, o Virgo, et Mater dolorosissima, centum et quinquaginta dolores mortales es passa, quinquaginta ante ejus mortem, et centum post tui reversionem in Jerusalem. Amen.

QUINQUAGENA.

Articulum de Resurrectione, Ascensione, et Gloria Christi, et Virginis Mariae Assumptione gloriosa, etc.

DECAS I. Pater noster. Ave Maria.

1. Laudabilissimus cujus anima ad Infernum descendit, et portus illius potenter confregit, Luciferumque in abissum religavit, aliosq. Damnatos austere increpavit. Amen.
2. Laudabilissimus qui deinde ad Patres detentos in Lybmo venit: illorumque tenebras suo fulgore abegit. Cujusque pedibus omnes se straverunt, et laetitia lacrymosa reverenter adoraverunt. Amen.

3. Laudabilissimus qui cum patribus in Lybbo tam diu permansit, quousque tertia die a mortuis resurrexit. Quos Patres die tertia de Lybbo eduxit, et corpus suum glorificum a morte resurrexit. Amen. **((p.232))**
4. Laudabilissimus qui cum claritate ineffabili, et gloria inenarrabili, cum caterva Angelorum, et cuneo Patrum Sanctorum, tibi primum apparuit, et dulciter te salutans ab omni tristitia liberavit. Amen.
5. Laudabilissimus qui secundo Mariae Magdalene, tertio apparuit Mariae Salomone, et Cleopha, quarto Petro Apostolo se manifestavit, hinc Discipulis in Emmaus pergentibus mirabiliter se revelavit. Amen.
6. Laudabilissimus qui sexto apparuit undecim Discipulis, in monte Sion in coenaculo clausis, septimoq. apparuit Jacobo Minori, a coena Domini usq. tunc jejunanti. Amen.
7. Laudabilissimus qui apparuit Joseph ab Arimathia octavo, Thomae in fide fluctuanti, nono, decimo piscantibus Discipulis quos elegit. Amen.
8. Laudabilissimus qui cum Discipulis edebat, eodem die quo in coelum ascendebat, ultimo in monte Oliveti apparuit, coram omnibus Discipulis quos elegit. Amen.
9. Laudabilissimus qui elevatis Discipulis benedixit manibus suis, et ut nomen suum mundo denunciarent illis praecipit. Et post ad te suam Matrem dulcisimam accessit, cum amplexu deifico, et osculo *vale* dixit. Amen.
10. Laudabilissimus quam cum lacrymis prae gaudio; humiliter adorasti, cordeq. virgineo, rogans ne diu differet, qui te ad se assumeret. Amen.

DECAS II. Pater noster. Ave Maria.

1. Misericordiosissimus qui in coelum ascendit cum Sanctis animabus, et cunctis Angelis ad custodiam hominum deputatis: cum gloria inaestimabili, et gaudio ineffabili. Amen.
2. Misericordiosissimus cui tota Curia coelestis Paradisi, occurrebat cum reverentia decenti, in organis, et cytharis, psallendo cum infinitis gaudiis. Amen.
3. Misericordiosissimus quem Chori Angelici cum tripudio ducebant, quo usque ad Summae Trinitatis Thronum perveniebat, cum quanto gaudio hoc fiebat, et tripudio, nullus poterit explicare eloquio. Amen.
4. Misericordiosissimus quem Trinitas aeterna, cum gloria intronixabat infinita, coronam dans illi Majestatis potestatemq. super omnia, quae sunt in coelo, et in terra creata. Amen.
5. Misericordiosissimus qui in immensa sua potestate, regnat super omnia cum summa majestate. Ipse enim est aeterna beatitudo, Sanctorum omnium et Angelorum, qui sunt in coelo. Amen.
6. Misericordiosissimus cujus claritatem inspicere desiderant, sine fine omnes qui cum eo regnant. Est enim immensa, et infinita, illuminans singulos secundum sua merita. Amen.
7. Misericordiosissimus cujus dulcedine infinita perfunduntur, quotquot unquam ad coelum assumuntur. Ejusque infinita fragrantia totum replet coelum, durans per cuncta saecula usque in aevum. Amen. **((p.233))**
8. Misericordiosissimus qui summum, et aeternum est gaudium, cunctorum supernorum civium. Quem honorant trementes, et adorant, *et sine fine Sanctus, Sanctus, Sanctus dicentes* honorant. Amen.
9. Misericordiosissimus cujus charitas est immensa, laus continua, et aeterna. Cujus majestas est tremenda, maxima, infinita, ac inaestimabilis ejus gloria. Amen.
10. Misericordiosissimus cujus nomen est tam magnum; virtuosum foecundum, atque dignum, quod omne genu tunc flectatur, quando Jesus nominatur. Amen.

DECAS III. Pater noster. Ave Maria.

1. Nobilissimus cujus pulchritudo est mirabilis, sapientia ineffabilis, cujus in coelo facies coruscat, cunctosque beatos dulcissime illuminat. Amen.
2. Nobilissimus cujus corpus gloriosum est deitatis templum, qui in throno summo regnat, cujus regnum finem nescit. Amen.

3. Nobilissimus qui humanam naturam in coelo sublimavit super omnia, quae unquam creavit, quique Patrem petivit, ut Spiritum Sanctum discipulis daret, quem promisit. Amen.
4. Nobilissimus qui quinquagesima die misit Sanctum Spiritum, discipulis in terra promissum, qui super singulos in specie ignis apparuit, et linguarum, sicut ipse voluit. Amen.
5. Nobilissimus qui suos discipulos per mundum universum misit, quos per Spiritum Sanctum ferventer ignivit, qui ubique praedicabant, et in nomine Jesu miracula immensa faciebant. Amen.
6. Nobilissimus qui post suam in coelum ascensionem, te reliquit in terris ad Discipulorum consolationem, cujus amor te urgebat, et ad videndum eum in sua gloria incitabat. Amen.
7. Nobilissimus, qui preces tuas exandivit, et Angelum suum ad te misit, ut suum adventum tibi nunciaret, et quod in Christo te glorificare vellet. Amen.
8. Nobilissimus qui suos Apostolos per mundum dispersos congregavit, ut interessent tuis exequiis ordinavit, et Angelos cunctos convocavit, quos ad hominum custodiam deputavit. Amen.
9. Nobilissimus qui descendit tunc de caelo, cum Sanctorum, et Angelorum infinito numero, cum summa majestate, et immensa gloria, tibiq. apparens salutavit te voce dulcissima. Amen.
10. Nobilissimus quem tunc in sua gloria vidisti, et tuum illi redens Spiritum prae amore defecisti, quem assumens, et astringens frequenter deosculabatur, et velut Sponsus suavissimus illi jungebatur. Amen.

DECAS IV. Pater noster. Ave Maria.

1. Onnipotentissimus qui cum corpore, et anima te secum tullit, et ad portas coelestis Paradisi sursum ascendit, cum gloria te illuc introducens inenarrabili, et gaudio ineffabili. Amen.

((p.234))

2. Onnipotentissimus qui cunctos suos Angelos praecipit adunari, honore nempe digno te voluit honorare, ut cum canticis Angelicis introducereris, et aeterna gloria fruereris. Amen.
3. Onnipotentissimus cujus sancti Angeli te devote salutabant, flexisq. suis genibus reverenter adorabant, in tympanis, et choris te magnifice collaudabant, et immensis vocibus laetanter personabant. Amen.
4. Onnipotentissimus qui te cum infinita gloria ac tota coeli Curia ad sanctam perduxit Trinitatem quam humillime adorasti, et te illi totam devote obtulisti. Amen.
5. Onnipotentissimus qui te cum Patre suo, et Spiritu Sancto gloriose intronizabat. Et corona gloriae te sanctissimam coronabat. Teque Reginam coeli, et terrae, tunc constituit, et super omnem creaturam potenter sublimavit. Amen.
6. Onnipotentissimus qui te Matrem suam dignissimam nihil negans honorat. Sed quidq. petieris promptissime tibi donat, suaque sapientia aeterna te illuminat, et claritate perpetua praecunctis te illustrat. Amen.
7. Onnipotentissimus, qui te omni beatitudine, implevit, et dulcedine, teq. secum regnare fecit, et cuncta creata tibi subjecit. Amen.
8. Onnipotentissimus qui te omni gloria, et gaudio, omni honore, et gratia replevit, et omnem thesaurum Regni coelestis tibi commisit, ut quantum placet inde sumas, nosque cum illo ditare valeas. Amen.
9. Onnipotentissimus cujus es Mater, et filia, nec non soror, et sponsa, templum, et habitaculum, ac totius Trinitatis dignissimum Triclinium. Amen.
10. Onnipotentissimus qui nullum salvare statuit nisi tibi devotus, aut tuus amator esse voluerit, quare ad tantam Reginam recurramus, ejusque interventum devote poscamus. Amen.

DECAS V. Pater noster. Ave Maria.

1. Pulcherrimus qui suos Apostolos, in terra ab eo electos per Martyrii palmam, assumpsit ad gloriae suae aulam. Amen.

2. Pulcherrimus qui Martyres suos in fide confortavit, et in poenis roboravit, et sic cum mundi victoria coelorum intraverunt aeterna Regna. Amen.
3. Pulcherrimus, qui Confessores sanctos sua sapientia illuminavit, ac virtute omni decoravit, et sic cuncta temporalia pro nihilo duxerunt, et Regna coelestia digne promeruerunt. Amen.
4. Pulcherrimus qui Virginea castissimas de mundo clegit, suaeque aeternae gloriae participes effecit cum quo etiam utriusque sexus Sancti, in coelis regnant infiniti. Amen.
5. Pulcherrimus, qui in extremo Judicio cuncta districte judicabit, ubi omnes ab Adam natos congregans malos a bonis separabit, electos salvabit, reprobosque in aeternum damnabit. Amen.
6. Pulcherrimus, qui est Verbum Patris, Filius Virginis, Agnus Dei, salus mundi, hostia sacra, caro vita. Amen.
7. Pulcherrimus qui est laus Angelorum, gloria Sanctorum, visio pacis, flos, et fructus Virginia Matris. Amen.
8. Pulcherrimus qui est splendor patris, Princeps pacis, Panis vivus, Potus beatus, Vasque divinitatis. Amen.
9. Pulcherrimus qui est lumen coeli, pretium mundi, gaudium nostrum. Panis Angelorum, Jubilus cordis, spes salutis, Rex, et Sponsus virginitatis. Amen.
10. Pulcherrimus qui est praemium nostrum, et gaudium aeternum, fonsa amoris, dulcedo pacis, requies vera, vitae parennis. Amen.

FINIS SERMONUM B. ALANI.

--- o --- o ---

PARS QUINTA

COPPESTENII

B. ALANI DE RUPE

REDIVIVI.

DE EXEMPLIS

----- 0 -----

EXEMPLUM I.

De Adriano Archidiacono lapsa, sed ex incitis erepto per usum Psalterii.

Adrianus genere Nobilis: corpore juxta, scientia, et eloquentia excelsus, in Archidiaconum Caesaraugustanae Civitatis in Hispaniis mirifice est sublimatus. In quo dignitatis gradu mirum in modum ecclesiasticos caepit reformare defectus, et verbum Dei, ubique discurrens, seminare. Quod videns Diabolus eidem tentationes carnis erga quandam Comitis filiam Joannan, vehementissimas immisit. Sic res agebatur, ut illa semper confiteri, et ejus consiliis, venit pluvia carnis: et qui vitam ducebat Apostolicam, hen! Tunc cum praefata, quasi in dies persemiannum vitam agebat impudicam, et brutam. Moxq. ab eo devotio discessit, coepitq. Vehementius risibus, jocis, rumoribus, ac spectaculis delectari, officiumque suum negligere, parum praedicare, ac remisse non rigide, contra vitia, ceu prius, sed omnino tepide. Cervice elata, et oculis sublimibus incedere, vestimentis se nimium pretiosis induere: mirabantur, et dolebant cuncti, qui eum agnoscebant, de tanta mutatione. Post haec profana gaudia, mox advenit eorum cognita tristitia. Cum enim affatibus mulierum, et cantilenis, et choreis in sonitu tympani, et cytharae gauderet, jam alvus tumescere coepit Joannae. Quo viso Pater, nimis, et flagellis a filia casum exposcit. Quae praefatum accusat gravissime Archidiaconum tantoque odio Joanna in Adrianum esr debaccata, ut cum omni malignitate, et astutia in plurimis illum accusaret, novos modos fingens suae ab eo deceptionis, ut etiam magica se fascinatam arte affirmaret. Mox armati milites ad Adrianum comprehendendum mittuntur. Comprehensus est summo cum dedecore, et confusione: ligatur coram omni populo civitatis Caesaraugustanae: ad Episcopum deducitur. A quo protinus excommunicatus incarceratur. Sed die post quarto per ementitos habitum Clericos, ipsius affines, inde ejcicitur (((p.237))) ejectusque in graviora incidit pericula. Nam fugiens, a praefato Comite cognitus, et iterum comprehensus ad Regios carceres pertrahitur tanquam qui Regis Neptem violasset, et Nobilem parentelam Regni infamasset. Quinimo, tanquam Reipub. per duellis in lacum vinctus ad serpentes, hen, miser ille dejicitur. Ibi victurus in ultima miseria frigoris, famis, sitis, ac vestimentorum tegumentis privatus fuit annis tribus continuis. Ad haec in isto carceris lacu sex mala quaedam incurrit. Primum, fuit maledictionis, et excommunicationis ab Episcopo intortae. Secundum, perditionis omnis, scientiae, prae tristitia. Tertium amicitiae omnis, et gratiae apud Principes, et Dominos. Quartum amissae libertatis in tentatione. Quibus sex malis intolerabiliter, et in immensum affligebatur. Cum autem interea sanctissimus Dominicus iis in partibus praedicaret, scandalum audivit maximum per Adrianum patratum. Cognoscensque

spiritu prophetico, eum adhuc in vivis degere licentia Dominis accepta, ad eum intrat, salutatoque et ad patientiam, et poenitentiam monito, caepit de Domino Jesu Christo, ac de Sanctis multis plurima praedicare. Sed quanto ampliora de illis dicebantur, tanto impatientior reddebatur. Quod cernens B. Dominicus, ad fontem misericordiae eum deducens, coepit de fructibus Psalteri Mariae praedicare, promittens illi: quod si vellet Psalterium tale dicere in dies singulos, et recipere Confraternitatem, quae per Communicationem singularem omnium meritorum: quod haud dubie ab omni adversitate liberaretur. Credidit ille, et Dominico facta confessione, et suscepta absolutione, Psalterium coepit devotius dicere. Sub finem unius mensis apparuit Virgo Maria, deferens ei litteras suae absolutionis a peccatis, et a sententia excommunicationis, ab Episcopo. Nam s. Dominicus non absolverat eum nisi sub conditione succurrendi, et periculi imminentis, et futurae approbationis a Majoribus. Atque ita liberatus est, a primo malo scilicet a vae maledictionis, per Ave benedictionis Mariae. Ad finem secundi mensis apparuit ei Virgo Maria parvulum Jesum tenens in ulnis, qui parvulum libellum dextera gerebat, in quo erat scriptum S. Joannis Evangelium: *In principio erat Verbum*. Cum igitur ille captivus legisset, *Et verbum caro factum est*, a secundo malo sc. ignorantiae est liberatus. Nam scientiam omnem, quam perdiderat recuperavit, cum augmento multiplici per Mariam, quae est illuminativa in omni scientia. In fine tertii mensis fuit liberatus a tertio malo displicentiae Principum, et Nobilium per tertium bonum, quod dicitur Gratia. Sicq. fuit e carcere liberatus, et a Dominis honorabiliter visitatus, et susceptus. In fine quarti mensis a quarto malo sc. ineloquentiae, fuit liberatus per Mariam, quae est plena communicationis bonorum. Nam ipsi apparuit Virgo Maria, et cum Virgineo osculo reddidit ipsi eloquentiam cum multiplici **((p. 238))** augmento. Sicq. Ut prius, praedicavit singularissime vero de Psalterio Virginis Mariae, per quod fuit liberatus, et de ejus Confraternitate. In fine quinti mensis fuit a quinto malo liberatus, perdicionis suorum Dominorum; nam Virgo Maria apparuit illi nocte media, et dedit ei baculum pastorem cum mitra, et annulo pontificali, et die tertio insequenti, litterae Papales confirmationem ipsius in Episcopum afferebant. In fine sexti mensis Virgo Maria apparuit ei, ferens virgam auream in manu, qua caput ejus levi tactu percutiens ait, *Exi ab eo*. Moxq. ab eo draco ignitus exivit. Sicq. Ab omnibus phantasiis tentationum factus est liber. Deinde Domina Maria eum ad renes rursus eadem virga tetigit dicendo: *Exi ab eo*, statimque serpens ab eo exiens, illum a tentationibus carnis reddidit liberum. Nam in carceribus annorum trium spatio semper vexabatur mollitiei peccato: qua tentatione maxime gravabatur. Et per Dominus factus est Dominus: et per *Tecum* factum est liber a tentationibus maxime gravabatur. Et per *Dominus* factum est Dominus: et per *Tecum* factum est liber a tentationibus inimicorum. Sic itaque postmodum diu vivens, totam Ecclesiam istius patriae reformavit, et Psalterium cum praefata Confraternitate B. Mariae ubique disseminans, Beatam Mariam quam plurimum honorari fecit. Denique ipsa ei apparente ante mortem suam, devotissime disposuit se ad mortem. Et tandem dies suos complevit in bono, et annos suos in multa Gloria.

EXEMPLUM II.

De quodam Rectore Scholarium mirabiliter a carcere liberato.

Erat quidam Rector Scholarium, vitae perversae, qui per filios, civium scholares suos omnes fere pulchras Matres scholarium suorum corruppebat per filios poscens crines Matrum, et sic magicis suis artibus, inclinabat ad se, quas volebat. Interea cum magni viri conjux prudenter adverteret sollicitum filium suum pro crinibus suis: inquit a filio, qua de causa hoc posceret? Negat ille dicere, sed tandem verberibus a filio extorsit, ut veritatem confiteretur. Dat illa crines de cribro, quibus receptis a Magistro, coepit incantatione cribrum quasi a Daemonibus agitari, et tumultum domi mirabilem excitare. Advertit uxor, refert viro suo capitur Rector pro scelere: et carcere damnatur perpetuo in pane et aqua. Erat autem in illa catasta, alter captivus, quondam etiam, ut patuit ex ipsius narratione nefandus et enutritus ibidem. Qui dum audiret sibi socium advenisse, consolabatur eundem, et ad patientiam prudenter exhortabatur. Quaesivit ergo Rector, quomodo patientiam obtinere posset: ille vero refert se, et hanc, et alia bona obtinuisse, per orationem quae dicitur Dominae nostrae Psalterium: et ad hanc hortatur suum concaptivum: obediit ille dicens: *Si ut eam praedicas, tam utilis est, quomodo nondum liber hinc es?* Ille ait: *Fuissem, jam pluries: utique requisitus, ante triginta annos, si exire vellem: sed nolui, et ((p.239)) necdum volo: paenitentium enim primum est mihi. Et item, timeo, sentiens inclinationes meas malas: in pristina me relapsurum. Sed et panis, et aqua, quibus sustentor, gratissima sunt mihi super omnia cibaria, per hanc S. Mariam, cui servio: et ago paenitentiam*. His talibus auditis, inclinatur ad Psalterium Magister scholarium: et alter orabat pro socio. Ille vero Rector orans, toto anno murmurabat, et impatiens fuit: in secundo autem murmurabat magis: in tertio

vero amplius. Tandem fatigatus in carcere, ad Benedictam Mariam sic dicebat: *si me, Domina, liberare digneris servum tuum totam vitam meam tuis voluntatibus trado, et devoveo*. Mox astitit illi misericordiae Mater: et an, quod dixit, minime adhuc pigeat, sciscitatur. Permanebat ille constans in voto. Et illa liberatum ad longe distantem locum populosum transposuit liberum: quo suum illud obsequium, ut spondit, perficeret. Rexit itaque ibi scholas, et scholares docuit orare Psalterium Mariae. Et sic scholarium fere tria millia infra breve tempus idem frequentare coeperunt. Mane enim ante, quam scholas intrabant Magistro orante, et ipsi psalterium orabant. Sicq. ad. parentes transivit haec devotio. Et dum a schola recedebant, iterum devotissime se commendabant Virgini Mariae, ejus psalterium replicando. Emergebant ergo duo casus eodem in loco. Primus, ignis consumpsit omnes fere domos, praeter hujus Magistri: caeterorumq. quorum filii psallebant Mariae psalterium: et inter medios ignes schola ipsa posita, permansit, illaesa, ad psalterii virtutem declarandam. Secundus casus fuit ex discordia. Cum enim praedictus locus ab armatis captus fuisset, et in praedam datus hostibus, per Virginem Mariam servabatur hujus Rectoris domus, et caeterorum dicentium psalterium. Nemoq. illos praedabatur: nec fores, neq. fenestras invenire potuerunt praedones, sive ullum aditum, sed et quasi nihil, aut parum ibi esset, vacui recesserunt. Tandem per B. Virginem saepedictus Magister, ut alibi similiter fructificaret, trasponebatur longe ab eo loco, et similiter inter numerosos scholares ibidem Virgines Mariae Psalterium, convocabat popularem frequentiam, maxime juvenum parentes, ut sic per parvulos dilataret hoc Virginis placitum obsequium. Aliquando illis psallentibus, super quoddam altare apparuit pulcherrima Domina, pulcherrimusq. vir considerans super sedem Angelici operis, expectantes finem psalterii. Quo finito descendit Domina nostra Mater Maria, et genua flectens, poposcit ab eo (qui suus erat filius et Salvator mundi) benedictionem servorum, et psaltarum ejus. Consentit ille, deditq. benedictionem: quam statim mira, et insolita sequebatur devotio, et commotio cordium, et dicta suavitas devotionis succendebat omnes, clamabantque singuli mirabilem, et pulchram Dominam se vidisse. Tandem Ordinem intrans Praedicatorum, praefatus Magister, sanctissimeque illic vivens, praedicator magnus effectus hoc psalterium **((p.240))** jugiter praedicabat: Virginemque Mariam colendam, laudandam, extollendam sollicito procurabat, fineque sancto quievit in pace.

EXEMPLUM III.

De quodam Bellatore Britone fortissimo.

Quibus temporibus B. Dominicus cum in Terra Albigensium Christianis praedicabat, bella itidem exercebantur contra infideles. In castris fidelium plurimi militabant Britones inter quos miles bellicosus, et fortis; sed vita nefandus. Hos ergo Britones movebat s. Dominicus, ut inter tot pericula commendarent se Virgini gloriosae, psallendo ejus psalterium. Coepit ergo miles ille cum aliis dicere psalterium Virginis, portans Patriloquium, intentione tamen magis evadendi periculum, quam alia sancta: ut patebat ex vita ejus. Et vero in periculis belli evasit plurimis. Contigit aliquando, ut iter agens nemus intraret, ubi incidit in latrones multos, qui exclamantes cogerunt eum ad defensionem: ille concite extraxit gladium, cui appendebat ejus Patriloquium: quia id ex more equitando dicebat. Eximens igitur gladium (simul appendit, et illud) coepitq. percutere latrones. At illi fugere, et clamare, nec audere diutius dare. Quod miratus multum, illis fugientibus, gladium reposuit in vaginam suam: et tum primum advertit haerere, et Patriloquium. Accipiens igitur quod reverenter ad brachium suum suspendit. Latrones iterum congregati veniunt ad exitum nemoris, eodemq. milite illie veniente insurgunt iterato in eum. Qui evaginato gladio, multos, et fere omnes vulneravit. Contigit, ut unus atrociter vulneratus pergeret ad oppidum pro medicina vulnerum, quo idem miles ibat, et agnoscens militem, cum reverentia locutus est, ei dicens: *Parce mihi, si aliquid magni de te dicam: Tu es ille utique, qui hodie effugisti; et sic vulnerasti nos? Sed vidimus ipsi, quando primum fugasti nos, gladium tuum quasi totum ignitum, et territi nimis non audebamus stare, nec appropinquare: et sic attoniti tam insolito fulgore, fugimus clamantes. Et quando iterato aggressus es nos: vidimus te habere scutum super brachium, in quo depictus erat Crucifixus, et B. Virgo, et Sancti multi, propter quod non poteramus te laedere, sed bene sensimus ictus tuos. Et ecce adhuc ipsum scutum video ed brachium tuum*. Miratur ille ad utrumque valde, negans, quod ille asserebat tam de gladio, quam de scuto. Tandem Brito ille miles oravit, ut sciret, quae haec essent cum ipse assereret, quia adhuc videret. Vidit tandem et ipsemet scutum tale quale is dixerat, et miratus est, cum tamen suum esset patriloquium. Et intellexit, hoc propter virtutem psalterii mariae Virginis fieri miraculum. Contigit quoque, ut idem miles in taberna existens, observaretur fere a triginta haereticis armatis: cui dictum est, jam mortem illi **((p.241))** imminere propter illos. Negavit ille: sed adhuc se victurum asserebat. Et posuit suum Patriloquium super caput suum, et exivit imperterritus ad eos, confidens de B. V. Et occurens illis omnes terrii fugerunt et corruerunt plurimi ex illis. Propter quod admirabatur, et alloquebatur eos, quare intacti sic fugerent, et corruerent solo timore? Et arrodentes tres de melioribus ex illis, videntes praedicta,

ruerunt ad pedes ejus, laudantes ejus fidem et postulantes eundem pro eis orare. Quod ille recusabat, nihil boni de se suspicans, sed dixit se cessaturum a verberibus. Tunc narraverunt illi quid vidissent, et causam hujusmodi formidinis, et fugae, dicentes: *vidimus te armi igneis armatum, et Christum vulneratum te protegentem, ex cujus vulneribus spicula procedebant, quae nos terrebant. Et in alia parte vidimus B. Virginem etiam Angelos, te custodientes; propter quod nunc convertimur ad fidem.* Tertio contigit, quod quidam Comes committeret bellum: hunc militem praefecit in Capitaneum fere mille armigeris, ipse in armis, et in vexillo suo, et singulorum suorum posuit, pro signo psalterium Manuale: confidens de B. V. auxilio. Multi autem erant ex adverso haeretici circiter vigintimillia. Congressione autem facta ad invicem fere omnes de viginti millibus interempti sunt. Princeps autem militiae haereticorum fugit ad praedictum Capitaneum, petens gratiam, et narravit ei, quae viderat cum suis in hoc bello pro parte sua, et suorum, et dixit: Quia vidimus te armatum igneis armis. Dixitque rursum, quod in parte dextera sui exercitus viderent B. Virg. Mariam, gladium vibrantem super eos quo deiciebantur, et terrebantur. Sed magis, quia videbant ante exercitum Christianorum Christum vulneratum, ex cujus vulneribus spicula ignea procedebant, eos vulnerantia. Sed et multitudinem viderunt virorum, armis igneis armatorum, qui eos protegebant, et coeteros terrificè posternebant, propter quod fugerunt, et corruentes interfecti sunt. Nullus autem de dicti Capitanei exercitu cecidit. Quod videns ille Capitaneus haereticorum conversus est ad fidem.

Hac victoria mirabiliter obtenta, B. Dominicus coepit eum monere ad poenitentiam, ut confiteretur, cognoscens tanta mirabilia circa se facta: vultum avertit ille dicens: nondum se satiatum de mundialibus, sed adhuc superesse sibi tempus poenitendi, prius velle amplius bellare, postea poenitere. Instabat tamen S. Dominicus, ut saltem confiteretur. Et annuit ille, coepitq. B. Dominico confiteri. Et cum coepisset confiteri, audiebat vocem ad aures duas, dictantem sibi quaecumque prius fecisset in quibus etiam locis, cum omnibus suis circumstantiis. Propter quod miratus convertit se retro, ut videret, sibi haec suggerentem, et insinuavit haec etiam Dominico, sed ipse neminem videbat. B. tamen Dominicus orans, vidit B. V. Mariam eidem peccata sua dictantem, et sic eum confiteri monentem. Finita vero confessione conversus B. Dominicus **((p.242))** ad Beatam Virginem, quaesivit de poenitentia ipsi injungenda. Et illa dixit, ut ei honam poenitentiam injungeret. Per annum ergo cilicium portavit, circulo ferreo praecinctus, et armatus permansit sine exultatione. Tandem factus est conversus in Ordine Praedicatorum, et Beatissimum individualiter sequebatur Dominicum usque ad mortem s. Dominici, etiam aliis recedentibus. Et Dominico interrogante, an ne ipse etiam vellet recedere? Dixit, non; sed in omni loco sequi velle eum, quocumque isset. Sanctissimo vero Dominico defuncto, in bona vita perseverans, fine sancto consumatus est etiam et ipse.

EXEMPLUM. IV

De quodam Episcopo haeretico per Psalterium Mariae converso.

Contigit tempore S. Dominici ipsi praedicante in Albigo, cum non proficeret praedicando, conquerebatur de hoc B. Virgini, quod ea dirigente illuc venerat, nec tamen proficiebat. Oranti apparuit B. Virgo Maria intimans ei causam. Non est mirum, quod non proficis praedicando, quoniam aras in terra non madefacta, nec compluta: scire enim debes, ait: quod quando reformaturus erat Deus mundum, misit pluviam gratiae suae Salutationem sc. Angelicam. Nam per eam reformavit, quod prius formaverat, sic igitur praedica meum Psalterium cum Orationibus, et viis scientialibus, et de coetero proficies. Quod audiens B. Dominicus laetus sicut illa proposuit, sic fecit, et profecit. Percepit igitur post hujusmodi praedicationem statim sequi, fructus Verbi, ipsaq. gloriosa V. Maria coeperit fama celebrari, simulque et ipse. Cujus fumam audivit quidam Episcopus vir magnae litteraturae, et is haeticus. Hic propterea quod Dominicus praedicaret hujusmodi, quae sibi videbantur quasi puerilia, et muliebria, sc. *Ave Maria*, cum magis ipse cuperet audire alta, et insolita, contempsit hanc praedicationem, simul, et Praedicationem, ut qui praedicaret secundum suam opinionem, non nisi orationes vetularum; quare commovebat alios contra eum, ita ut etiam verberaretur Dominicus per eundem Episcopum satis atrociter, sed divinitus sanatus est. Brevi post, dum idem Episcopus ooraret, rapitur per visum, et obdormiens videbatur sibi e terra inundationem videre, abyssalem aquam insurgere, omnia obruentem, et ad se appropinquantem. Circumspiciens igitur locum ad fugiendum, vidit quemdam sc. Sanctum Dominicum, prout ipsum praedicantem videret super aquas illas pontem aedificare, in quo ponte erant centum, et quinquaginta turre, et quotquot fugissent ad pontem, salvabantur, ipso Dominico accipiente eos, et dirigente altrinsecus. Alii vero submergebantur. Accessit autem, et ipse, ut

salvaretur, verus pontem ad B. Dominicum petens humiliter recipi. A quo correctus tandem tamen receptus, et ultra pergens, pervenit in fine pontis ad quendam hortum plenum floribus, et omni amaenitate conspicuum. In quo vidit Dominam quandam sedentem in solio Regali, cum parvulo, quae erat (((p.243))) Beata Virgo Maria.

Ad quam cum caeteris ingrediens caeteris dabantur sarta de floribus. Illi enim salutabant Virginem salutis regrantantes eidem de floribus. Illi enim salutabant Virginem salutis regrantantes eidem de salvatione per pontem, et Pontificem sc. Sanctum Dominicum. Quod Episcopus videns similiter egit. Cui Domina Regina dixit increpando, quod non esset dignus evadere. Conolabantur, tamen eundem alii dicentes: ne timeret, si tantum vellet se emandere. Accepitq. ab eadem Regina signum, sive sertum sicut caeteri, et humiliter inclinabat. Qua visione disparante rediit ad se multum consolatus, et coepit volvere, quod esset admonitio ad credendum, praedicationi, quam contempserat tam famosi praedicatoris. Incoepit igitur dicere Psalterium quod audieret, et continuavit diu. Venerunt interim tribulationes guerrarum in suum populum, propter quod cogitavit se totum conferre ad praedicandum, et laudandum B. Mariam Virginem. Quo ut prius obdormiente habuit visionem hujusmodi. Invenit se inter montes in loco lutoso cum pluribus valde infixum, et cum conarentur exire quibusdam existentibus usque ad genna, aliis usque ad corrigiam, aliis usque ad collum, residebant, nec exire poterant. Et cum non potuisset nec ipse, nec alii exire, intuens sursum, vidit, quandam Reginam in monte cum viro uno sc. Sancto Dominico prospicientem, et luto infixis catenam de centum, et quinquaginta annulis aureis, et quidecim aureis lapidibus mittentem: per quam multos extrahebant, extractos in monte salvabant, lavabant, et cibabant. Petiit et igitur ipse adjutorium: qui etiam liberaliter cum caeteris extractus est, et lotus. Quo facto dixit eidem Regina illa. *Ecce prius in diluvio aquarum te liberavi, et induto hoc infixus remansisses, si te per meum adjutorium non liberassem.* Erat enim adhuc infirmus in fide hujus Psalterii, et sine perfecta emendatione sui. Et ait Regina: *Esto ergo firmus, et perseverans in servitio meo:* et dispaurit haec visio, mansitq. multum consolatus, et etiam pax reddita est. Igitur terminatis guerris, et tribulationibus, ex eo magis devote, continuavit psalterium Mariae Virginis. Ad fortiorem equidem confirmationem ex benigna dignatione Mariae, contigit postea, ut Episcopo orante tertia quaedam visio ei demonstraretur. Videbaturque ei dum esset in Ecclesia quadam, orans, se videre juvenem quendam, Angelum sc. Facientem corrigiam, et accepit ab eo Patrilogium suum, quod vertebatur in lapides pretiosos, ex quibus confecit plurima patrilogia habentia lapides adeo claros, ut illustrarent suo lumine totam Ecclesiam. Qua corrigia perfecta, praesentavit eandem B. Virgini. Quam ipsa accipiens, et laudans eidem dixit: quia sibi valde grata esset, monebatq. ut plures similes mitteret, corrigias plenas, similesq. Et ab aliis sibi fieri procuraret, quo sic sua amicitia dignior esse posset. Ex qua visione subtracta, confirmatus mansit, et consolatus, haeresi omni derelicta penitus, et malis rumoribus postpositis, B. Virg. devote serviens: eandem prae omnibus exaltabat. A qua et ipse bonum finem positus est, et in gloria sempiterna feliciter exaltatus.

(((p.244)))

EXEMPLUM V.

De Jacobo quodam usurario.

Erat in Italia quidam Usurarius maxime famosus, et nominatus habens villas, civitates, et castra. Quid multa? Comitibus fuit potentior. Similiter in plurimus Villis, et Terris paucos habuit. Qui quodam tempore audivit praedicari Psalterium B. Virginis a S. Dominico, et proponens ipsum legere acquirebat sibi ad legendum Patrilogium pretiosissimum quod non solum devotionis causa, sed forsitan magis causa ostentationis portavit, et triennio continuavit.

Contigit, ut tactus aliquando devotione quandam capellam intraret, ubi modo inconsueto audivit vocem Immaginis Mariae terrificam, sibi dicentem: *Jacobe, Jacobe, redde rationem mihi, et filio meo, sicut exigit distincte a tuis subditis etiam de minimis.* Hoc autem audivit pluries. Unde tandem adeo territus fuit, ut fugeret de Ecclesia. Ipso veniente domum, terror ille cordis sui non cessavit. Inquirentibus autem uxore, et filiis, cur turbaretur. Cui rem narranti, dixerunt fantasiam esse. Et quid facerent si haec omnia redderentur interrogabant. Propter quod non habuit cor reddendi, sed ei suadebant, ut se, et omnia sua Beatae Mariae

commendaret. Contigit deinde post duos annos, ipso equitante cum multa comitiva, quasi potens in divitiis suis, ecce Lupi, et Ursi invaserunt eum, aliis non videntibus, sed solum vocem audientibus, et rumores. A quibus ex equo tractus, equo strangulato, miserabiliter mordebatur, et vulnerabatur in capite, brachiis, et per totum corpus a bestiis. Alii qui cum eo erant, hortabantur, ut clamaret ad Beatam Virginem, quod ed fecit proponens se emendare, et sic liber ad minus a morte evasit corporis. Eum sic graviter vulneratum, in villam deduxerunt, et curam ejus egerunt. Redeunti igitur illi domum, volentiq. se emendare, obviavit amor mulieris, et filiorum, nec vitam sic mutavit, ut proposuerat. Qui post duos annos iterum aequitavit cum magna comitiva, et ecce statim fulgura, et tonitrua sonare coeperunt horribiliter. Et mox ipse solus a turbine abreptus est, et deportatus sursum a Doemonibus cum equo ad sex miliaria. At ille clamabat ad B. V. Mariam promittens emendationem. Cui mox Maria adfuit, cum Patriloquio fulmineo, et cunctis qui aderant ad nocendum fugatis doemonibus reduxit eum in equo sedentem propria manu ad terram. Quo facto Virgo Maria disparuit. Territus vero equus visione doemonum, quasi furiosus per diversa prata currebat. Demum intravit domunculam quandam in via, et valde sunt territi illi ad quos declinabat ex visu terribili equi, et insidentis. Et sic evasit iterum. Non tamen adhuc habens cor reddendi, sed propter infamiam sui, et suorum distulit promissum implere. Confessus est non tamen habens cor restituendi per usuram ablata. Super quod ipso dolente Confessor absolvit eum, admonuitque ne ipsum saluberrimum servitium Mariae Virgins desereret. Post haec multa bona **((p.245))** faciebat, et in diversis locis Monasteria construxit, et eleemosynas largiebatur abundantissime. Apparuit post hoc eidem B. V. Maria visibiliter, et interrogans eum, an ne vellet adhuc restituere non sua? Ipso respondente, quia non haberet cor ad hoc faciendum, B. Virgo dulciter interrogavit, an reddere vellet si ipsa daret unde satisfaceret. Annuit ille, et ecce dabantur illi per Imperatricem coelestis paradisi dona innumera. Mox ille conspexit domum plenam divitiis, quas attente contemplans cupiditate tentatus est, et adhuc per Virginem sic indulta retineret cum suis. Affuit tamen Virgo Maria comminans ei, quod datam substantiam, simulque et suam auferret cum ipsius vita, nisi aquiesceret, et votum adimpleret. Propterq. territus coepit ubique terrarum ad suos bancos scribere, et publicare restitutionem, et restituere singulis. Quod et factum est. Et ecce evacuata sunt omnia bona illa. Remanserunt autem solum illi cuncta priora, de quibus faciebat multa bona. Appropinquante vero ejus vitae termino intimavit eidem Virgo Maria ut suae domui disponderet, quia ab hac luce esset migraturus. Fuit enim annosus satis. Qua disposita moritur Ecclesiasticis munitus Sacramentis. Adstabant illi innumeri Doemones, miserabiliter: at illis portis infernalibus appropinquantibus apparuit quaedam Regina pulcherrima cum Michaele Archangelo arrestans eos, quaerensq. quare sic servum suum deportarent? Allegant ipsi, eum esse suum, proponentes peccata omnia. Quibus Virgo Regina respondit. *Suscipite stateram, et ponderetur mala omnia contra bona; aliqua enim bona fecit.* Quod factum est. Sed mala statim deorsum descenderunt, bonis ascendentibus. Tunc B. Virgo suis bonis apposuit unum parvum Patriloquium, et mox pars bonorum descendit praeponderando omnibus in altera parte jacentibus mali. Dixitque gloriosa Virgo Maria, quod majoris esset meriti suum Psalterium, quam omnia sua mala. Sic igitur datus est, et redditus Virgini Mariae. Quod videntes Doemones numerosi (et non audentes accedere: sed B. Virginem blasphemantes, et se invicem verberantes) fugerunt. Atrocissime tamen custodem illius Usurarii omnes impetunt clamoribus, et verberibus improperantes, quod cum eum tam diu habuisset tot vinculis ligatum, et tamen evadere permisisset. Et similiter quare ei dicere Psalterium permisisset. Et confusi redierunt cun strepitu mirabili in Infernum. Ipse vero liberatos a Doemonibus ascendit cum Virgine Gloriosa ad superna, et sydere Regna, quod et nobis sui, concedat famulis Jesus Christus cum Virgine Maria. Amen.

EXEMPLUM VI.

De quodam Pagano Eliodato, per gloriosae V. Mariae Psalterium mirabiliter converso.

Erat quidam paganus nomine Eliodatus, qui primo sex mala Evae **((p.246))** incurrit, et postea sex bona Mariae habuit. Fuit quoddam bellum contra paganos, in partibus Hispaniarum sc. in Regno Granatae, in quo Christiani inter caeteros captivos, quendam militem potentem cum sua uxore, et prole coeperunt, qui adducti in terram Christianorum, fuerunt venditi. Filius, qui cum eis erat captivus, jam annorum viginti, mox incepit maximis tribulationibus aggravari. Primo enim accepit tristitiam, ita magnam de sua comprehensione, ut desperans, se ipsum saepius vellet occidere. Secundo, ad hanc devenit miseriam, ut perderet omnium membrorum suorum usum. Tertio devenit ad tantam miseriam et calamitatem, ut panem, et aquam, atq. vestimenta vilissima vix posset habere, qui tamen antea, cum esset liber inter paganos, et filius magni, et

potentissimi militis nutriebatur. Quarto, habuit istam calamitatem, quod vulnera quae in bello susceperat sic putruerunt, ut foetore, et vermibus horridis replerentur quam plurimum, ita ut tanquam a cloaca foetor ab eo evaporaret. Quinto, ut prae furia a Daemonibus quam plurimis in corpore suo vexabatur. Sexto, venit ad hanc furiam ut per imaginationem videret spertum infernum, et semper diceret se illuc iturum, et numquam ab illo liberandum. Semper in illis malis invocavit Diabolum, Christum vero, et Matrem ejus Mariam totis viribus blasphemavit. Et haec sex mala recte sunt contraria sex verbis in hoc ultimo puncto salutationis *Mariae* positis. sc. (*Fructus, Ventris, Tui, Jesus Christus, Amen*). Sanctissimus Dominicus per Hispanias praedicans, audit de tanta illius pagani miseria in Compostella, ubi tunc praedicabat, veniensque ad eum, sciens quod esset paganus, ait: *O fili, vis sanus fieri?* Cui ille. Ita Domine. Et Dominicus: *Esto Christianus, et mox eris in toto salvus.* Hic paganus ille exclamabat, dicens: *Absit hoc a me, ut dimittam legem patrum meorum. Non etiamsi deberem habere omnia bona mundi.* Cum igitur s. Dominicus nihil sic proficeret cum eo, ait ad eum rursus. *Fili, scio duas cantilenas virtuosissimas, quas si centum, et quinquaginta vicibus qualibet die decantaveris, in brevi totus eris curatus.* Paganus ait: *Utique dicere volo, dum tamen non fuerint contra legem meam.* Ad quem S. Dominicus sancta verbositate, et fraude respondit. *O fili, haec carmina non sunt contraria divinae legi, imo sunt pro ipsa, nec sunt, quae tibi repugnabunt, sed te potius adjuvabunt.* Cui Eliodatus: *Utique haec jam dicere cupio, dum tamen non fuerit de Christo vestro, et Maria.* Et Dominicus: *Carmina, inquam, illa o fili, quae dicam tibi sunt valde gaudiosa, fructuosa, et utilia contra omnia adversa, quae non solum proficiunt in ore Paganorum, et Judeorum, quin a quocunque dicantur, eandem semper retinent virtutem.* Sic igitur Sanctissimus hic Pater Dominicus pie decepit istum miserum paganum, ita ut ad votum Dominici dederit consensum. Docuit igitur B. Dominicus eum orare *Pater noster* ex integro, et Salutationem Angelicam, celatis nominibus *Maria*, et *Jesus Christus*, explicite quamvis in verbis positus habeantur (((p.247))) implicite. Cum igitur paganus ille coepisset dicere illas cantilenas, et diceret se nescire retinere, Dominicus pro eo orans, eas protinus retinere perfectissime, eundem fecit, dicens: quod in hoc posset perpendere quantae virtutis essent tales cantilena, quae ita in momento ei dedissent scientiam, et perfectam memoriam, homini penitus ignaro. Itaque Psalterium ille Eliodatus coepit psallere Virginis Mariae, non tamen intentione Christiana: imo contraria omnino, et affectione mundana semper plus petendo salutem corporis, quam mentis. Mira res S. Dominico sic discendente, paganus ille orans modo, quo dictum est, mox post completionem primi psalterii sui, miram coepit intus sentire jucunditatem, ac si paradisi delitiis interesset. Secunda autem die post psalterii decantationem mox divina virtute recepit vigorem membrorum suorum. Tertia die sub lecto suo invenit magnum thesaurum, et sic se redemit, et in posterum sc. post susceptionem Baptismatis plurima ex illis fecit bona in Ecclesiis, et domibus pauperum. Nam ibi erant ultra centum millia aureorum antiquorum: eratque thesaurus absconditus unius Regis pagani. Quilibet autem aureus sex, vel septem valebat aureos modernos. Erat etiam ibi argenti quam plurimum in caverna subterranea quadrata, quam Eliodatus sub strato suo in tugurio, quod volens aptare suum locum, casu discooperuit. De quibus S. Dominico disponente plurima hella contra paganos fuerunt persoluta. Quarto vero die post psalterii persolutionem, Demones qui eum vexabant, clamando, et ululando per aera, eum dimiserunt. Quinto die Domina nostra cuncta ejus vulnera sanavit, dixitque ei, quod oporteret eum in fonte vitae lavari, si optare: ab omnibus plene curari. Sexta die dicto psalterio suo, raptus fuit in visione coelesti, ubi vidit Sanctorum gloriam apparebatque ei, quod cuncta a Christo dijudicabantur, quorum plurimi ad damnationem perpetuam ibant, paucissimi ad gloriam deputabantur. Cum autem ipse cum aliis deberet accipere damnationem, advenit Regina pulcherrima, quae pro ipso oravit, ut illi parceretur. Cui Judex, nunquam ait, isto aliquid boni fecit. Cui Domina, imo Domine. Nam sex psalteria nobis decantavit. Cum haec ille paganus vidisset, postea ad se reversus, se baptizari curavit, et in Christum, et Mariam firmiter credit, et multa bona fecit, vitam in servitio gloriosae Virg. Mariae finivit, et sic ab ea assumptus est in coelum. Amen.

EXEMPLUM VII.

De Cardinali quodam devoto.

Maria loquitur ad Sponsum suum novellum ALANUM dicens.

O dulcis Sponse exemplum tibi dico de quodam Cardinali s. Dominici contemporaneo, qui prius fuerat socius Dominici in Scholis Oxoniae, postmodum vero devotus S. Dominici, et familiaris erat, et ita ejus meritis, et praecibus Ordinem Cisterciensem (((p.248))) intravit in Hispaniis? Hic igitur postmodum Card. S. Mariae Transtyberim, factus: cum aliquando Romae Dominicum meum de psalterio meo praedicantem ferventissime audisset, mirabiliter compunctus, et allectus suavitate fructuum psalterii accersito Dominico modum specialem illud orandi didicit. Talem sc. ut quinquagenam diceret ad honorem Incarnationis filii mei parvuli. Aliam ad honorem Christi Passionis, et meae ad eum compassionis. Tertiam vero ad honorem septem Sacramentorum Ecclesiae, quae derivata sunt a Christi Passione, et Incarnatione, et ad honorem sibi devotorum, et contra peccata sua quae in saeculo commisit, et in officio tali, et dignitate propter varias occupationes saeculares. Ipsam quoq. primam Quinquagenam diceret ad honorem, ut Deus daret ipsi gratiam bene vivendi, per Incarnationem Christi. Secundam, ut daret ei bene mori, per Christi passionem, et mortem. Tertiam ut donaret illi perfecte honorare Sacramenta, et signanter Sacramentum Eucharistiae, et Poenitentiae in contritione, confessione, et satisfactione, et sic non gustaret mortem sine perfecta, et devota perceptione Sacramentorum, omniaq. debebant fieri cum disciplinis. Et hos modos me docente saepius B. Dominicus praedicavit, qui sunt modi optimi contra omne malum et pro omni bono. Sic igitur Card. ille mox Sancti Viri dictis obediens, viribus totis coepit dicere Psalterium, et consulere aliis, et praedicare. Tandem procuravit, ut in Ordine suo Cisterciense a multis diceretur. Cum igitur post annos quinque (Diabolo cooperante) contra Summum Pontificem pene universi, uno animo causa recuperandi Dominium Imperiale (quibusdam Nobilibus ad hoc populum Romanum incitantibus) insurrexissent, ipsum Summum Pontificem cum omnibus Cardinalibus fugere latenter coegissent ad quoddam Castrum prope Romam insequerentur eum, et obsidione fortissima vallaverunt. Cum ergo alimoniis carerent, et in dies deficerent, nimia potus, et ciborum penuria, ut multi Ecclesiasticorum summa egestate compulsi, carnes comederent equorum, et mulorum suorum. Praefatus Cardinalis, se cum tota Ecclesia Romana in tanto periculo cernens esse positum, confidenter psalterium meum praedicavit omnibus in Castro inclusis, promittens eis, et affirmans, quod si hoc dixerint, mox auxilium adfore non dubitent. A summo Pontifice usque ad minimum Castrum famulum omnes dixerint psalterium meum, modo nunc dicto summis cum fletibus, et gemitibus. Res autem statim magnae pietatis meae tunc secuta est. Nam die tertia Romani obsidentes castrum, sic terrore fuerunt percussi, attonitiq. et compuncti ad poenitentiam, ut armis objectis multi fugerent. Nobiles autem, et principales depositis objectis multi fugerent. Nobiles autem, et principales depositis armis, et solis camisiis acceptis, nudi cum capistris collo alligatis ad castrum properabant misericordiam postulantes, et pacem. Qua laetius, et festinantius concessa qui prius erant hostes, Summum Pontificem Roman perduxerunt, maxima cum gloria, atque eum in sedem suam collocaverunt. Nec de hoc satis est. Nam praefatus Cardinalis legatione fungens missus ad fideles, qui bellabant (((p.249))) contra impios Saracenos in Terra Sancta, cum praedicasset ibidem Psalterium meum, de hostibus mirabilissimam obtinuit victoriam. Nam tantum tria millia Christianorum tunc habuerunt victoriam, contra plusquam centum millia Infidelium. Nam omnes alii Christiani qui illuc venerant, aut a paganis erant captivati, aut occisi, aut pestilentia erant consumpti. Et quamvis Christiani erant valde pauci, et hostes undiq. quasi innumeri indubie tamen Terram Sanctam illa hora recuperassent, si mansissent constantes, et bellassent, sed consilio habito, et dissidentes, post victoriam praedictam ad propria redierunt. Nam audierunt Soldanum cum omnibus Regibus suis, et infinita multitudo contra eos velocius properare: quid ultra? Cardinalis ille post haec, in incepto perseveravit usque ad finem vitae, qui admonitus, a me ipsa, per dies 150. ante mortem suam maximam fecit poenitentiam jeiunando, flendo, se disciplinando, vigilando, et peccata sua confitendo. Sed contigit ei in fine trium dierum, quod os suum aperire non valeret. Cum igitur cunctis desperarent illum posse Eucharistiam suscipere, die tertia illi apparui, et manu Virginea linguam ejus contingens, eidem et sensum, et perfectum reddidi eloquium. Ob hoc quoque Sacramentis devotissime susceptis, in tantum flevit in susceptione Corporis Domini filii mei, ut nullus praesentium, tantum unquam vidisset fletum ab uno hominem morti proximo. Nam oculi ejus videbantur quasi duo rivuli parvi aquam stillantes. Cor vero ejus prae nimia contritione intus vehementissimis agitabatur motibus, ut longius a cubili ejus sonus motionis cordis ipsius perpenderetur. Mira res? Sic singultibus filius ille salutis aeternae nimiis agitabatur, et suspiriis immensia prae peccatorum suorum contritione, et amore Christi, et desiderio coelestis Curiae, quod cor suum quasi vas plenum mero optimo, et recenti est fractum, et contritum. Sicq. cum fracto sanguine cordis per os emisso, spiritum inter manus Filii mei assistentis efflavit, et ad gaudia aeterna ipso perducente pervenit. Propterea, o viri Ecclesiastici, hanc historiam notate, et ad Confratrum Psalterii mei gaudentes redite, ut per hanc cives efficiamini Curiae Coelestis. Amen.

EXEMPLUM VIII.

De Alano Britanno Milite devoto.

Miles quidam devotus, nomine Alanus de Valle Coloram Galliae prope Dinanuum in Britannia, ibat ad terram Albigensium cum Comite Montisfortis, et multis aliis de Britannia ad expugnandos, tempore, quo B. Dominicus ibidem contra haereticos spiritu bellando, praedicabat mirabilia de Psalterio Virginis Mariae, per quod multo plures ad fidem Christi, quam per quascunque alias praedicationes convertibat. Hic ergo devotus miles ex Doctrina, et admonitione B. Dominici Psalterium Virg. Mariae omni die dicebat, devote **((p.250))** meditando articulos Christi Incarnationis, et Passionis, et genibus flexis infallibiliter oravit. Huic ergo militi Christi, et Virg. Mariae, mirabilia contigerunt per psalterium Virg. Mariae. Nam cum aliquando comparuisset in campo, ac acie, cum paucis valde, maxima multitudine conclusus haereticorum, jum fatigatus resistere non valebat Domina nostra Dei Mater misericordiosissima Virgo Maria apparuit, 150. lapides terribiliter, et visibiliter in hostes projecit, sicq. hostibus in terram prostratis, cum suis liberatus est. Et alia multa similia ibidem contigerunt. Alia vero die, cum in terra sua naufragium passus esset, Regina quaedam pulcherrima visibiliter passagium, et pontem sibi faciebat ex 150. monticulis, sicq. Illaesus per mare ambulans ad terram deductus est. Tandem iste Alanus ad propriam terram rediens fundavit Conventum Dimensivus Fratrum Ordinis Praedicatorum B. Dominico adhuc vivente, factusq. est Praedicator Maximus in eodem Ordine. Cumque qui totam Franciam praedicando circuisset, et ad diem dum ex devoto orandum Psalterium B. Virg. Multos edocuisset. Aurelianus sanctissime obiit. Sepelieruntque eum ex causa singularissima coram altari Virg. Mariae ibidem in Conventus ejusdem Ordinis. Cujus os et ambae manus propter Virg. Mariae Psalterium, nimio splendore, et candore post ejus mortem ad modum Chrystalli claruerunt.

EXEMPLUM IX.

De Bartholomaeo Comite Italiae.

Fuit in Italia Comes quidam Bartholomaeus nomine, potentia, vitiis, et iniquitatibus famosissimus, qui semel confessus B. Dominico ibidem praedicanti (solebat autem confiteri magnis viris, et Doctoribus, forte propter jactantiam, vel quandam curiositatem qui ei applaudentes, non quo jam faciunt Confessores magnorum Dominorum, et Principum, proh dolor! De factis suis ipsum minime repraehendebant) cognovit se nunquam bene fuisse confessum. Nam consueverat dicere aliis Confessoribus, nisi tantum spumam suorum peccatorum (ut multi nunc faciunt) Beatus autem Dominicus (qui hanc specialem gratiam a Deo habebat, quod omnium sibi confitentium conscientias, et peccata omnia, et eorum gratias cognoscebat) sentiebat, et clarissime videbat innumerabilia peccata in ejus conscientia, de quibus nunquam fuerat confessus, et de quibus antea nullam sibi faciebat conscientiam. Huic igitur compuncto valde, et poenitenti, et bonum propositum habenti B. Dominicus, ut in posterum perfecte posset conscientiam suam examinare, injunxit quotidie dicere Psalterium Virg. Mariae, modo quo solebat magnis, et nobilibus hoc injungere. Dansq. ei psalterium 150. signorum parvorum, et 15. grossorum inter quaslibet denarias positorum (sive tria sarta) pro exemplari jussit, ut curaret sibi fieri pulchrum psalterium, sive patriluquium, cujus grossa quindecim signa essent varia, ad quae legi Pater noster **((p. 251))** consuevit, ex quorum visu psalterium dicendo posset totam vitam suam, et peccata revolvere, Dei gratias et beneficia recolare, Christianorum meditari et recogitare. Quinque prima grossa signa primi serti debebant esse talia. Primam variis coloribus depictum, signans ejus varia peccata, et 150. mundi peccata, et totidem poenas, et miserias. Secundum pallidum, designans mortem, et 150. ejus pericula. Tertium rubeum, designans Judicium, tam particulare, quam universale, et 150. generales poenas. Quintum aureum, designans gloriam Paradisi, et ejus 150. gaudia generalia. Alia autem quinque grossa signa, quae fieri curarat, pro secundo serto talia erant. Primum fuit Imago Crucifixi, designans Christi Passionem cum 150. fructibus ejusdem nobis inde venientibus. Secundum Imago Mariae, cum Christo, designans Christi Incarnationem habentem 150. gaudia Virginis Mariae. Tertium fuit anulus, designans desponsationem Mariae Virg. cum Deo Patre, et per istam animae devotae cum Deo, quae habet etiam totidem privilegia. Quartum fuit agnus designans Dei misericordiam praestandam omnibus psalterium Mariae Virginis orantibus 150. globos. Quintum fuit lapis ad modum Veronicae, designans 150. benedictiones, quae provenient Beatis ex Christi clara visione, et signanter psallentibus hoc psalterium Virg. Mariae. In tertio autem Serto erant alia quinque grossa signa admirandae significationis. Primum fuit ad modum pomi pulcherrimi, designans 150. fructus Paradisi, qui dabuntur psallentibus hoc psalterium.

Secundum fuit quoddam poculum vacuum ad modum alabastri, in quo intus erant Sanctorum Reliquiae, designans 150. auxilia quae dabuntur psalterium orantibus. Tertium fuit ad modum clavis, designans, quod claves Inferni elongabuntur a talibus et claves coelorum 150. modis cum thesauris coelorum illis conferentur. Quartum fuit denarius in quo fuit Nomen Jesus, designans Sanctam Eucharistiam, cum qua decedent Oratores Psalterii Virg. Mariae. Quintum fuit quadratum intus vacuum ad modum alabastri factum, designans Sacramenta Ecclesiae, quibus anima iungitur, et in his sunt 150. beneficia, secundum hominis quindecim potentias multiplicatas per decem Dei mandata, et totidem merita, et praemia, ut alibi dictum est expressius. Sic itaq. Comes iste infra annum tantum profecit, ut Diabolum sibi invidentem, et inimicantem, et eum vigilare volentem, cum jam ulterius reistere non valeret, projecto psalterio suo ad collum Diaboli, ipsum ad nutum suum captivum traheret. Quem ad terram dejiciens, et pedibus proculcans, clamantem, et horribiliter ululantem, cum promitteret is, se nunquam ei nociturum, dummodo jam eum abire permetteret, caesum ad placitum dimittens nunquam ad eum rediit. Videns praefatus Comes virtutem Psalterii gloriosae Virg. Mariae, per quod sic Diabolum arctaverat, cum haberet quoddam castrum pulcherrimum inhabitabile (((p.252))) omnino propter Doemonia ibidem inhabitantia, horribiles insolentias facientia, fecit ibidem in parietibus, et cameris per totum castrum patriloquia multa depingi. Et sic Doemones more solito de nocte venientes, et horribiliter ululantes, ingredi de coetero nullatenus ausi sunt. Tandem autem Dominam nostram rogavit, ut gaudium aliquo coeleste sibi dignaretur ostendere. Paulo post cum devote orando psalterium suum legeret, vidit Angelum Dei de manibus ipsius patriloquium ex 150. lapidibus pretiosis accipientem, et in coelo cum gaudio magno deferentem, quod dabat B. Virgini. Moxq. illud in manibus ejus, isti 150. lapides crescebant in montes lapidum pretiosorum, ex quibus ipsa construebat palatium magnitudinis, et pulcheritudinis propemodum infinitae. Quod videns Bartholomaeus, statuit apud se, non jam unum tantum dicere psalterium, sed multa, sic ut in omni loco, et tempore, tam stando, quam ambulando, quam aliud faciendo, semper oraret, quo in coelo plura construeret palatia. Postmodum vero Domina nostra ei apparente, et suum obitum denunciante, cum devotione maxima, decessit. Amen.

EXEMPLUM X.

Quam utile sit solum portare Psalterium Mariae Virginis.

Rex quidam magnus volens familiam suam inducere ad orandum Virg. Mariae Psalterium, portabat in zona sua magnum Patriloquium, quod tamen non orabat. Sicq. videntes universi Regem suum hoc portare, fecerunt, et ipsi similiter, et quod magis est, illud orabant. Quid amplius? Rex iste raptus ad Judicium Dei, se pertrahi sibi videbatur, condemnandus ad tormenta inferni, quoniam vix boni aliquid fecerat, sed mala plura in bellis, rapinis, blasphemiiis, superbia, gula, et sic de aliis perpetraverat. Cumq. contra eum daretur sententia damnationis, Virgo Maria adfuit, dicens, se habere pro eo aliquid boni, simul porrexit in medium illud *Pater noster*, quod Rex iste portaret, non tamen ipsum orarat. Itaque in statera sunt posita mala summa, et de parte alia Patriloquium suum. Mira res! Tunc Doemones contra Virg. Mariam furentes, et blasphemantes coeperunt summam partem staterae velle gravare, dicentes, *Maria injuste fecisti illi aequalitatem*. Quid plura? Conversa Maria ad Regem, ait: *Ecce tibi impetravi a filio meo propter illud modicum servitium, quod exhibuisti mihi, ut redeas ad vitam et ad stateram de parte tua apponas*. Interim Rex in domo sua mortuus jacebat ad sepulturam mox efferendus. Et ecce subito cunctis videntibus, surrexit, et ait: *O benedictum sit Psalterium Virginis Mariae, per quod sum liberatus a damnatione gehennae*. Itaque in cunctis emendatus, nec dum de caetero Psalterium Mariae portavit: verum etiam devotissime oravit. Istud putatur accidisse, cuidam Regi Hipaniarum, tempore s. Dominici Praedicatoris.

(((p.253)))

EXEMPLUM XI.

Primam Chartusiam quae est sita in Dioecesi gratianapolytana, estque Mater, et origo omnium Monasterium Ordinis Chartusciensis, transibat quidam Prior Ordinis ejusdem, et causa devotionis ibidem moram trahebat, nam fuit devotissimus Domino Jesu. Hic quadam vice coram altari se prosternens diutissime oravit pro liberatione ab adversis, suum Monasterium gravissime insectantibus. Nam suum Monasterium in partibus Regni Hispaniae gravissime fuit a guerris infestatum, et a Potentibus oppressum in tantum ut omnes redditus, et Monasterii bona in rapinam essent conversa. Illo sic diebus singulis divisim, spatio dierum 15. in oratione perdurante, tandem subito raptus in Spiritu non sicut solebat (erat enim ejus totius devotionis) sed altiori modo, vidit manifestissime Dominum Jesum Christum in gloria mirabili passionis apparentem, et quindecim arma miri decoris gestantem, hoc est, quinque tela, quinque hastas, et quinque lanceas: quae omnia Christi sanguine rutilabant, et veluti sydera micabant. Cui ait piissimus Mariae Filius: *Non timeas Petre, his enim armis cuncta vinces adversantia.* Cui ille cum tremore: *O Domine quid designant haec arma tam gloriosa?* Ad quem Dominus ait: *sunt, inquit, quindecim orationis Dominicae excellentiae, quae a cunctis repugnantibus valent liberare, vade ergo et praedica Psalterium meum, et cum tuis perora; et mox senties auxilium meum.* Quae autem sunt hae virtutes tam mirabiles, et quantae, patuit in effectum. Nam cum hoc praedicasset, rediens ad terram suam infra breve tempus, universi corruerunt hostes, raptos rediderunt ablata. Religiosi ipsius convalescerunt in cunctis: in tantum vice alia raptos pro praeda intrantes eorum agros, et vineas, ac Monasterium, subito facti sunt furiosi, aut Doemoniaci, vel paralysi resoluti, ut non possent exire, nec se movere de loco, nisi poenitentia facta, et petita cum humilitate ab eodem Priore indulgentia, qui tamen erant, plusquam quingenti equites. Haec narrat Joannes de Monte, qui asserit Chartusiensem hunc carnalem fuisse cognatum suum.

EXEMPLUM XII.

De Chartusiano vidente Jesum iratum orbi telis feriendo, ni B. Virgo intercessisset.

N. L. Sequentis exempli non auctor fit Alanus, sed ejus Collector, seu transcriptor posthumus, id huc inservit, occasione Chartusiani, acciditque recens anno 1479. quo exeunte hic liber impressus est; Alano annis quatuor ante, fatis perfuncto.

Chartusciensis quidam gloriosissimae Dei genitrici, valde devotus, **((p.254))** et amabilis erat, eo quod singulis diebus temporibus congruis Psalterium gloriosissimae semper Virg. Mariae cum certis meditationibus eidem devote diceret. Quamobrem quadam vice, dum post horam Completorii ejus psalterium, cum suis meditationibus valde devote complevisset, illico oculi ejus somno gravabantur, et in spiritu aliquandiu raptus doctus est in regale, ac solemne palatium ubi vidit maximam turbam, variis ornamentis ornatam. Inter caetera vidit Regem cunctis decoribus ridimitum, cui infiniti astiterunt famulantes. Ipsa etiam astitit Regina venustissima a dextris ejus, tenens dexteram Dei plenam, ignitis et flammeis telis, qui ad modum jaculaturi desuper in terram manum levaret. Ad quem Regina: *Noli, ait, mi fili amantissime, noli, sed parce miseris peccatoribus, ut poenitentiam agant.* Tunc Rex ait Reginae: *Nonne justus in omnibus viis meis appellor? Nonne iniquitas in omni statu primatum tenet? Tu igitur noli impedire justitiae opera.* Cui Regina: *Verum fateor, mi amantissime fili, sed nonne misericordia super omnes coelos elevata est? Et ideo misericordiam negare non poteris. Nonne scriptum est: Cum iratus fueris misericordiae recordaberis?* Respondit Rex, verum dicis, quia misericordiam volo, et non rigidam justitiam, sed misericordiam nemo petit; ergo justitia recte operatur. Respondit Regina: *Licet homines misericordiam non postulent, optant tamen ut eis tribuatur. Et nosti carnem humanam ex corrupta propagatam, idcirco semper magis tendit in corruptionem, quam in perfectionem. Et quia resurgere non poterit, nisi mediante juvamine gratiarum. Idcirco ego quae Mater misericordiae, et gratiarum dicor, quam negare nequaquam potero, quia plena sum, quam plenitudinem ante tui conceptionem Angelus mihi annunciavit, inquires: Ave gratia plena Dominus Tecum.*

Eandem igitur gratiae plenitudinem exaudire velis peto. Respondit Rex matri: Pete, et filius nihil tibi negat. Tunc Mater Regina ait: quamquam mi fili totus mundus a capite usque ad pedes langueat, et non sit sanitas a majore, usque ad minorem, et quamvis tua Catholica s. Ecclesia valde periclitetur, et coinquinatis membris regatur, nihilominus ego Mater gratiorum unam grantiunculam in mundum tanquam dulce electuarium effundum, ut quicumque sumpserint, et debito modo utentur, integre curentur. Et adjecit Regina dicens: Ecce est hic homo, qui me speciali servitio in tribus Quinquagenis, *Ave Maria*, et quindecim *Pater noster*, loco Psalterii venerari solet, et in eis meam Conceptionem, Incarnationem tuam, Nativitatem tuam, Humanitatem, Vitam, et Passionem tuam, meamq. compassionem usque ad tuam Mortem; insuper de gaudiis tuae Resurrectionis, meditari devote solet. *Nunc igitur peto, ut quicumque meum psalterium cum his meditationibus devote ad me flexis genibus competenti tempore dixerit, ut ille salvus sit, et nulla mala morte moriatur, neque alio aliquo periculo deprimatur, et tuam (((p.255))) indignationem ab eo averte quaeso.* Tunc rex depositis ignitis, et flammeis telis, amplexatus est Reginam dicens: Mater amantissima, non est fas tibi negare salutis operationem, quia haec omnia quae enarras salutis fuere exordia. Quicumque igitur ea sic, ut petis devote sine culpa mortali impleverint a me misericordiam, gratiam, et vitam aeternam consequentur. Et omnem gratiam, qualemcumque etiam tu, tuis famulis, in tui Psalterii servitio, et ejusdem meditationibus tibi famulantibus optaveris eandem eis benigno favore indulgere poteris. His dictis Regina Regem amicissime est amplexata, et humiliter iclinans, iterum residebat apud Regem in sede deaurata, multis adjunctis choris Sanctorum. Et statim reductus est Spiritus hujus hominis ad corpus. Qui quidem honus vir, quasi gravi somno soporatus, evigilabat, et hanc visionem menteolvebat. Et ecce hora matutina, cum jam iterum complexisset primam Quinquagenam Psalterii Gloriosae Virg. Mariae cum consuetis meditationibus, apparuit ei B. Virgo Maria visibiliter in maxima claritate. Qua visa Frater ille valde turbatus est. Cui B. Virgo Maria dixit: Amice, ne paveas, sum (inquit) illa Regina, quam hac nocte in spiritu vidisti. Ecce vidisti tunc Regem potentem tela ignita, et flammea tenentem, vidisti et me tenentem ejus manum paratam jaculari ea in terram. Tu igitur diligenter ausculta, et quae mandavero imple, et plures tecum salvabis, qui alias valde periclitarentur. Per tela, ignita, et flammantia quae vidisti in manu Regis fuerunt designatae diversae plagae horribilissimae quibus filius meus justissime propter peccatorum enormitate mundum plagare decrevit. Sed ego quae Mater gratiarum, et misericordiae vocor, retraxi manum ejus, ne in furore suae indignationis hoc ageret, et misericordiam obtinui. Tu igitur eo modo quo me in meo psalterio venerari soles, hoc diutius ne differas apud te, sed in publicum edoceas scriptis et verbis. Adeo etiam quamvis ad meum psalterium, multae concessae sint indulgentiae, ego tamen ultra illas devote sine culpa mortali, et flexis genibus psalterium meum orantibus, pro qualibet Quinquagena multa majora addam. Rursum, Quicumque in hoc psalterio, cum praenominatis articulis perseveraverit, in ea extrema hora ipsius pro fideli servitio, plenariam remissionem a poena, et a culpa omnium suorum criminum ei indulgebo. Hoc autem auribus tuis incredibile non videatur: quod si hoc licet filii mei Vicario terrestri sc. Papae, cui hanc potestatem dedit, multo magis licebit mihi, Regis coelestis Matri, quae *Gratia plena*, appellor, et si plena, ergo largissime meis caris gratiam effundam. Idcirco ut fidelis miles perage negotium Reginae coelestis, ut erantes per me ad viam vitae reducantur, et ut in illa die recipiens coronam laetitiae quam justus daturus est tibi. Et his dictis evanuit. Considerans devotus vir rem gestam, et negotium Reginae sibi commissum, docuit, et scripsit quantum potuit, emittens scripta sua ad diversa loca, quibus, tam spirituales, quam saeculares se emendare possunt, ut misericordiam, et gratiam in praesenti, (((p.256))) et gloriam in futuro consequi valeant. Amem. *Revelata sunt haec Patri Chartusensi in die Annunciationis gloriosissimae Virg. Mariae hora Completorii, Anno Incarn. Dom. 1479.*

EXEMPLUM XIII.

Gratum Deo, Coelitibusque usui esse Psalterium, ostenditur.

N. L. Transcriptoris haec inserta lancina est, non Alani stylus, tempusq. arguunt.

Quidam de Patribus, qui odierunt anno 1431. in domo Trevirensi Chartusensis Ordinis in scriptis reliquit, qualiter unus illorum, qui se in Rosario exercere consuevit, deductus fuit in spiritu usque ad coelum empyreum, ubi inter multa arcana vidit, et audivit, etiam clarissime vidit, quod idem Rosarium

praesentabatur. Altissimo, et quod B. Virgo Maria, cum Verginibus suis, et omnes Angeli, et Sancti universi ab Adam, usque ad illud tempus accesserunt, et Onnipotenti Deo gratias egerunt, et benedixerunt, pro sanctis exercitiis, quae fiunt circa illud Rosarium in coelo, et in terra. Et oraverunt pro cunctis Religiosis, et devotis hominibus, qui se in illo exercent, ut gratia, ex pax eis adjungatur in terris, et gloria accrescat in coelis. Idem vidit, et audivit quod praedicti omnes Sancti et Angeli Dei ipsum Rosarium devotissime, decantabant cum suis meditationibus, addentes ad quamlibet meditationem, seu clausulam ibi additam Alleluja, jucundissimo cum cantu. Quoties etiam nomen B. Virg. Mariae ibi nominabant, humiliter se inclinabant. Ad nomen vero Jesu Christi genua devotissime singuli flectebant, juxta dictum Apostoli: *In Nomine Domini nostri Jesu Christi omne genuflectatur coelestium, terrestrium, et inferorum*. Dictum fuit etiam illi clara, et aperta voce, quod quoties qui dictum Rosarium compleret, cum suis meditationibus adjunctis, toties plenam perciperet omnium peccatorum remissionem. Vidit etiam innumeras, pulcherrimas, lucidissimas, immarcescibiles, odoriferas coronas, quae reservantur his qui se devote exercent in eodem. Et toties additur illi hujusmodi corona in coelo, quoties quis sertum hujusmodi ad laudem Dei, et ejus Genitricis dixerit. Idem Pater non semel, sed pluries aliquando una die gaudia coelestia vidit, et audivit. Et quandoque etiam in corpore consolationem magnam, ac confortationem percipere solebat, secundum quod se in ipso Rosario devote exercere poterat. Et licet se in suis scriptis non nominarit, ipsum tamen eundem qui haec scripsit, fore minime dubitamus. Talis enim conversationis fuit inter Fratres, tantae devotionis, patientiae, litteraturae, gratiae, et fortitudinis etiam in corpore licet rigide vixerit, et prae cunctis caeteris merito hujusmodi meruerit habere revelationes. Sic tamen eadem quae divinitus cognovit, prudenter occultare scivit, ut communi Fratrum conversationi non ostenderit singularitatem, sed solatiosus, et consolatus cunctis existeret. (((p.257)))

EXEMPLUM XIV.

Pulchra visio B. ALANO Sponso novello Mariae Virginis Facta.

Quiddam devotus Beatissimae semper Virg. Mariae, in psalterio, in quodam festo Magno Virg. Mariae fuit raptus veraciter ad superna. Videbaturque sibi, quod ex omni mundi parte voces audirentur terribilissime clamantes: *Vindictam, vindictam, vindictam, de habitantibus in terra*. Post istos autem cernebat, quod a coelo erumperent tanquam flumina ignea supra terrae habitatores.

Illicoque periit hominum innumerabilis multitudo; ad clamorem autem perentium caeteri coeperunt clamare pro auxilio. Subito de coelis advenit navis sydereae, stellis ornata multisque alis albis alata, et haec per aera ferebatur, miro modo desuper tecta. Erat autem tantae magnitudinis ut innumeri in eam intrare potuissent. Quid ultra? Cernebat L. de parte una navis, et L. de parte alia, et L. supra tectum, qui cum urnis aquam infundebant, extinguentes horribilissimum, quod ardebat, incendium. At in capite navis tanquam patrona residebat quaedam Domina, tam mirabilis, ut sit inexplicabile. Iris Dei ambebat navem illam. Porro Regina hominibus periclitantibus sic ait. *O miseri filii hominum ad me confugite, ne praesenti in hoc diluvio pereatis. Et sicut dudum mundus a diluvio peccatorum est liberatus per Salutationem Angelicam, sic et nunc venite ad me per eandem salutationem*. Quid amplius? Videbat quod universi, qui hanc Salutationem accipiebant haberent auxilium. Veniebant autem columbae candidissimae, quae eos ad arcam deportabant. Et Beatissima Maria convivium magnum in escis totius jucunditatis, et in vino divino inebriationis eis faciebat. Post haec mandabat haec Domina Angelis trium Quinquagenarum, qui incendium extinguebant in monte altissimo, et in brevissimo tempore aedificaverunt Civitatem mirae magnitudinis cum Turribus C. et L. ubi omnes Psalterii Virg. Mariae Oratores fuerunt positi, ut praeservarentur ab incendio, quo nunc pene totus mundus in omni statu devoratur. Et ait Benignissima Maria: *Sicut qui Navim Noé contempserunt, omnes in diluvio peccatorum est liberatus per Salutationem Angelicam, sic et nunc venite ad me per eandem salutationem*. Quid amplius? Videbat quod universi, qui hanc Salutationem accipiebant haberent auxilium. Veniebant autem columbae candidissimae, quae eos ad arcam deportabant. Et Beatissima Maria convivium magnum in escis totius jucunditatis, et in vino divino inebriationis eis faciebat. Post haec mandabat haec Domina Angelis trium Quinquagenarum, qui incendium extinguebant in monte altissimo, et in brevissimo tempore aedificaverunt Civitatem mirae magnitudinis cum Turribus C. et L. ubi omnes Psalterii Virg. Mariae Oratores fuerunt positi, ut praeservarentur ab incendio, quo nunc pene totus mundus in omni statu devoratur. Et ait Benignissima Maria: *Sicut qui Navim Noé contempserunt, omnes in diluvio perierunt, sic omnes qui*

me, et Psalterium meum contemnunt, temporibus novissimis, proculdubio in isto peribunt. Et heu, heu, quis dicere posset quantum, et quale fuit hoc diluvium? Non enim puto humana lingua id exprimi posse. Nam ut brevius concludam tanquam, alter Infernus videbatur. Nullibique misericordia apparebat, nisi ubi Maria invocabatur. Et heu, heu, quid dicam? Persona quae haec vidit, plurimos vidit qui debuissent ex officio ad Mariam confugere tali in tempore diluvii, qui tamen magis eam blasphemabant, et cum blasphemiiis suis turpissima morte, tali in diluvio ad tartara decurrebant. Plurimos autem vidit viros, ac mulieres simplices, qui in simplicitate sua ad Mariam cum psalterio suo confugiunt, (((p.258))) ab ea habebant benedictionem, et praeservationem: inter quos vidit quosdam Ecclesiasticos, quoad primum genus, et quosdam laicos quoad secundum, qui eadem die sunt mortui tempore pestis. Ecclesiastici quidem duo, aut tres. Laici vero quinque, vel sex, quos novit maxima cum devotione decedebant. Et hoc est, quod dicit Dominus in Evangelio: *Servus sciens voluntatem Domini, et non faciens plagis vapulabit multis: nesciens vero plagis vapulabit paucis.* Luc. 12. Propterea, ut conscientiae nostrae purae habeantur, tempore isto periculosissimo Virgo Mater, cum Filio, in eorum salventur Psalterio.

EXEMPLUM XV.

De Monacho facto repente docto.

Devotissimus quidam Monachus in Psalterio B. Virg. Mariae, post tempora longa, merito hujus Psalterii fuit raptus ad superna, ubi vidit Regem Angelorum in gloria suae Majestatis. In cujus conspectu fuit liber infinitae Magnitudinis in quo omnis scientia ad plenum descripta erat. Istum ergo famulum Mariae Virginis, Maria perducens ad Filium, obtinuit ab eodem Filio suo, ut legeret in eo libro. Legit, et secundum diversa folia, plenitudinem scientiae habuit. Sicque rediens ad seipsum, mirabatur, et scire cupiebat si haec vera essent. Itaque libros, intuetur, et omnia intelliget plenissime: cum aliis loquitur Monachis, et omnes superabat, in tantum, ut putarent eum Doemoniacum, qui summus Doemonum fuit inimicus. Postmodum autem, ut antea, vivendo, docebat, et praedicabat semper, et frequentius de Virgine Maria sibi in suo psalterio quotidie psallendo meruit haec dona, et postmodum ad regna sempiterna pervenit.

EXEMPLUM XVI.

Fructuosum est orare Psalterium Virginis Gloriosae, cum receptione disciplinae.

PRAEFATIO.

Laudate eum in Psalterio, etc. Psal. 150. Quoniam in laudibus Sponsi, et Sponsae Jesu Christi, et dulcissimae semper Virginis Mariae, tota est hominum salus dicente s. Bernardo in sermone quodam de Sponso, et Sponsa: *Bonus enim in terris est psalmus ideo jucunda decoraq. laudatio. Propterea lauda anima mea Dominum, quamdiu vita te comitatur.* Sed quid tantis salutatoribus nostris pro immensis beneficiis riferam gratiarum actiones? Proculdubio: *Cantabo Dominum Canticum novum.* sc. Angelicum, et *laudabo eos in Psalterio* Virg. Mariae sc. *Ave Maria.* Nam salutatio Angelica est summum Evangelium, quoniam est caput, et origo, et Master Domini Jesu, ac universorum Evangeliorum. (((p.259))) 1. *Per quod Deus est Incarnatus,* secundum Anselmum. 2. *Maria Dei Mater effecta, quo Deus nihil majus facere potest in pura creatura,* secundum s. Thomam. 3. *Diabolus est superatus,* secundum s. Augustinum. 4. *Mundus renovatus,* secundum b. Hieronymum. 5. *Infernus evacuatus,* secundum Basilium. 6. *Peccata remissa,* secundum

Gregorium. 7. *Virtutes reparatae*, secundum Remigium. 8. *Sapientia mundo praestita*, secundum Fulgentium. 9. *Infirmi sunt sanati*, secundum Damascenum. 10. *Mortui sunt suscitati*, secundum Didimum. Quid amplius? 11. Sane per hoc Psalterium, quod dicitur quasi Salutarium a Salutatione, *salus aeterna est mundo condonata*, juxta Nazianzenum. 12. *Coelestia reparata*, juxta Gregorium. 13. *Trinitas Beatissima placata*, juxta Ambrosium. 14. *Imo captivi sunt liberati, et servi redempti*, secundum Orosium. 15. *Sedentes in tenebris, et umbra mortis, viderunt lucem humanae salutis, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* juxta Joannem, et Chrysostomum. 16. *Exules quoque, et pauperes reducti sunt in Regnum proprium, et Paradisium deliciarum*, secundum Haymonem. Quid ulterius? Dico quod omnes mundi creaturae simul sumptae nequeunt compraeendere sufficienter Salutationis Angelicae laudes inenarrabiles. Solus ipse potest, qui solus per hanc est natus de Intemerata Virgine semper Maria. O igitur omnes *laudate Deum in Psalterio*, idest, in *Pater noster*, et *Ave Maria*, secundum numerum Psalmorum Davidicorum, quia haec Cantica Canticorum Novi Testamenti. Sicut fecit quidam Religiosus nuper, ut sequitur.

HISTORIA.

Cum quidam Religiosus Spiritu Sancto inspirante diu Psalterium Mariae Virg. orasset, et flagellis, ac virgis se acriter disciplinaret, die quadam instantissime coepit Mariam Virg. rogare, ut sibi dignaretur viam o tendere, per quam omnes homines ad eam, et filium suum possent cito, et feliciter inter tot mala, et adversa, in quibus nunc totus mundus immersus est, pervenire: Cui sic ferventissime oranti apparuit B. Virgo Maria peccatorum advocata, et dixit ei: Haec est castissime Sponse vera salutis via omni specie lapidum pretiosorum fundata, omni specie florum decorata, et omni specie Stellarum seminata, videlicet: quotidie, vel pluries filio meo, et mihi Psalterium meum offerre, vespere, mone, et meridie, ut quindecim *Pater noster*, et totidem *Ave Maria*, addendo horum **cu**di**bet** decem *Ave Maria* sic erunt in toto 150. *Ave Maria*, sicut sunt in Psalterio 150. Psalmi, in quibus *Pater noster*, et *Ave Maria* sunt figurata, et implicite contenta. Et cum quaesisset, quare in tali numero sibi magis placebat? Plures ai rationes pulcherrimas assignabat alibi positas. Dixit igitur: Haec est vera salutis via, quam ob dilectionis meritum tibi ostendi, per quam possunt omnes venire ad me in gratiarum benedictionem, si dicatur cum disciplina centum, et quinquaginta ictuum, **((p.260))** cum virga, aut per compressionem, vel punctionem **earnis**, in foemore, in manibus, in cruribus, in pectore, sive alibi. Quae disciplina punctionum est Regia disciplina: Nam potest fieri ubique, semper, facillime, secretissime, et pro omni bono faciendo, et omni malo fugiendo. Nam sicut cuidam hesternis temporibus revelavi famulo meo, qui quondam flagellis se acriter disciplinare solebat, sed tandem cum locus suus esset in medio Fratrum multorum sui Ordinis, et prae verecundia flagellis semper sonantibus, se cedere non auderet, ob hoc tentationibus, Carnis, Diaboli, et Mundi, adeo ut pene in omnibus deficiens prope, heu, desperaret, dignata sum ego Mater misericordiae ipsi apparere. Cumque trepidaret, ipsi ajo: Non dubites fili, nam ego sum Mater Dei. Ac ille inquit: Si Mater Dei estis, supplico propter merita vestra. Filiq. vestri, ac totius Ecclesiae militantis, ut liberare me dignemini ab istis tentationibus, per omnia mihi importabilibus, et damnabilibus. Ad quem ego: Haec, inquam, o fili tibi contigerunt, quia arma tua projecisti, et mundum rapidis hostibus stultius te exposuisti. Arma dimisisti, filiam justitiae, sororem Religionis, amicam poenitentiae, Dominam humilitatis, Ducissam fortitudinis, Magistram Castitatis, fabricatricem devotionis, Amicam Sanctorum, nutricem omnium honorum, medicamq. omnium malorum, Domicellam meam carissimam, et devotorum mihi sponsam, videlicet, disciplinam quam abire, deficere, et turpiter perire permisisti. Quot enim ictus tibi dabas, tot muros ferreos tentationibus objiciebas: quot verbera suspiciebas, tot scuta coelica, contra Daemonum tela opponebas. Quos ulterius ictus tibi conferebas, tot Arma Angelica recipiebas, tot turre aureas, et castra argentea tibi fabricabaris. Quot ictus recipiebas, a tot ictibus poenarum viventes, et defunctos liberabas, tot gaudia mihi, omnibusque Sanctis, et Angelis generabas, totq. tristitias ad te deponebas, totidemq. carnis spurcitas, ac tot mentis inconcupiscentias a te depellebas, quinimo tot tristitiis, ac vinculis, atque carceribus Daemonia cuncta afficiebas, vinculabas, et incarcerabas. At ille ait: O Domina mea, jam pro certo, per omnia verissimum esse, comperi, quod narrastis. Nam cum dudum infinitis peccatis, etiam gravissimis, repletus essem, et horribilissimis, ut jam nullo modo a peccatis abstinere possem, post hujusmodi disciplinas mox statim supra meam spem, et omnium meorum Confessorum resurrexi, et mox omnes alios, etiam devotissimos in oratione, vigiliis abstinentis, jejuniis caeterisque exercitiis devotionis superavi adeo ut maximum videretur mihi martyrium sufferre potuisse. Ob hoc funibus cordis, et flagellis durissimis saepius corpus meum cruentabam, maximo cum fervore, et potestate. Sed quando disciplinas hujusmodi dimisi omnia etiam facillima, fuerunt mihi difficillima. Quamvis autem in principio difficile erat minimum ictum recipere, tamen paulo post **((p.261))** facillimum fuit etiam horrendas suscipere percussuras, imo etiam gaudiosum, adeo ut quandoque quando tristitiis magnis, et tentationibus eram afflicto, per hujusmodi disciplinas redderem me laetum prae omnibus aliis, fortemq. contra peccati temperamenta, sic ut maluissem

pati omnia mundana supplicia, quam unum solum peccatum mortale committere ex certa scientia. Sed heu, me miserum, de omni bono spirituali nauseam nunc habeo, et toedium, et omni malo praessus sum, et immersus in profundum. Verumtamen o Regina misericordiae super hoc misero mihi indulge, quia ut melius nosti, verecundia has dimisi, et pudore. Cui illi: Fili da mihi manum tuam. Qua humiliter oblata, apprehendit dexteram, generalissimam, et fructuosissimam, sicq. digitis suis pellem manus suae, ictibus pancis coepit comprimere loquensque ei, dixit: sentisne fili a me istas puncturas? Tunc ille clamans prae dolore: oh oh oh Domina, inquit, et sentio, et scio quod secretius, et humilius me isto possum cruciari modo quam flagellis multis. Et ego ad eum: Redi ergo, ad priora, et contra omnia mala, et tui, et tuorum, et pro te, et pro tuis, hanc facito poenitentiam secundum Psalterium, ut ad minus quinquaginta suscipias puncturas de sero ante lectum, post matutinas totidem, et in die etiam totidem. Sicque disparni. Et ille, ut docuit, fecit, et nunc facit, et ad priora, imo etiam ad multo majora sanctiora devenit. Sponsus: O Domina supplico, quatenus brevi compendio intimeris, quid vobis sit faciendum, a cunctis peccatoribus pauperulis? Maria respondit: Audi Augustin. discipulum meum loquentem: Inquit enim: Si volumus Jesu Christe, et Mariae ejus dulcissimae summe placere, totum nostrum ejus Matri dulcissimae summe placere, totum nostrum ejus offeremus corpus, et animam, interiora, et exteriora. Propterea parum placent Deo oracula, quae sunt sine poenitentia, nec poenitentia placet, sine corporis poena, simulque disciplina. Haec ille in quodam sermone de me.

EXEMPLUM XVII.

Schemata Psalterii, ejus meritum designantia in coelis.

Sponsus novellus Gloriosissimae Virginis Mariae fuit aliquando raptus in spiritu, postquam diu Psalterium Virginis Mariae oraverat: in quo raptu vidit sibi assistentem Beatissimam Virginem Mariam totius mundi Reginam, quae sic eum allocuta est; *Cur, inquit, more solito non deservis mihi in Psalterio meo? Recte incepisti sed accidia multum tepescis, cum deberes de die in diem proficere orando. Et ne modicam putes mercedem esse, quam tibi dabo si fideliter mihi in Psalterio meo servieris, ultra eam, quam accepisti: veni mecum, gloriam enim, et excellentiam tibi manifestabo ampliolem.* Sic itaque Maria Virgine ducente ad coelestia pervenit Palatia. Ubi primo vidit Civitatem in gloria inenarrabilem, ex argento, auro, et crystallo ac margaritis (((p.262))) miro modo compositam. In cujus muro altissimo erant 150. turree gloriae ineffabilis, in quibus Angelorum erant excubiae, et Epithalamium coeleste scilicet *Ave Maria* concinnebant in immensum dulcius super omnem mundi harmoniam. Postmodum infra Civitatem erat Castrum infinitae gloriae, magnitudinis, et altitudinis immensae, ex omni lapide pretioso confectum, in quo erant 150, propugnacula pulcherrima, in modum turrium. Ibi erant Patriarchae, Prophetae, ibi etiam Apostoli, Martyres, Confessores, ac Virgines gaudentes inenarrabili laetitia. Atque infra hoc Castrum Hortus fuit Paradisi amoenissimus 150. habens distinctiones. Ibi erant lilia, ibi rosae, ibi flores, ibi arbores, ibi universi fructus desiderabiles, odorque superans omnem hic desiderabilem fragrantiam. Atq. in illis arboribus erant aviculae ex omni specie, quae omnes concinnebant Psalterium Virg. Mariae, dicendo *Pater noster, Ave Maria*, cum tanta suavitate, ut haec melodia putisset omnem mundi fugare miseriam. Quid amplius? In hujus paradisi medio Palatium fuit Imperiale Trinitatis, ex stellis radiosissimis miro modo fabricatum; ibiq. erant 150. thalami, cum totidem admirandis tabernaculis, in quibus Virginum, et Sanctorum inenarrabilis aderat multitudo, qui assidue decantabant salutare Angelicum, cum gaudio inaestimabili, et inenarrabili. Aderantq. Angeli in Psalteriis suavissime sonantes, totusque mundus resonabat in vocibus eorum. In medio autem Palatii fuit Tribunal, sive Thronus infinitae gloriae, ubi residebat ille Sponsus animarum. Dominus Jesus Christus. Qui Matri, et Virgini advenienti assurgens, eam considerare secum fecit. Tunc illa virginea voce ait illi: *O Fili dulcissime, quae Sponso meo promisi, placent quaeso tuae pietati cofirmare.* Tunc ille ait: *Mater, et Sponsa Carissima, quae postulas, impetrasti, voluntas tua fiat.* Tunc subridens, Maria ait: *Ego promisi Sponso meo totam hanc Civitatem cum omnibus habitantibus in ea, et simile sponpondi cunctis servientibus mihi in Psalterio meo.* Tunc piissimus Sponsus Jesus Christus ait: *Et ego o Sponsa Carissima, tui amore me eis cum omnibus postulatis in aeternum condono, si perseveraverint in Psalterio nostro, ut de his omnibus suam faciant voluntatem.* Et tunc videbatur praefato Sponso, quod Maria Virg. Apprehendente manum ejus, ducebatur ad amplexus dulcissimi Jesu, bibitique de omnibus vulneribus ejus ambrosiam aeternorum gaudiorum; secreta Dei ibi cognovit admirabilissima. Aitq. ei Dominus Jesus Christus: *Adde, et fortuis orare memento, et attentius si Civitatem tuam volueri facere ampliolem, et sunviorem.* Sic volens, nolens coelestia

dimisit, et in terra se tristem reperit, de tantae gloriae dimissione. Ut ergo resolvantur dubia torpentia excitentur coelestia acquirantur Palatia, nos more solito salutemus Mariam, et Filium suam in eorum Psalterio, dicentes semper mente serena: *Ave Maria gratia plena*, etc.

((p.263))

MIRACULA BREVISSIMA

Moderna circa Orationem Dominicam.

PRAEFATIO.

Quemadmodum leges, et ordinationes Sanctorum abierunt in sui oblivionem; sic fidelium negligentia, et mundi tanta Psalterii Mariae Virginis indigne sepelivit bona, quod non feferns pia Dei Genitrix, haec reformari nostris temporibus saepius praecepit, multis cum signis, et prodigiis dicens suo novello Sponso. Sicut mundus per *Ave Maria* fuit renovatus, infernus evacuatus, coelum reparatum, sic et novissimis his temporibus pessimis tali suffragio, ipsa eadem piissima Dei Genitrix Maria mundum iterum ad sanctas Dei leges reformare intendit. Addens plurima se gratiarum genera collaturam his, qui Psalterii hujus cultores erunt, et praedicatores. Qui vero ejus erunt depravatores, aut impugnatores, non dubitent, quia contra se provocent reginam misericordiae, quod saepius jam heu! Expertus sum. Nam omnes pene tales hoc impediunt, aut corruerunt in maximum peccatum, aut scandalum, vel gravissimum damnum, aut in mortem pessimam. Quapropter vos universi fideles Domini nostri Jesu Christi, et Mariae Virginis filii; attendite quaero fidem vestram: considerare mortem vestram certam, et horam incertam, temporaque in praesenti periculosissima, nec non et futura supplicia aeterna. Pro quibus honnis acquirendis, et malis fugiendis accipite, et orate Psalterium Virg. Mariae, laudando s. Trinitatem semel ad minus in die in hoc beatissimo Psalterio. Ad quod et si non moveant praedicta, saltem moderna provocent exempla. Nec enim dicere ausi essemus, nisi certificati indubie poenitus fuissetis. Tanquam enim Doctor veritatis loquor, pro Divina veritate, pro naturali, pro motibus quoque, ac pro totius militantis Ecclesiae universali salute.

NARRATIO.

Agnovi in Waldenshsen quendam, qui homagium Diabolo fecerat, Christo et Baptismo negato, sed miro modo per Psalterium hoc acceptum, filiationem recuperavit divinalem: quia *Pater noster* orabat, inde etiam postmodum promeruit, ut Pater esset multorum aliorum Deo servire volentium.

Vidi etiam morti quasi condemnatos in pestilentia, hoc salutari antidoto a morte vidi esse ereptos, quia *Qui es* in psalterio repetebant.

Consequenter perpendi propriis oculis, aliquos religiosos omni vanitati deditos, qui salubri hac medicina prorsus coelestiales sunt effecti, quia *In Coelis*.

Deinde meretrices, et usurarios per hoc castimoniae vinculum saepius pendit de novo esse sanctificatos: quia *Sanctificetur*.

Exinde blasphemus, et omni malignitate plenus, incorrigibilisque ((p.264)) per hoc fidei oraculum, scio perductos ad ommimodam neminis Dei reverentiam: quia *Nomen tuum*.

Fuit etiam quidam Rex privatus suo Regno proprio, tempore nostro, qui per hoc psalterium acceptum proprium recipit regnum: quia *Adveniat Regnum tuum*.

Gaudium habui aliquando summum, quia perpendi quosdam Apostatas a Religione, et a sancta dei Ecclesia apud Infideles metu poenarum conversantes: sed gaudio hoc suffragio, sic ad Divinam redierunt voluntatem, ut martyrium fortissime pertulerint. Inter quos quidam Antonius fuit de ordine Fratrum Praedicatorum temporibus nostris, quia *Fiat voluntas tua*.

Habui prodigium insigne per hoc oraculum salutare in clara experientia, quod in quibusdam terris, ubi fuit aurae permaxima intemperies nociva supra modum hominibus, atque omnibus, sed praedicato hoc coelesti suffragio, optata cunctis redit serenitas, quia *Sicut in coelo*.

Inde experimento probavi sterilitatem in quibusdam terris, et pestiferam cladem horribilissime grassantem, sed stella hac adveniente amanda sc. psalterio B. V. Mariae terrigenis, terrisque illorum est benedictio collocata, quia *Et in terra*.

Pretiosissimam Eucharistiam, novi multos, prae peccatorum suorum pondere habere in nausea, et in irreverentia, sed habito hoc remedio devotionis, in toto singularem in tam mirabili Sacramento suavitatem, adeo ut saepius vellent communicare, eo quod ibi videbant sensibilissime ingentia opera Dei. Cujus clementia divinitus illustrati, Christum Jesum ibidem sensibiliter intuebantur, quia *Panem nostrum quotidianum*.

Laeta etiam mente aliquoties perpendi, quosdam immisericordes, et feroces tanquam Leones, ut in quodam milite, quem non novi nomine, sed fama, qui acceptis armis psalterii hujus, sic dabat, et abundanter erogabat, ut datores omnes clementia in terris illis superabat, quia *Da nobis hodie*.

Miro modo virum cognovi, qui in tantam corrui desperationis voraginem, ut nemo, agnoscens eum posset aliquid de ejus salute sperare, sed accepto hujus psalterii spei bravio, in spe superabat, et opere multos etiam devotissimos, quem agnovi, quia *Et dimitte nobis debita nostra*.

Novi etiam praepotentem in mundo Baronem, et Comitem qui immortale odium gerebat, contra similem sibi in potentia Principem, et propterea mala contigere innumerabilia, sed accepto pacis oraculo, pax tanta est confirmata inter eos, ut hi duo putarentur, tanquam avunculus, et amicus, qui *Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*.

Oculis etiam propriis vidi quendam a Diabolo possessum, sed cum portabat onus Psalterii hujus Evangelicum, continuo liberabatur: cum autem illud dimittebat, statim ab inimico vexabatur, et similia plurima saepius vidi, et audivi, quia *Et ne nos inducas in tentationem*.

((p.265)) Praeterea conspexi viros, et mulieres, qui mihi dixerunt defunctos sibi apparuisse, sub verissimis fidei indiciis tanquam cruce signatos, qui dicebant quod cito essent liberati a poenis, quia pro eis psalteria haec dicebantur a quibusdam devotis mulieribus, religiosisque viris, quia *Sed libera nos a malo*. Amen.

Haec idcirco dixerim XV. Exempla super Dominicam orationem, quoniam si verba Sanctorum, et Doctorum, ac Praedicatorum, et consilia dantium maximae sunt efficaciae in quamplurimis, nulli dubium, quin per verba Dominicae orationis, aequalia possunt fieri, et majora. Quodlibet autem XV. Horum verborum, ordinatur ad decem Dei mandata sanctus Psalterii Trinitatis sanctissimae habeatur.

Et pari modo quindecim verba sequentia Annunciationis Dominicae ordinantur, jure naturali, et divino ad Christi Decem Mandata, quindecies autem decem sunt centum quinquaginta. Ex quo patet, quod duae hae orationes duo devotissima in numero, et virtute includunt psalteria, ut merito sint psalteria nuncupanda.

EXEMPLA QUINDECIM

Brevissima, circa Ave Maria.

Virginis quoque Mariae Epithalamium (ipsa Regina Clementiae cooperante) signis plurimis nedum antiquis, verum etiam novis est supra modum magnificatum. Nec immerito, cum ex tali exordio sit verbum Dei factum Caro.

Aspexi aliquoties quadam in Ecclesia peccatores hoc suluberrimo antidoto, talem habuisse contritionem, tantamque lacrymarum copiam, ut non fuerit dubium quin Maria apparuerit ibi, et manum apposuerit; quia *Ave*.

Beata etiam Maria cuidam indocto tali libro scientiarum copiam contulit, et sapientiam, et intelligentiam, ut putares eum in Scholis esse peritissimum, quia *Maria*, quasi illuminatrix.

Clarissima etiam hujus mundi Advocata Maria cuidam adhuc viventi, contulit pro gratiarum munere omni die sentire in se aliquod gaudium paradisi, excedens omne gaudium mundi: quia *Gratia*.

Dulcissima haec Angelorum Regina, cuidam Matronae valde miserabili, et egenti, temporibus nostris in Francia, divitiarum maximam copiam contulit, in tantum, ut postmodum esset Mater et nutrix cunctorum pauperum, quia *Plena*.

Emerita Maria Psalterii hujus medio his in diebus captivos plurimos, de carcere liberavit, quando votum fecerunt Psalterii: quia *Dominus*.

Felicissima praeterea Maria Psalterii istius virtute, quendam delirum, et rabidum in tantum, ut alius laniaret, per appositionem Psalterii in ipsius collo mox liberavit, et tanquam **((p.266))** agnum mansuetum effecit, in Picardia, me presente: quia *Tecum*.

Gloriosa rursus Maria Psalterii hujus medio cuidam non loquenti per tempora multa, reddidit loquelam. Cum enim psalterium oscularetur, et collo suo aptaretur, mox perfectum suscepit linguae beneficium: quia *Benedicta*, quasi benedicens, et loquens.

Honorabilissima ulterius hujus mundi Imperatrix cuidam coeco ab annis multis ipsius psalterii remedio, subvenit perfectum illi restituendo visum: quia *Tu*, quod est demonstrativum, et relativum, secundum Priscianum.

Immensae etiam pietatis haec Maria cuidam in Francia ad mortem condemnato, inauditam per psalterii hujusvotum praestitit clementiam. Nam ille carceres, et vincula talia confregit, quae vix Fabri frangere possent multis diebus, et sic evasit. Quinimo, et alium patibulo affixum, hujus psalterii voto Maria liberavit. Mox enim post votum de patibulo saltavit, et per medium stipatorum sic concurrit, quousque libertatem in quadam Ecclesia acceperit: quia *In Mulieribus*, quae sunt naturaliter piae, secund. Augustin. Carissima amplius haec Domina, his in diebus cuidam pauperulae psalterii voto se astringenti in judico contra ditissimos sententiam optimam concessit, nolente Judice. Tribus enim vicibus cum se Judex aestimaret contra eam proferre sententiam, pro muliere causam approbavit per omnia, quia *Et Benedictus*, Christus enim, secund. Aug. est benedictus Judex omnium.

Laudabilissima haec Maria psalterii hujus fructificatione cuidam mulieri sterili praestitit filium, qui postea moriens, Mariae meritis iterum rediit ad vitam, quem et vidi in partibus Hollandiae: quia *Fructus*.

Misericordiae consequenter Regina hujus psalterii virtute cuidam meretrici tantam contulit gratiam, ut nunc in Picardia stans, semper cum cilicio, et catena ferrea ad corpus, et supra terram dormiens, jejunando in pane, et aqua, horrendissimam cunctis faciat poenitentiam, quae et Spiritum prophetiae, et Sanctorum consiliorum in multis dignoscitur habere, quia *Ventris*. Venter enim Mariae, secundum Ambros. est templum totius continentiae.

Nobilissima similiter haec Maria temporibus novissimis istius psalterii potestate, cuidam abjecto, et spreto ad homibus potentiam, super omnes, tantam praestitit, inimicos, ut ad suam voluntatem, viverent, aut morerentur, qui *Tui*. Qui enim est Mariae, teste Anselmo, de Mariae participabit possessiva potestate.

Hujus virtute concessit dudum s. Catharinae virg. et martyri, Sponsam esse filii Dei. Et eidem, eadem piissima s. Catharinae Senensi Ordinis Praedicatorum, innumeris cum signis, et prodigiis, concessit, quia *Jesus*, qui est Sponsus animarum, secund. August.

Piissima demum haec Clementiae Regina, alteri cuidam morienti, istis temporibus apparuit, qui hoc psalterium orabat, quae Doemonia ab eo fugavit, supra modum laetificando eum, et horam mortis eidem **((p.267))** denunciando. Qui cum devotione tanta obiit, ut non sciam me audivisse, aut vidisse, de tam devote morienti nostris in temporibus. Ipse enim tanquam securus Doemonia videbat, et eorum parvipendes tentamenta doctus e celo irridebat. Sicque videns Christum advenientem libera voce dicit: *In manus tuas commendo Spiritum meum*; et hoc dicto quasi ridens exspiravit, quia *Christus*, secundum Hieronymum habet dare unctiones Sacramentorum atque bene vivendi, et morrendi potestatem. His cognitis laudate Mariam in suo psalterio, etc.

EXEMPLUM XVIII.

De Petro Barone.

Erat quidam Baro nomine Petrus B. Dominici consanguineus, et cunctorum excellentissimus patrator flagiotiorum, et ita obstinatus in aviditate peccandi, ut omnino converti non posse videretur. In cujus praesentia dum plura de laudibus, et virtute psalterii B. V. Mariae, ejusdemq. Confratriae, a quam pluribus recitarentur, sic ait: *Ecce jam desperaveram, sed tanta a viro Dei audire volo mirifica*. Itaque Nobilium comitatus caterva ad Ecclesiam properat, non pro sua conversione, sed tantum pro spectanda viri sancti novitate. Cujus dum praedicationem audivisset, nondum conversus, sed timore vehementi agitatus ad propriam domum rediit. Altera sequitur festiva dies, in qua Ecclesiam iterum intrare pro consuetudine cogitur, et nescius Dominicum iterum reperit praedicantem. Quem cum Dominicum esset intuitus, sciretque eum tantis sceleribus obnoxium, ut converti non possit, nisi exterior confusio adjuvaret, oravit Deus magis voce: *O Domine Jesu, videant isti, si placet tibi, qualis est iste, qui intrat ibi*. Et subito Deo volente, viderunt hunc Baronem a Doemonibus ligatum, et tractatum horrendissime. Clamor oritur in sermone, abscondunt se videntes non hominem, sed Diabolum se videre aestimantes. Cumque in populo clamor, et timor invalesceret, agnoscens Dominicus horam divinae clementiae, ad hunc Baronem misit psalterium B. M. Virg. Pulcherrimum, sive Patroloquium, per quendam Religiosum nomine Bertrandum exhortans eum ad poenitentiam, nec non ad legendum hujusmodi Mariae psalterium. Accepit iste Baro peccatorum Capitaneus omnium, ipsumque devote legit psalterium. Sed supra modum timens, petit a s. Dominico, pro se fieri preces apud Dominum. Deinde sibi confiteri petit, auditur, et absolvitur. Primo, a plurimis sententiis excommunicationis majoris gravibus cum disciplinis ut moris est. Secundo, ab irregularitatibus quasi innumeris. Et tertio, ab omnibus peccatis. Et ex revelatione B. Mariae facta Dominico, imponitur ei ab eodem pro poenitentia, ut in dies legat unum Mariae psalterium. Quod cum humiliter acceptasset, et Confratriam psalterii V. Mariae, jussu Dominici assumpsisset, proprium nomen libro hujusmodi Fraternalitatis, **((p.268))** propria manu inscribendo dedit, et subito illi, qui viderunt illum facie Diabolica, cernebant nunc divino nutu, aspectum Angelicum, tribus sertis Rosarum pulcherrimis adornatum, propter tres psalterii quinquagenas. Successu vero temporis meritis Gloriosiss. V. Mariae, consecutus est gratiam, ut devotissimus efficeretur. Tandem in cunctis agendis bene illuminatus, ac prospere agens, postquam uxorem, et totam familiam induxisset ad frequentationem, et assiduitatem praedicti psalterii una cum illis perseverando hoc Sancto in proposito, praenunciationem obitus sui, et suorum, a Maria Vergine obtinuit. Et apparentibus sibi Christo, et Maria Virgine, promeruit hic peccator poenitens, per idem psalterium, inter manus ejusdem Christi, et Mariae Spiritum, tradere, non sine multorum qui astabant singulari devotione, ex praesentia Domini Jesu, et Virg. Mariae.

EXEMPLUM XIX.

Quidam Franciae Comes flagitiosus conversus virtute Psalterii Virginis Mariae.

Comes quidam maximus fuit in Francia, qui totam vitam in adulteriis, et fornicationibus ducens, ita in his obstinatus erat, ut nec sermonibus, nec consiliis, nec exemplis ullo modo converti valeret. Quod videns uxor ejus Nobilissima (zelotipiae agitata ardore) deliberavit etiam adulterari, nedum propter libidinem, sed etiam in adulteri vindictam mariti. Res stupenda! Ubi haec animo firmavit, et cubile intravit somni gratia, inter dormiendum subito rapta est in visione et ecce ostenduntur ei horribilissima tormenta, quibus in Inferno puniuntur adulteri post hanc vitam. Unde tanto horrore concussa est, ut pene amens efficeretur, frequenterque clamaret dicens: *Ibi est fornax, volens huc intrare, claudite domum.* Tandem ad se reversa, mutavit propositum, et pro facienda confessione, ad s. Dominicum devotius properavit. Cui compatiens idem Dominicus, pro poenitentia Psalterium Mariae Virginis injunxit. Quod dum una cum Confratria devote acceptasset, et Psalterium ipsum per quindecim dies orasset, consilio B. Dominici (qui dicti etiam mariti salutem zelabat) sub cervicali ejusdem mariti Psalterium, sive Patiloquium ipsum, tribus noctibus continue posuit, committens negotium Domino Jesu Christo, et Reginae continentiae, et Virginitatis Mariae. Et ecce prima nocte horrendissimis tremoribus offensae Dei agitari coepit, ab uxore quoque magnis cum lacrymis auxilium petere. Secunda nocte videbatur sibi in somniis, quod ad Dei judicium traheretur, et de omnibus peccatis suis accusaretur. De quo cum evigilasset, usque ad mortem territus fuit, coepitque uxorem in reverentia, et amore habere. Tertia vero nocte trahitur ad poenas inferni, et poenas fornicantium intuetur, easdem scilicet quas prius viderat sua conthoralis, nec solum intuetur, sed et illas parumper experitur. **(((p.269)))** Venit igitur ad illum Angelus Domini, qui eum acriter corripuit, praecipue de adulterio, et inter caetera dixit: *Veni, veni, et in posterum emenda te, ac Psalterium Beatissimae Virg. Mariae, per quod conversus es, fidelius ora, diligeque uxorem, et intra Confratriam ejusdem Psalterii cum omnibus tuis, ut quae per te miseri non vales aliorum meritis accipias.* Rediit igitur homo de inferno, et ab uxore veniam petit, eique perpetuam fidelitatis spondit fidem B. quoque Dominicum adiit cum suis, confitentur omnes, et Confratriae inscribuntur. Ipse vero sic Conversus Psalterium B. V. Mariae manibus suis ubique deferebat, non solum in Ecclesiis, verum etiam in bellis, in domo propria, et in Regali Palatio: omnibusque frequentius ejusdem Psalterii, et Confratriae excellentiam praedicabat. Sicque ex propria uxore multos habuit filios, Deo donante, cum qua diu vixit in prosperitate, sanitate, fama, bonorum omnium opulentia, et sanctitate eximia. Qui tantem Maria Virgine apparente eodem die, eademque hora devotissime obierunt, atque Parisiis in Ecclesia majore (quae in honore ejusdem Inviolatae Virg. Mariae, consecrata est) in uno, eodemque tumultu sunt humati.

EXEMPLUM XX.

De Nobili Prodigio Converso.

Juvenis quidam in Germaniae partibus, mortuis parentibus, malorum consortio depravatus haereditatem praeclaram in ludo, in tessaris, et tabernis totam dissipavit; hic postea vagabundus, et miser per patriam ferebatur. Qui etsi alias stultus, castitatem tamen corporis conservavit. Cujus quidam miles, patruus ejus, non modicum misertus, obviamque eum quadam die habens alloquitur dicens: Male tibi competit, Consobrine carissime, taliter, aberrare, qui clarus genere, in probum virum, et Magistrum evadere potuisses, nisi te talis insania rapuisset. Cujus verba cum quasi muliebria juvenis derideret, subjunxit Miles: est ne aliquid dilecte mi, quod in gratiam mei tu facere auderes? At ille. Est inquit utique. Et Miles. Volo ergo ut gloriosam Dei Genitricem Mariam salutes Salutatione Angelica quinquaginta vicibus omni die. Cui cum cachinnando responderet: utinam hoc semel queo, omni die dicerem. Patruum institit dicens: hoc facere modis omnibus oportebit, si forte oculis misericordiae te Virgo Gloriosa respiciat, et pro tua miseria Filium suum interpellat. Ad cujus verba Juvenis annuit, et recessit. Inde post annum contigit Patruum videre Juvenem quem, si promissum servasset, interrogat. Et ille, servavi, inquit et nollem ullatenus non servasse. Remissius enim est mihi quam ante erga mundana. Cui Patruus (qui et ipse Virgini Gloriosae in suo psalterio semper devote famulabatur) cum ingenti gaudio dixit: ergo et sic sequenti anno servitium Matri Christi in Salutationibus duplicabis. Et Juvenis: fiat inquit. Exacto **(((p.270)))** autem secundo anno, reversus est ad Patruum, dicens: Jam suffragante Matre Christi, omnis vecordia, miseriaeque mei status evanuerunt, et firmo

benefaciendi proposito voluntatis meae constantia stabilitur. Cui Patruus devotissimus V. Mariae psaltes, cum lacrymis dixit: Benedixit pietatis Mater, et tibi quoque carissime gratias refero, qui salubri consilio credidisti. Nihil ergo restat, nisi ut anno praesenti, propositum tuum fixum experiar. Et si dignum invenero, condignas tibi nuptias praeparabo. Tu autem medio tempore auxiliatricem tuam in salutationibus ternae quinquagenae sedulus honorato. Consentit Juvenis, et stabilis inventus est. Evoluto anno fecit Patruus, quod promiserat Juveni. Constituit nuptias, et instaurato convivio, ex utraque parte convenerunt parentelae. Positis quoque mensis, et lotis manibus cum jam Sponsus, et Sponsa commesturi, pariter consedissent, ex inopinato memor Sponsus, nondum Salutationes trium Quinguagenarum, se illa die, more solito dixisse, repente surgens, susurrans Patruo, ut paululum induciaret fercula ministrando. Quo annuente. Juvenis solus intrat thalamum, solvit Matri Christi, quod voverat tanto devotius, quanto clementius se probaverat exuuditem. Nec mora, uti ultimam Salutationem tertiae quinquagenae jam complevit, apparuit ei Gloriosa Virgo Maria, lucidior super Solem, tres plicas in tunica sua clarissima Juveni unam anteriorem, et duas laterales, ostendens, in quarum qualibet erant scriptae quinquaginta Salutationes, litteris aureis. Ecce, inquit, Salutationes tuae litteris aureis scriptae, quibus me tribus quinquagenis sedulus honorasti. Et quia corpore tuo, licet vanus, et vagus, tamen virginitatis, munditiam, servasti, mox te lenta febris corripiet, et ad me tertia die, sine ulla carnis corruptione pervenies. Hoc dicto Virgo Gloriosa disparuit. Juvenis antem egressus, hortabatur omnes laetari, et gaudere, se vere ab appetitu comedendi destitutum ad praesens, cum eis esse non posse excusat. Singulis quoque ad mensam sedentibus, Juvenis interim lectum ascendit. Et facto prandio Sponsam suam, et amicos in thalamum convocavit, et eis quid sibi contigerat indicavit. Mortuus est autem Juvenis die tertia, ut praedixit. Sponsa vero ejus, nulli postmodum nubere volens, in sancta virginitate, atque in servitio Virg. Mariae usque ad finem vitae feliciter permansit.

EXEMPLUM XXI.

Psalterium servat Piratam a familiari spiritu.

Miles quidam habens Castrum, omnes praetereuntes sine misericordia spoliabat. Licet autem cunctis abundaret peccatis, Gloriosam tamen Virg. Mariam quotidie in sua Salutatione Angelica honorabat. Quadam vice sanctus quidam Monachus pertransiit, quem praedictus miles spoliari praecepit. Vir autem sanctus rogavit praedones, ut ipsum ad suum Dominum deducerent, quia haberet **((p.271))** ei aliqua secreta revelanda. Adductus autem ad militem, rogavit, ut totam familiam suam convocaret, et eum praedicantem audiret. Quod cum factum esset, dixit. *Nequaquam hic estis omnes, ergo diligenter quaerite, et invenietis adhuc aliquem.* Et invenerunt Camerarium Militis abesse, et adduxerunt eum. Tunc dixit Sanctus: *Vere ille est, quem quaero.* Cum ergo venisset ad medium, et videret virum Dei, volutatis hinc inde oculis, et capite, sicut insanus, se agitabat, et accedere propius non audebat. Tunc vir sanctus dixit. *Adjuro te in nomine Dei Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, ut qui sis, dicas, et quare huc veneris.* Cui ille *Heu! Cogor prodere secretum meum. Ego non sum homo, sed sum Diabolus. Et quatuordecim annis cum illo Milite habitavi, quia Princeps noster me huc misit, ut die qua miser suae Mariae solitum non offeret honorem, in sua Salutatione, diligentius observarem, eumque a Deo potestate accepta continuo strangularem, et sic nostro consortio perpetuo sociaretur.* His dictis Diabolus evanuit. Miles autem haec audiens expavit, et ad pedes Monachi provolutus, veniam petiit, et vitam suam in melius commutavit, devotiusq. quam ante Gloriosam Virginem salutavit. Quapropter universi, ut ab insidiis doemonum, per Virginem Mariam liberemini, in psalterio suo eam quotidie honorate.

EXEMPLUM XXII.

De F. Converso; solum Ave orante.

N. Et haec Transcriptoris solius insertura est. Non Alani relatae, nam profiteri hic assolet. Legi, et stylus reclamatur.

Tempore s. Bernardi, venit quidam devotus miles, devotionis gratia, ad s. Bernardum, petens humiliter se recipi ad Fratrum Congregationem. Quem statim B. P. Bernardus gaudenter suscepit, atque habitum Fratrum Laicorum eidem tradidit. Qui aliam orationem in Monasterio discere non potuit, quam Salutationem Angelicam, quam etiam frequenter cum mira devotione ruminabat. Videns autem B. Bernardus hominis simplicitatem, et bonam conversationem, quamvis esset illiteratus, in choro tamen Monachorum Sacerdotum more eum stare fecit. Qui bonus homo, Virginem Gloriosam sincero amore diligebat, atque ei devotissime in sua Salutatione serviebat. Tandem vocante Domino, diem clausit extremum, atque ad gaudia aeterna feliciter pervenit. Sepultusque est in Coemeterio, ubi viri Religiosi sepulturam accipiebant. Post paucos autem dies super sulchrum ejus, excrevit quoddam liliu pulcherrimum, et in quolibet lili folio erat scriptum litteris aureis: *Ave Maria*: Sanctus autem Bernardus praecepit ejici terram, ut viderent, ubi suas, liliu haberet fixas radices. Et ejecta, terra, viderunt hastile lili, ex ore defuncti procedere. Tandem jubente sancto viro, insciscus est defunctus, et viderunt lili radices esse in corde fixas. Atque in corde insciso, invenerunt **((p.272))** scriptum in ipse litteris aureis, *Ave Maria*. Quod cum vidissent, admirati sunt universi, intelligentes id ideo accidisse indubie, quia Salutationem Angelicam, et cordiali devotione assidue proferebat.

EXEMPLUM XXIII.

De Principe Alphonsio.

Princeps quidam erat Nobilis, et potens, tantum plenus vitiis, quantum rebus, cujus uxor divino iudicio lumen oculorum amiserat, eo quod virum suum ad mala facienda frequenter instigabat. Sed et propter amborum iniquitates Principes alii terram ipsius invadebant, omnia diripientes, omnia vastantes, ipsumque cum uxore ad quandam civitatem alienam fugere compellentes. Accidit autem ut Beatissimus Dominicus, ad hanc Civitatem praedicandi gratia declinaret, qui in die Nativitatis Christi egregium sermonem fecit in Majori Ecclesia de Psalterio Gloriosae Virg. Mariae. Ad hanc etiam Ecclesiam eo die praefatus Princeps nomine Alphonsius, venit, tum propter solemnitatem diei, tum ad vitandum scandalum. Raro enim aut nunquam Ecclesiam frequentabat. Hic audiens in praedicatione Dominici mira de dignitate, et virtute psalterii Virg. Mariae, praesertim, quia quicumque hoc devote peroraret, Dominium, Virgine Maria juvante, et protegente, obtineret super hostes suos: proposuit orare psalterium Virg. Gloriosae. Prandio facto, accersivit Beatum Dominicum et si vera essent, quae de psalterii virtute, praedicaverat, interrogabat. Cui Dominicus: *Omnia, inquit vera sunt, quae de virtute Psalterii Virg. Beatissimae praedicavi. Et tu, si ipsum orare volueris, et Confratram ejusdem Psalterii recipere, polliceor tibi, quod omnia, quae de virtute Psalterii praedicavi, senties, immo majora, quam a me audisti.* Audiens Alphonsius haec, et reddens, spopondit orare Mariae Virginis psalterium, et illius Confratram humiliter recepit. Post hoc Dominicus inde recessit. Et Alphonsius quotidie Ecclesiam frequentabat, suum Psalterium devote persolvens, atque in tali Civitate, et in isto Mariae Virg. servitio, per integrum annum perseverabat. Anno revoluto, eodem die, quo psalterium Mariae, et Confratram ipsius susceperat, in Ecclesia more solito psalterium suum devote complevit, petens misericordiam, et gratiam a Virgine Gloriosa. Finita autem Missa majori, cum omnes ab Ecclesia ad prandium recederent, Alphonsius solus in devotione sua, in Ecclesia permansit. Et ecce apparuit ante eum, Virgo quaedam pulcherrima, tenens in ulnis suis Infantem speciosissimum. Qua visa Alphonsius, obstupuit vehementer. Quae dixit ad Alphonsium: *O Alphonsi, Ecce toto isto anno mihi in Psalterio meo devote servisti, nunc veni tibi dare consolationem pro servitio, quod mihi exhibuisti. Impetravi tibi remissionem omnium peccatorum tuorum a Filio meo, quem cernis in ulnis meis. Insuper habebis omnem gratiam, quam tibi Sponsus meus Dominicus **((p.273))** pollicitus est, immo majorem. Si tamen perseveraveris in servitio meo. Dabo etiam tibi Patriliquium, quod semper tecum deferas: et non praevalerunt adversum te inimici tui;* Deditque ei statim Patriliquium mirae pulchritudinis, et confestim disparuit. Alphonsius tenes psalterium manuale, quod sibi Virgo Maria tradiderat, gaudensq. et stupens rediit ad uxorem suam, narravitque ei omnia quae facta fuerant: quae noluit fidem praestare verbis sui meriti. Ad quam ille: *tange, inquit patriliquium, quod Virgo Maria mihi donavit, quae tangens, statim visum recepit, videns illa tantum miraculum credidit, et*

Virginis Gloriosae psalterium, deinceps devotissime orare coepit. Post hoc Alphonsius exivit contra inimicos suos quos omnes de sua terra ejecit, et omnia ablata recuperavit, ut in brevi nomen ejus longe, lateq. divulgatum sit: adeo ut Principes, et Reges, qui bella gerebant contra Infideles, certarent pro Alphonsio: quia cuicumque adhaesit, victoriam obtinuit. Nullus in bello Alphonsium capere, nullus vulnerare, nullusq. adversus eum praevalere potuit. At semper ante congressum pugnae Virginis Gloriosae psalterium flexis genibus devote dicere consuevit: nec ullum voluit habere servum, qui psalterium Virginis Mariae dicere nollet, omnes quippe servos orare psalterium Mariae Viriginis compellebat. Vidensq. tantam psalterii virtutem, fecit dipingi, et sculpi psalteria manualia in sigillis, in scutis, et vexillis suis. Tandem volens Virgo Maria praestare praemium Alphonsio pro sibi exhibito servitio devoto, Alphonsius aegrotare coepit, hic ille maximam contritionem pro peccatis habuit, et confessionem suam de tota vita fecit: cui quidam Sacerdos nomine Joannes, Ecclesiastica ministrabat Sacramenta. Quae postquam devotissime susceperat, apparuit ibidem Virgo Gloriosa cum Filio suo, qui animam Alphonsi, praedicto Sacerdote vidente, quasi columbam, nive condidiorem susceperunt, et ad coelestia regna perduxerunt. Ad quae et nos suos psaltas eadem Beatissima Angelorum Regina, perducere dignetur. Amen.

FINIS EXEMPLORUM SEXUS VIRILIS.

((p.274))

EXEMPLA

DEVOTI SEXUS

FOEMINEI.

.....

EXEMPLUM I.

De Catherina Pulchra Romana, Prodigium.

PRAEFATIO.

Narravit Gloriosus ille Magister Joannes de Monte in suo Mariali, quod etiam reperi in libro Fr. Thomae de Templo. Tempore quo B. Dominicus Praedicatorum Ordinis Dux, et Pater inclitus, praedicabat in orbe terrarum fimosissimus plurimis in Regnis populos incessanter ad Virginis Inviolatae Mariae laudem hortabatur, et ad Angelicam ipsius psalterii Confratram. Contigit Romae eum praedicare, in totius mundi

majorum Praelatorum audientia: admonitque figuris, et exemplis fortissime, Gloriosam Virginem esse salutandam in ejus psalterio: mirantur omnes de verborum affluentia, stupent de prodigiorum potentia. Quibus ita ait: *O fideles, Domini, coeterique fidelium fidei amatores, audite verbum singulare, vobisq. omnibus salutare, ut sciatis vera esse quae dixi, Accipite psalterium Virg. Mariae, et hoc orando passionem Christi devote recordemini. Ita vobis annuncio, quod Spiritum Dei experiemini. Nec enim stare potest in aliquo loco tanta flamma sine calefactione: nec lux tam immensa, sine illuminatione; nec medicina tam divina sine sanatione.* Quid plura? Audiunt omnes, et mirantur, sermonibus attoniti divinis, concipiuntque multi (ne dum popularium verum, et magnorum Ecclesiae Praelatorum, puta venerandorum Cardinalium, et honorandorum quam plurimi Episcoporum) psalterium hoc praedicatum orare, quatenus possent aliquam Dei gratiam experientia, perpendere. Res mirabilis! Civitate perturbata, facta est orationum varia multiplicatio, statu in omni, prout a s. Dominico fuit auditum. Itaque vidit mane, vespere, et meridie ubique viros et mulieres psalteria manualia deportantes. Nec verebantur columnae mundi Cardinales, et Episcopi, tanta divinitatis in manibus, et zona deferre fidei nostrae insignia orthodoxae. Ex miraculis enim Dominicus perceptis, non dubitabat Virg. Maria operante, sibi in tali exercitio divinum adfore auxilium: quid ultra referam? Omnes qui hoc tenuerunt psalterium, aliquod perpenderunt divinae pietatis indicium: ex quibus omnibus unum narro prodigium.

((p.275))

NARRATIO

Erat Romae meretrix quaedam super omnes famosissima in decore, eloquentia, ornatu, et mundana laetitia: quae ex Dominici manibus sanctissimis meruit habere psalterium, quod sub tunica abscondens, frequentius per diem illud orabat, et heu, nihilominus stupro, et impudicitiae prae omnibus vacabat. Post illam enim plus viri currebant, quam ad quaslibet huscemodi vanitatis mulieres. Perseveravit igitur haec mulier, nomine Catherina cognomento Pulchra, propter incomparabilem venustatem in suo Psalterio, Ecclesiam semel ad minus in die visitans, ubi psalterium suum orans, ista meditabatur. Primam Quinquagenam dicebat, ad Christi infantiam, ubi Christus infantiam, ubi Christus portabat totam futuram passionem, etsi non in executione, tamen in intentione, et mente. Secundam vero Quinquagenam dicebat in Christi passione vere exhibita in sua reali passione secundum humanitatem. Tertiam vero orabat ad Christi passionem secundum Deitatem, non quia Deitas haberet pati secundum seipsam, sed quoniam Deitas est infinita, et tantum amat naturam humanam (prout Dominus Jesus Christus saepius revelavit) ut si mortalis esset, procul dubio moreretur. Ideo quia sapientia Dei aeterna, in se mori non potuit, humanitatem assumpsit, quae pati, et mori, pro toto genere humano voluit. Cum igitur (haec Catherina Pulchra) sic orando perseveraret, contigit aliquando, vagabunda more solito, per Romanam Civitatem discurreret. Et ecce, subito, vir pulcherrimus, et mirabilis ei astans, dixit illi. *Heu, inquit, Catherina, Quid hic stas? Habesne domum?* Cui illa, *Habeo, inquit, et cuncta pulcherrime disposita.* Cui ille; *In hac, inquit tecum volo coenare.* Cui illa: *Libentissime, inquit faciam, et quoecunque volueris, libentius propinabo.* Sic manu ad manum euntes pervenerunt ad ipsius domum, ubi plurimae consimiles invenerunt puellae. Coena paratur, et sedet, hic ignotus hospes, sive potum, sive aliquid simile, mox in sanguineum colorem vertebatur, non sine singulari odore, et sapore suavissimo. Cui illa admirans dixit. *Quid est Domine, aut sum insana, ut cuncta, quae tangitis fiunt sanguinea.* At ille: *Nescis, inquit, quod Christianus, nec bibere, nec manducare aliquid debet, nisi sanguine Christi, fuerit tinctum:* Sicque illa plurimum miratur de tanto hospite, et eum jam tangere veretur. Ait tameo illi: *Domine, ut video, mugnae in vultu estis reverentiae. Quis quaeso estis, et unde venistis?* Cui ille. *Cum erimus in thalamo tibi dicam, quae postulas.* Sicque suspensa thalamum paravit lectum prior intrans ipsa, hospitem ad se introendum invitat. Res cunctis mortalibus stupenda, et inaudita! Subito vir ille puerilem formam induens, gestabat in capite coronam spineam, in humeris crucem, et stigmata in manibus, et pedibus, ac innumera per totum corpus vulnera Aituae Catherinae: O Catherina, Catherina, jam a tua ((p.276)) cessa stultitia, Ecce jam vides passionem Christi Infantiae, pro qua tuam primam orasti Quinquagenam. Quoniam a prima hora meae conceptionis usque ad mortem, continue portavi in corde meo hanc poenam, quae tanta fuit pro te, ut si omnes arenae maris essent pueri, et quilibet eorum tantam haberent poenam, quantam habent omnes homines moriendo, nequaquam omnes simul sumpti, tantam sustinerent angustiam, quantam pro te sustinui. Stupet illa hoc viso, et audito. Et mox iterum mutatur in speciem virilem, secundum effigiem illam, quam habuit tempore passionis, et ait: *Ecce vides filia, quanta pro te sustinui, quae excedunt omnes poenas Inferni. Quia potestas mea patiendi non fuit humana, sed divina. Tanta fuit mea passio, ut si haec esset divisa per cunctas creaturas, omnes mundi creaturae simul morerentur, et corrumpentur.* Quo dicto, mox in salarem se transmutat claritatem, tamen cum stigmatibus

gloriosis, in quibus omnibus cuncta erant, immo infinita, quia quodlibet ibi fuit, in quolibet, et stupendum, et admirandum ibi valde cernebatur. Quoniam in qualibet plaga, puta vulneris, lateris, sive manus, etc. et ait: "Ecce vides, filia, quanta in Deitate patior nunc pro te, et tua salute. Cum enim, *secundum Apostolum*, omnia sint in me, et ego in omnibus: in cunctis istis te video, te amo, et paratus sum in his omnibus peccata, quam vides in aeternum pati pro tua salute, et eo quod amor meus sit infinitus *secundum Dionysium*, et cuncta in me existantia sint infinita, *secundum eundem*. Agnosce igitur Dei clementiam, et recole Christi passionem triplicem, pro qua tres Quinquagenas dixisti, et in posterum te emenda, quatenus sicut fuisti exemplum totius malitiae, et spurciciae, sic imposterum ita vivas, ut sis speculum puritatis, munditiae. Nec quod tibi appareo, pro tuis meritis facio, sed pro poenitentiae exemplo, et quoniam Fratres tui, de Confratria Matris meae violatae, pro te oraverunt, ut in tua conversione multi convertantur, sicut in tua iniquitate innumeri antea diabolici efficiebantur," Quid plura? Disparet visio, nec fuit inanis: quoniam haec Catherina dolorem in manibus, et pedibus sensit Christi passionis, ea sibi in partibus. Surgit igitur, poenitentiam agit, et in crastinum confitetur Dominico. Qui injunxit pro poenitentia psalterium more solito cum receptione Confratriae Virginis Gloriosae, quam nondum habuerat in facto, sed tantum in intentione, et proposito. Ubi notandum est quantum haec Confratria valet in facto, cum tantum valuerit isti in proposito. Cum igitur devotius Virg. Mariam salutaret, apparuit ei eadem Domina, cum s. Catherina Martyre dicens: "Ecce filia multum peccasti, plurimum poenitere oportet: Accipe ergo qualibet die tres disciplinas, quarum quaelibet sit quinquaginta ictuum, quae faciunt Psalterium poenitentiale. Nec, *inquit*, opus est semper habere virgam, sed unguibus te purges, vel comprimas carnem tuam, in omni tempore et loco. Poterisq. contra tentationes, et pro bonis impetrandis universis, **((p.277))** semper hanc facere poenitentiam. Et haec est poenitentia Regalis, occulta, et naturalis, quae est Regina cunctarum poenitentiarum." Ita haec omnia peragit, ut audivit. Cumque omni die sic poeniteret, B. Dominicus aliquando divina virtute sublimatus, vidit nocte quadam toti mundo stupenda. Perpendebat enim quod de domo Catherinae ex membris cujusdam pueri prodibant quinquaginta quinque flumina, quae ad purgatorium descendebant, in quorum adventu, animae purgandae confortabantur, et consolabantur. O in quantas voces laudis erumpebant! O quantas benedictiones tali Catherinae propinabant! Resonabat terra in voces earum. Ibi enim liberabantur animae, et confortabantur, ac solabantur, atque de poenis eripiebantur, eo quod haec Catherina passionem Parvuli meditabatur, atque ad defunctos fideles eam devotius applicare conabatur. O mira res! O, nova rerum materies! Intuetur postmodum venire virum in Cameram Catherinae, et ex corpore ejus sc. de quinque vulneribus, quinquagintaquinque fontes derivari, qui totam Ecclesiam militantem, et mundum praesentem fovebant, et irrigabant. Ibi arbores, et plantulae pullulabant, aves vero et pisces vivificabantur, homines signanter illuminabantur, et balneabantur. O quanta suavitas! O quanta mundi laetitia! Nam ibi haec universa Catherinam benedicebant, et universorum Creatorem pro illa orabant. Et duo haec miranda facta sunt, pro prima quinquagena, et secunda. At ubi haec Catherina poenitens tertiam quinquagenam insonuit, vidit Dominicus venire Gigantem infinitae magnitudinis, luce solari clariorem, ex quo quinque prodibant fontes, de quibus oriebantur flumina quinquagintaquinque, quae non per terram, nec ad purgatorium descenderunt, sed ad coelum, modo mirabili conscendebant, atque ex illis totus paradus coelestis irrigabatur. Tantaq. fuit eorum suavitas, ut de illis s. Angeli portarent, et pro his gratias Domino immensas redebant. Cum haec Dominicus videret, ut narrat Thomas de Templo coepit valde mirari, cur haec fiebant de domo Catherinae peccatricis? Cui Maria astans, inquit: "Cur Dominice nunc miraris in talibus? Nascis, quod peccatorum sum amica, et quod in manu mea posita est Dei clementia? Ita ergo volui, tibi de hac filia ostendere, quatenus mundo praedices, quod nullo modo debeant, pro quantiscumque peccatis, peccatores desperare, sed semper in Domino confidere, et signanter illi, qui volunt sunt sub chlamidem meam confugere cum Catherina. *Addidit Dei Mater Maria*: Vidisti Dominice haec tam miranda, audi, et praedica, quae nunc dicam, tam pia, et sancta, videlicet, quod impetravi a Filio meo, quod omnes orantes Psalterium meum, et qui erunt de Confratria mea, hanc eandem habebunt excellentiam, quam habuit Catherina. Etsi non videant eam, sicut homines non vident Deum, nec Angelos, nec Daemones, nec merita sua, nec virtutes, quinimmo, nec vident Magnetis virtutem, nec stellarum; quanto minus videbunt hic hanc eorum gloriam? Sed hanc intuebuntur post mortem. Confortare ergo o Dominice, et praedica Psalterium meum, et Confratriam, **((p.278))** quoniam haec, quae ista Catherina habet, omnibus impetravi, non ut videant, sed ut habeant." Quid plura? Dominicus Domino gratias pro Dei misericordia egit immensas. Haec autem Catherina reclusorium intravit, et mox cuncta pauperibus distribuit. Quae tantae fuit sanctitatis postea, ut maximi Sancti pro revelationibus ad illam confugerunt. Cui ante dies quindecim mortis suae apparuit Dominus Jesus, cum Virgine Maria, et s. Catherina denunciante ei obitum. Quae postmodum sanctissime obiit. Cujus animam tres virgines Sanctae, quarum una dicebatur, Joanna, alia Marta, et tertia Lucia, viderunt de corpore exeuntem Solo elariorem, et inter brachia Jesu evolantem. Sepulta est in Ecclesia s. Joannis Lateranensis. Ex qua re, universi, pensate, quanta virtus est in psalterio Virg. Mariae, si cum Christi passione devote dicitur. Laudemus Virginem Mariam, et Filium ejus, in Psalterio praedicto. Amen.

EXEMPLUM II.

Speculum peccatricis Benedictae Florentinae.

Fuit quaedam mulier in Civitate Florentia Tusciae, nomine Benedicta (de qua etiam habetur in legenda s. Dominici) Nobilibus orta natalibus, et incomparabili decorata pulchritudine. Annos adolescentioris vitae perdidit: et consumpsit lubricis discursibus. Tandem facta est ibidem publica meretrix, in laqueum maximum perditionis animarum. Quam videns B. Dominicus, Sponsus singularis B. V. Mariae, miratus est nimiam ejus pulchritudinem, simul, et ejus turpitudinem, et doluit vehementer de ipsius, et multarum animarum, Christi sanguine redemptarum perditione. Dei autem nutu peccatrix illa, post sermonem Dominici, ex ejus sermone compuncta, venit ei ad confessionem. Cui post caetera, confessione facta: vis, inquit Dominicus, ut Dominum nostrum Jesum Christum sponsum suum, et dulcissimam Mariam Matrem suam, orem pro te? Ut te reponant in illum statum, qui magis tibi expediens est pro tua salute? Cui illa, etiam Pater dulcissime: rogoque humiliter, et deprecor, ut sic facias. Surgensque Dominicus a sede confessionis, mox pro illa oravit. Et statim multitudo Daemonum corpus mulieris intravit, et per annum integrum, sic ligata, et obsessa permansit, non sine magno totius populi stupore, atque terrore, et signanter amasiorum ejus, et aliorum multorum hominum carnalium. Quid plura? Post annum Dominicus rediens, suam captivam visitavit. Tunc illa fletibus, et suspiriis maximis deprecabatur eum, ut sibi manus porrigat pietatis, liberando eam ab hostibus humani generis. Quod ille libenter annuit, signoq. Crucis facto, virtute psalterii Virg. Mariae (per quod magnalia semper solitas erat facere) Demones omnes ab illa fugavit, qui erant numero quadringenti quinquaginta. Ob hoc ipsi in poenitentiam injunxit, diebus singulis, tria **((p.279))** dicere Virgini Mariae psalteria, in quibus sunt tot, scilicet quadringenta, quinquaginta *Ave Maria*, contra tot praedicta Doemonia. Res dolenda! Audi, quid sequitur. Postquam illa infelicissima peccatrix fuit ab illis liberata, et sibi derelicta, in ea incaeperunt, carnis iterum incendia excitari, carnales cogitationes succrescere, et nova desideria carnalium pomparum ebullire. Amatores pristini ad eam redeuntes, cum eam primae gloriae, et corporis pulchritudini cernerent restitutam ad peccandum sollicitabant, adeo ut miserima illa Dei misericordiae, et gratiae oblita, pristinis actibus malignis, profundiusque, quam antea consueverat, semetipsam manciparet. Ad eam pene innumeraviles corrunt, et fit theatrum diaboli gravius, quam unquam fuerat. Novum spectaculum. Dominicus piissimus, praefatae Benedictae audiens ruinam, innumerorum hominum perniciem, ed eam concitus Dei spiritu veniens. Cum tamen longinquis tunc esset in partibus eaq. reperta in domo, miserorum stipata solatiis, cunctisque divina luce fugatis, facie terrificata ad eam conversus ait: Estne inquit, o filia verum quod Christo, et Virgini Mariae promiseras, vitam ducere immaculantam? Agnoscens in vindictam, nisi te cito poeniteat recidivasse. Quod illa audiens, cum tremore tacens, et obstupescens, non audebat loqui. Tunc, inquit, vir Dei, sequere me. Et duxit eam eadem hora, sicut tunc fuit, meretricali habitu indutam, in majorem Ecclesiam, in qua populorum multitudo maxima advenerat, ibique pro tribunali sedens, confessionem illius maledictae audivit, cunctis videntibus, et in immensum stupentibus. Nova Dei manus, et stupenda. Confessione facta, ait Dominicus ad eam: Vis filia pro tua, et aliorum salute, te dulcissimae Matri committere, misericordiae? Ad quem illa paupercula, tremens, ac stupens ait: Etiam Domine: Fiat ejus voluntas. Cum igitur Dominicus (qui in omnibus suis petitionibus, ad votum exaudiebatur) paululum pro ipsa orasset, subito cunctis cernentibus, a quadringentis, et quinquaginta daemonibus, ut prius, est arrepta, et coram omnibus horribiliter vexata. Capiatur, catenatur, ligatur, et ululans ac clamans maximo cum stridore, et horrore omnium, qui adstabant, ad domum deducitur. Dominicus autem subito disparsus, post horam repertus est Parisiis. Sic igitur illa misera per annum, et amplius obsessa permansit, et quotidie horribiliter vexabatur. Tempus tamen qualibet die habebat quietum, et liberum, quo tria Virginis Mariae Psalteria frequenter orabat. Nec eam tunc illo tempore vexare poterant, vel impedire, licet ad extra percussionebus tabularum, aut murmure vocum, seu tractionibus agitaretur, B. V. Mariae, et Dominici captiva paupercula, contigit quadam Vigilia Mariae Virginis, quod attonita, et in spiritu raptata (Dominico iterum jam subito ad eam Dei nutu, reverso, et pro illa suppliciter Deum orante) cernit se ad **((p.280))** tribunal Christi, in infinitum terribiliter pertrahi, agminibus Sanctorum, sole fulgentioribus vallati, liberque ingens ad modum cellae, vel camerae est delatus, signis maledictionis, et inferni consignatus.

(incompleta)

